BIBLIOT. ISTITUTO
BOTANICO - PADOVA

A.P.L
127

A

R. ISTITUTO BOTANICO DI PADOVA

Sala

BIBL. R. ORTO BOTANICO-PADOVA

Palco

A.P.L.

N. Inv.

127

N. 1446

~ 1724 ~

Di Lido: Lorenzo.

BOTANICON,

CONTINENS HERBARVM, ALIORVMQVE Simplicium, quorum usus in Medicinis est, descriptiones, & Icones ad uiuum effigiatas : ex præcipuis tam Græcis quàm Latinis Authoribus iam recens concinnatum. Additis etiam, quæ Neotericorum obseruationes & experientiæ uel comprobarunt denuo, uel nuper inuenerunt.

AVT. THEODERICO DORstenio Medico.

Cum Gratia & Priuilegio Cæsareo.

FRANCOFORTI, Christianus Egenolphus excudebat.

1540

CLARISSIMO SIMVL AC DOCTIS-
SIMO VIRO D. DOCTORI BVRCHARDO
Mithobio, Illustriſs. Ducis Erici Brunſuicenſis
Medico excellentiſſimo, Domino ac Pa-
trono ſuo, perpetua fide colendo
Theodericus Dorſtenius
S. D.

VPERIORE anno clariſſime D. Doctor, Chriſtianus Egenolphus Typographus Francfordianus, precibus à me contendit, ut uolumen illud Herbarium, quod in Germanica lingua iam olim ſtanneis excuſum formulis in uulgus emiſerat, Latinitate donarem, ac idem ex optimorum medicorum uiridariis locupletarem. Quod laboris, licet ego meo (quod aiunt) me pede metiens, deprecari non deſierim, tamen ſic inſtitit ac urſit ille, ut ſedulus euicerit, perſuaſus impoſito oneri me parem ac idoneum fore, qui iam & temporis & ſtudij non parum in arte medica inſumpſerim. Obtruſam igitur uerius quàm oblatam ſcribendi prouintiam accepi, partim ut amantiſſimum mei uirum, pleniore ſi fieri poſſet, obſequio demererer, partim ut in Herbaria medicina ac ſimplici, per ſcribendi exercitationem, ac, quem optimum magiſtrum Cicero prædicat, uſum, conſequerer uberiorem eius cognitionem: Partim etiam, ut tali beneficio, uel potius iuuandi ſtudio meo, omnes medicinæ candidatos mihi deuincirem, in ſpem uenienti, non paruam ex opere ſuſcepto promanaturam utilitatem. Principiò autem opus ipſum Germanicum ſucciſiuis horis pro mea uirili à me uerſum, ex probatiſſimis tam Græcis quàm Latinis medicinæ autoribus in uniuerſum locupletius reddidi. Deinde ſingulis herbis atq; ſimplicibus annotationes quaſdam, in quibus ueræ & genuinæ ipſarum herbarum & ſimplicium nomenclaturæ, & deſcriptiones, ex antiquis & recentioribus medicis erutæ continentur, adieci. Poſtmodum etiam Barbaras uoces Arabibus & myropolis communiores, & magis receptas non omiſi. Poſtremò ſi qua eſt inter medicos controuerſia uel diſceptatio de herba uel ſimplici aliquo, eam quoque non miſſam feci, lites qua potui dexteritate conatus dirimere. Atqui non defuturi ſunt procul dubio male feriati quidam medici, qui hoſce labores ceu uanos ac infrugiferos, carbone priuſquam legerint notabunt, ac naſo, quod aiunt, ſuſpendent, inſimulabuntq; me temeritatis, qui literaturæ mediocris homo, de herbis, hoc eſt de rebus dubijs & perplexis ac arduis, propter quas inter ſummos medicos, etiam num uehemens contentio atque controuerſia gliſcat, aliquid in lucem ædere

fuerim ausus. Sed tales uelim rogatos, ut prius quæ sunt à me diligenter scripta perlegant, quàm incognita, dente Theonino rodant. Quo facto, clementiores agnoscent ac fatebuntur, me summorum ac optimorum medicorum authoritatibus inniti, ipsorumq; de herbis ac simplicibus iudicia & placita congessisse, & breuiter nihil adduxisse, quod ex eorum libris non sit depromptum. Cæterum si quis illos classicos autores, quos imitor, nonnullis in herbis scopum minus attigisse conuicerit, is mihi ueniam dabit, cum ipsi opus habeant Patronis, quos paraui defensores: tametsi multo malim cum illis ipsis errare, quàm cum rixosis medicis qui Herbarię medicinæ rudes ac prorsum ignari sunt, ualde sapere. Optimè profectò mihi de medicinæ tyronibus mereri uidentur, qui rei Herbarię hactenus tam fœdè neglectæ, olim uerò in magno precio habitæ, auxiliares manus admouent, eamq; ab interitu omnis calumnię securi, uindicare non grauantur. Atq; utinam in hoc pulcherrimum negocium, omnes medicinæ proceres conspirarent, eoq; uelis (ut aiunt) equisq; contenderent, quo Herbaria medicina iamiam renascens, & caput iterum exerens, tandem pristino uigori ac honori restituatur. Quod ipsum efficere totis uiribus olim conati fuerant excellentes uiri, Leonicenus, Manardus, & Ottho Brunsfelsius. Quibus si fata uitam non inuidissent, rem Herbariam me Hercle multum adiuuissent, & maiore cum fructu promouissent. Sed iam commune mortalitatis iter nigressi, lampada tradiderunt illis qui adhuc superstites in Herbarum mundanarum uiretis exercentur: in quorum numero sunt D. Ruellius. Antonius Musa, Leonardus Fuchsius, atq; alij cum linguarum peritia, tum Herbarum cognitione nobilitati medici, qui utinam à pulcherrimis cœptis desistere non uelint, sed strenue progredi, æternam sibi benè faciendo gloriam paraturi. Non enim fluxum uirtutis premium apud medicinæ studiosos promerebuntur, qui bonam in herbarum disciplinis illustrandis, nauauerunt operam. Vnde dolendum imò detestandum arbitror, hanc medicinæ partem tam multos annos adeo neglectam & contemptam iacuisse, ut eius apud Medicos nulla tanq; Megarensium habita fuerit ratio, cum tamen literarum monumentis proditum sit, summos olim reges adeo herbarum fuisse studiosos, ut neglecto regiæ maiestatis honore non puduerit neq; tæduerit eos, per uastas regionum solitudines, ac saltus inuios reptare, cliuosa montium iuga peragrare, abdita terræ uiscera scrutari, latebrosos deniq; specus penetrare, solo studio quærendi commodas, ac utiles humanis usibus herbas, & ad posteritatem transmittendi earum inuentarum cognitas uires, ut eo uelut omnium maximo beneficio, sibi genus humanum obstringerent. Hoc itaq; uelut sempiterno gloriæ autho-

ramento,

ramento, illi reges celebratissimi uiuunt, etiam hodie grata hominum memoria. Quorum nomina peritura cum ipsis simul mortem obiuissent, nisi plantis indita iam æterno durarent æuo: permanebunt autem immortalia tantisper dum tellus fida & optima rerum parens gignet Gentianam, Eupatorium, Clymenum, Polemoniam, & cætera id genus nomen à regibus habentia. Quid? nonne Iuba qui utriq; Mauritaniæ primus imperauit, studiorum claritate memorabilior etiam quàm regno, qui potissimum eo celeberrimam famam assecutus est æternamq; laudem, quòd herbam Euphorbiam nomine ab inuentore medico suo appellatam, miris laudibus celebrarit, priuatim ei dicato uoluimine. Mithridatem quoq; Ponti regem, non perinde regnū alioqui locupletissimum, non tam unius atq; uiginti linguarum miraculum, quàm unica rei Herbariæ peritia nobilitauit, uereq; magnum uirum ad sydera tulit, qui inde commentationes & exemplaria, effectusq; in arcanis reliquit, ut autor est Plinius. Cum igitur non modo doctissimi rerum naturalium indagatores, sed etiam summi & potentissimi reges herbarum cognitione delectati sint, ac in eo studiorum genere laboribus indefessis uersati, quis non uiderit ualde ridiculum esse à medicis nonnullis falsam sibi scientiæ persuasionē inducntibus, rem Herbariam contemni ac uelut indignam scitu Seplasiarijs ac Pharmacopolis totam relinqui. Quo supercilio turgentes, audent ipsi se præferre summis illis medicis, Hippocrate & Galeno? qui in syluis & montibus oberrarunt ad inuestigandum & quærendum herbas, qui profecto tantum laboris non cepissent, nisi exploratum habuissent, hoc ipsum plurimum conducere, & in arte medica summe necessarium fore. Quibus importunis utilissimæ rei contemptoribus illud plærunq; solet contingere, ut cum peregre abierint, & ad egrotos peruenerint, nihil ualeant, omni ope destituti, nisi ad manus habuerint myropolia, cum tamen quibuslibet in syluis & hortis circumquaq; magna sit herbarum copia, quibus optimè & utiliter possent medicari, si modo herbas haberent cognitas, ac non è myropolarum prę scriptis penderent. Sed exoticis illis & Arabum pharmacis, quibus officinæ seculi nostri sunt oppletæ, intantum addicti sunt, ut præ his omnes herbas negligant ac contemnant. Cum tamen nemo hoc improbare ausit, nostrates herbas exoticis illis non esse uiribus inferiores, atque eas corporibus nostris magis salutarem præstare medicinam. Sed ne longius euehar, ista missa faciens, medicinæ studiosos monebo atq; hortabor, ut medicinam Herbariam reiectis eius contemptoribus, auide amplectantur, omnesq; libros de herbis conscriptos diligenter euoluant, summorumque illorum Regum & medicorum exemplis adducti, syluas, montes, pra-

ra & hortos nonnunquam uerno & æstiuo tempore peragrent per lustrentq;, quo ueram herbarum aliorumq; simplicium cognitionem sibi paulatim parent, cum impossibile sit, ut is in probatum medicum euadat, qui harum rerum nullam habuerit cognitionem, atque experientiam. Cæterum iam uela contracturus, clariss. Doctor ad te reuertar. Nouisti doctis uiris priscam solennitatem ac consuetudinem esse, ut suas lucubrationes magnatibus uiris ac Mecœnatibus inscribere consueuerint, partim quòd gratiam ac beneuolentiam eorum sibi conciliare ac pro beneficijs in se collatis gratiam referre queant, partim quòd præsidium aduersus iniuriam æmulorum & Zoilorum quærant ac parent. Eodem ergo studio atque exemplo uir ornatissime, in præsentia impulsus ego, meam hanc qualemcunque industriam laboremq; Tuæ dignitati nominatim nuncupare constitui. Es enim tu inter omnes bonos amicos mihi uisus dignus, cui hoc opus tanquam Deo tutelari dedicaretur, idque duabus de causis. Principio ob summam & arctissimam familiaritatem, quæ multis ab hinc annis, non solum Erffordiæ, uerum etiam Marburgi, inter nos intercessit, atq; ob tua summa in me merita, quibus me totum tibi deuinxisti. Deinde quòd tu non solum in arte medica, uerum etiam in Mathematis atq; in omni genere disciplinarum sis præstantissimus: unde & iam tuum nomen apud omnes doctos celebratum est: per quod non leue pondus, neq; paruam æstimationem huic operi accessuram esse penitus mihi persuadeo, postquam tui nominis auspicio euulgatum est. Proinde uolumen hoc Herbarium tanquam μνημόσυνον, & amoris nostri erga te pignus, hilari fronte excipias precor Burcharde doctissime, & contra morsus uitiligatorum defende. Bene Vale, Apud Marpurgum, Kalendis Martij. Anno à Christo nato.

1 5 4 0.

Ελεγχος.

Αβρότονον 17 d
Αγάρικον 26 c
Αγνὸς ἢ λύγος 27 c
Αγριόμηλα 178 d
Αγρῶσις 141 d
Αδίαντον 51 c
Αείζωον 40 d
Αειζώον μίκρον 294 b
Αίγειρος 79 d
Ακακία 20 c
Ακαλύφη κνίδη 301 a
Ακάνθα λευκή 47 a
Ακανθος 44 d
Ακορος 16 d
Ακτή 259 b
Αλεξάνδρεια 296 d
Αλίσμα 225 b
Αλικάκαβος 29 d
Αλοὴ 25 b
Αλθαία 5 d
Αμάρακος 121 b. 177 d
Αμάραντος 126 b
Αμβροσία 19 a
Αμπελος 198 d
Αμπελος λευκή 25 d
Αμπελος μέλαινα 35 b
Αμυγδαλὴ 24 b
Ανάβασις 149 d
Αναγαλλὶς 31 c
Ανακτήριος 1 d
Ανδράχνη 233 b
Ανδρόσαιμον 215 d
Ανηθον 7 d
Ανθεμὶς 58 c
Ανδρωπόμορφον 181 d
Ανισον 8 c
Αξιος 224 b
Αργεμώνη 11 c
Αριστολοχία 3 c
Αριστολοχία μακρᾶ 4 d
Αρκευθὶς 159 c
Αρμοράκια 244 d
Αρνόγλοσσος 227 d
Αρνόγλωσσον μικρόν 219 d
Αρον 12 c
Αρτεμισία 1 d
Ασαρον 13 d
Ασπάραγος 273 d
Ασπλήνιον 264 d
Ασάφις 211 b
Ασήριον 257 c
Ασὴρ ἀττικὸς 217 c
Ασφάλτος 49 d
Ασφόδελος 15 d
Ατραφαξις 35 d
Αψίνθιον 2 b

Β.

Βάλανος 103 d
Βαλαύσιον 43 b
Βάλσαμον 41 d
Βάρυθρον 255 c
Βαρύπικρον 2 b
Βασίλικον 208 b
Βάτος 193 d
Βλῆχρον 219 b
Βουβώνιον 157 c
Βούγλωσσον 50 d
Βούκερος 129 d
Βόντυρον 55 d
Βούφθαλμος 127 c
Βραθὺς 255 c
Βρύον 30 b
Βρυωνία 52 d
Βρῶμος 21 d

Γ.

Γαλιόψις 302 d
Γαρυόφυλλον 137 b
Γεντιάνη 139 d
Γεράνιον 147 b
Γλήχων 239 b
Γλυκύῤῥιζα 135 d
Γλυκυσίδης 212 d
Γογγύλη ἥμερος 243 b

Δ.

Δαμασώνιον 125 b
Δασυπόδιον 297 c
Δαῦκος ἄγριος 204 c
Δαφνίδες 164 d
Δαφνὴ 164 d
Δαφνίτις 290 d
Δίκταμος 106 d
Διονύσιον 142 d
Διος βάλανος 70 d
Διὸς κύαμος 153 b
Δίψακος 67 d
Δρακοντία μεγάλη 87 d
Δρῦς 242 d

Ε.

Εκατογκέφαλον 158 b
Ελατίνη 144 b
Ελαφοβόσκος 256 c
Ελελίσφακος 256 c
Ελένιον 218 d
Ελέβορος λευκὸς 208 d
Ελέβορος μέλας 210 d
Ελξίνη 210 b
Εμπετρον 262 b
Επίθυμον 114 d
Επτάφυλλος 227 d
Επταφυλλον 287 b
Ερπυλλος 268 b
Ερυθρόδανον 253 b
Εὐζωμον 215 d
Εὐπατώριον 217 c
Ευρυβάδανον 253 b
Ευφρόσυνος 49 c
Εφήμερον 149 d

Ζ.

Ζειὰ 257 b
Ζιγγίβερι 305 d

Η.

Ηδύοσμος 187 b
Ηδύοσμος ἄγριος 189 d
Ηρύγγιον 158 b

Θ.

Θάψια 284 d
Θερμος 157 d
Θρίδαξ ἀγρία 160 c
Θρίδαξ ἥμερος ibi.
Θύμβρα 260 c
Θυμελαία 87 d

Ι.

Ιβισκος 5 d
Ιερὰ βοτάνη 292 d
Ιὸν μέλαν 297 c
Ιπποσέλινον 217 c
Ιππουρις 249 d
Ιρὶς 159 b
Ισχὰς 258 d

Κ.

Κάλαμος ἀρωματικὸς 57 d
Καλαμίνθη 187 c
Καννάβις ἥμερος 59 c
Καπνίον 232 b
Καπνίτης ibi.
Καπνὸς ibi.
Κάππαρις 60 c
Καρδαμον 197 d
Καρδάμωμον 64 d
Κάρος 101 d
Καρνον βασιλικόν 202 c
Καρνον ἰνδικόν 204 b
Καρνον μυρισικόν 203 d
Κέγχρος 251 c
Κεδρόμηλον 85 d
Κελτικὴ νάρδος 164 d
Κενταύριον 72 d
Κεράσιον 74 b
Κεράσος ibi.

Κεραΐοφυλαξ 113 c
Κερχορ 88 c
Κηκίς 134 b
Κιννάμωμον 94 b
Κίσσος 142 d
Κίτριον 85 d
Κιχώριον 82 d
Κνικος 95 d
Κνίδιος κόκκος 85 d
Κοκκυμηλέα 238 d
Κόλοκύνθα 80 d
Κολοκύνθις 86 c
Κολχικόν 149 d
Κοριάνον 90 d
Κόριον ibi.
Κορωνόπους 218 d
Κόσος 92 d
Κράμβη 204 d
Κρίθμον 93 d
Κρίθη 151 b
Κρίνον 109 b
Κρόκος 95 d
Κρόμμυον 71 b
Κύαμος 118 b
Κυδώνιον 92 c
Κυκλάμινος 303 d
Κύμινον 110 d
Κυνόγλοσσον 102 b
Κυνοκεφάλιον 238 d
Κυπάρισσος 99 c
Κύπειρος 101 d
Κύπερος 168 c
Κυστάμπελος 300 d
Κωνεῖον 83 c

Λ.

Λαγώπους 136 c. 219 d
Λαθυρις 71 d
Λάπαθον 162 b
Λάχανον 204 d
Λεχήν 145 b
Λείριον 216 d
Λεοντοπόδιον 22 d
Λεπίδιον 223 d
Λεπτοκάριον 202 d
Λευκάϊον 81 d
Λεύκη, ἄιγειρος 231 d
Λιβανωτίς 251 d
Λιγυστικόν 167 c
Λιβόστερμον 192 b
Λινοκάλαμις 173 c
Λίνον ibi.
Λίνον ἄγριον ibi.
Λινόζωστις 239 c
Λυχνὶς ἄγρία 216 d

Μ.

Μάκερ 88 c
Μαλαχη ἀνθέμη 134 b
Μανδραγόρας 94 b
Μάραθρον 142 d
Μαστίχη 85 d
Μαχαιρώνιον 82 d
Μελάνθιον 95 d
Μέλι 85 d
Μελία 238 d
Μελίλωτος 80 d
Μελισσόφυλλον 86 c
Μέσπιλον 149 d
Μέσπιλος 90 d
Μηδικόν ibi.
Μηκών 218 d
Μήλινον 92 d
Μῆλον 204 d
Μολόχη 93 d
Μορέα 151 b
Μοσχοκάριον 109 b
Μυόσωτα 95 d
Μυρίκη 71 b
Μυριόφυλλον 118 b
Μυρσίνη 92 c
Μυρσίνη ἄγρία 303 d
Μύρτιλλον 110 d

Ν.

Νάρδος ἄγρία 13 d. 291 d
Νάρδος ἰνδικὴ 175 d
Νάρδος κελτικὴ 175 d
Νάρθηξ 121 d
Νυμφαία 199 d

Ξ.

Ξιφιον 120 b. 140 d
Ξυρίς 140 d

Ο.

Οινόφορος 298 d
Οκιμον 37 d
Ολυρα 269 c
Ομφακίτις 154 b
Οξαλίς 6 d
Οξος 34 d
Οξυακάνθα 48 b
Οξυλάπαθον 162 b
Οξύς 9 c
Οξυτρίφυλλον 9 c. 289 d
Οξυφοίνικον 280 b
Οπωρα 231 d
Οριγανος 205 b
Ορμινον ἄγριον 235 b
Ορόβος 207 c
Ορχὶς 208 b
Οσυρὶς 173 d. 148 b 210 d
Οφθαλμικὰ

Π.

98 c. 212 d
221 b. 189 c 214 d 223 d 93 d 192 d 81 d 217 b 219 d 219 c 220 c 251 d 89 b 251 b 215 d 216 c 110 d 268 b 315 b 217 d 230 d 61 c 181 b 232 b 227 d 124 d 241 b

Ρ.

Ρᾶ 247 d
Ραφανις 245 d
Ραφανὶς ἄγρία 244 d
Ρόδον 249 c
Ροΐα 241 d
Ρῆον 249 d

Σ.

Σάμψυχος 177 d
Σαρξίφαγον 261 b
Σατύριον 261 b
Σέλινον ἄγριον 29 b
Σέλινον κηπαῖον 28 b
Σεμίδαλις 196 d
Σέρις 82 d. 111 b 272 d 271 b 98 b
Σίκυος

Σίκυος 98 b
Σινηπι 270 b
Σούμβριον 44 d
Σκόλιμος 101 b
Σκόρδιον 205 d
Σκόροδον 10 b
Σκύλλα 277 d
Σμύρνα 196 b
Σόγχος 208 d
Σπάρτιον 138 a
Σωάρτον ibi.
Στάφις 211 b
Σταφὶς ἄγρια 279 b
Σταφυλῖνος 212 d
Σταφυλίνος ἄγριος 104 c
Στίχας 280 d
Στρόβιλος 222 c
Στρύχνος 19 d. 272 d
Στρύχνος μάνικος 304 c
Συκάμινον 194 d
σῦκον 122 c
σύμφυτον 89 b
σχοῖνος 278 c

Τ.

Τελέφιον 119 c
Τερμίνθινη ῥητίνη 293 d
Τερμίνθος ibidem.
Τεῦτλον 45 d. 204 d
Τηλίς 129 d
Τιθύμαλλον 256 a
Τραγόπωγον 80 a
Τρίφυλλος 177 a
Τρίφυλλον 130 c. 288 d
Τριχόμανες 61 c
Τροχίλη 3 b
Τῦρος 69 b

Υ.

Ὑδροπέπερι 154 c. 216 d
Ὑδωρ, 32 c
Ὑοσκύαμος 153 b
Ὑπερικὸν 215 d
Ὑπνοτικός 153 b
Ὑοσκυαμος 154 c

Φ.

Φάκος 166 a
Φάκος ὁ ἐπὶ τῷ τελμάτων 166 d
Φάσγανον 140 a
Φηγός 120 d
Φιλόφαρες 132 b
Φιλυρέα 285 c
Φλόμος 282 c
Φοινικὰ 103 d
Φοινικὸς 103 d
Φοῦ 291 a

Χ.

Χαμαιάκτη 108 a
Χαμαιδάφνη 296 d
Χαμαίδρυς 77 c
Χαμαίκισσος 144 b
Χαμαίμηλον 56 c
Χαμαιτύπης 76 d
Χαξιένφυλλον 117 b
Χελιδόνιον 78 c
Χόρος ἀφροδισίας 6 a
Χρυσόκαρπος 142 d
Χρυσολάχανον 35 a

Ψ.

Ψευδόναρδος 164 a
Ψύλλιον 239 d
Ψυχότροφον 38 e

ΤΕΛΟΣ.

INDEX.

INDEX.

A.

Abrotanum 17 a
Absinthium 2 b
Absinthium ponticum 17 a
Acanthus 44 a
Acatia 20 c
Acetosa 6 d
Acetum 34 a
Acorus 16 a
Acus muscata 147 b
Aegilops 21 d
Affodillus 15 a
Agaricum 26 c
Agaricus 26 c
Agnus castus 27 c
Agreste sedum 119 c
Agrestis saluia 117 c
Agrimonia 11 c
Aizoon 40 a
Aizoon minus 294 b
Albucum 15 a
Alcanna 168 c
Alchimilla 22 d
Alga palustris 199 a
Alexandria 296 d
Alisma 125 b
Alkakengi 19 a
Alleluia 9 c
Allium 10 b
Allium agreste 265 a
Aluus 79 c
Altercum 153 b
Aloë succotrinum 25 b
Althæa 5 d
Amantilla 291
Amaracus 177 a
Amaranthus 126 b
Amarum dulce 76 d
Ambrosia 18 a
Ambubeia 82 a
Amerina salix 27 c
Amygdala amara & dulcia 24 b
Amygdalus 24 b
Anacardus 23 c
Anagallis 31 c
Anagallis maior 89 b
Anethum 7 d
Anicetum 7 d
Anisum 8 c
Anthemis 56 c
Anthera 21 b
Anthos 251 d
Aphrodisia 261 b
Apiastrum 186 b
Apium hemorrhoidum 30 c
Apium hortulanum 28 b
Apium regale 30 b
Apium risus 29 b
Apium rusticũ 15 a. 30 b 281 d
Apium satiuum 28 b
Apium syluestre 29 b
Apollinaria 22 c
Aqua 32 c
Aqua mulsa 184 b
Aquilegia 30 d
Arbor glandis 242 a
Aringa 76 d
Aristolochia longa 4 d
Aristolochia rotunda 3 c
Armoracia 244 a
Arnoglossa 227 a
Aron 22 d
Artemisia 1 a
Artemisia domestica 281 d
Arthanita 303 d
Artincilla 22 d
Asarum 13 d
Asparagus 273 d
Aster Atticus 157 d
Asterion 157 d
Astrantia 19 d
Athanasia 281 d
Atriplex 35 a
Atriplex Hispanense 277 a
Atriplexum 35 a
Auena 21 d

B.

Balaustia.um. 43 b
Ballote 182 b
Balsamita 44 d
Balsamum 41 d
Barba Aaron 22 d
Barba hirci 80 a
Barba Iouis 40 a
Barba siluana 41 b
Basilicon 37 b
Bedeguar 47 a
Bedegaris 47 a
Behem 47 d
Behemun 47 d
Berberis 48 b
Bleta 45 d
Bleta rubea 204 d
Bernardi testiculus 15 a
Batis 93 d
Beta 45 d
Beta alba 46 d
Betonica 38 c
Betula 296 b
Bismalua 5 d
Bistorta 87 d. 287 b
Bitumen 49 a
Bitumen iudaicum 49 a
Bombax 51 c
Borago 49 c
Bothormarien 303 d
Botrys 18 a
Branca ursina 44 a
Brassica 204 d
Bromus 21 d
Bryonia 52 a
Bryonia nigra 53 b
Bruscus 53 c
Bubonion 157 d
Bucheidem 208 b
Buglossa. um. 50 d
Buphthalmon 80 c
Bursa pastoris 54 c
Butyrum 55 d
Buxus 55 b

C.

Caballinum 25 b
Cæpa 73 b
Cæpe 73 b
Calamentum 187 c
Calamentum montanũ 187 c
Calamus aromaticus 57 d
Calamus odoratus 57 d
Calendula 58 c
Campanella 300 b
Candela regis 282 d
Candelaria 282 d
Cannabis satiua 59 c
Cannabis syluestris 59 c
Capillus porcinus 61 d
Capillus Veneris 61 d
Caprifolium 63 a
Capnitis 132 b
Caput monachi 80 c
Cardamomum 64 a
Cardamum 197 d
Cardiaca 65 a
Cardo s. Mariæ 47 a
Carduus benedictus 65 c
Carduus fullonum 67 a
Carium 101 d
Carosagreste 64 a
Carpesium 96 b
Carpobalsamum 41 d
Cartamus 95 d
Carios 101 d
Cartofilago 123 c
Carui 101 d
Caruum 101 d
Caryophyllata 135 c
Caryophylum 137 b
Caryophyllon 137 b
Caseus 69 b
Cassia fistula 68 a
Cassia lignea 68 d
Castanea 70 b
Castrangula 265 d
Catoputia 71 b
Cauda equina 149 d
Cauda porcina 192 b
Caulis 204 d
Centaurea 72. a
Centaurium 72 a
Centum capita 158 b
Centrum galli 135 b

Cen-

Centumneruia aquatica 41 b
Centumnodia 235 b
Cerasium 74 b
Cerasum 74 b
Cerasus 74 b
Cerefolium 75 b
Cerephyllum 75 b
Cerui boletus 76 b
Ceruibolitus 76 b
Chamædaphne 296 d
Chamædryos 77 c
Chamædrys 77 c
Chamæmelon 56 c
Chamæpithyos 76 d
Chamæpithys 76 d
Chamomilla 56 c
Charanios 58 c
Cheiri 81 a
Chelidonia 78 c
Chelidonium 78 c
Chironia 72 a
Cichorium 82 a
Ciclamen 303 d
Cicorea 82 a
Cicuta 83 c
Ciminum dulce 8 c
Cinamomum 84 b
Citrago 186 b
Citrea malus, siue medica 85 a
Citreolus 98 c
Citreum malum 85 a
Citromalum 85 a
Citrullus 98 c
Citrulus 98 c
Citrus 85 a
Claua Herculis 199 a
Cnecos 95 d
Cnicos 95 d
Coccos gnidios 85 d
Collum draconis 87 d
Coloquintida 86 d
Colocynthis 86 d
Colubra 87 d
Colubrina ibi.
Columbina 292 b
Coma 80 a
Consolida maior 89 b
Consolida minor 105 b
Consolida regalis 90 d
Conuoluulus 300 b
Cordumeni 64 a
Coriandrum 90 d
Coriandrum putei 61 d
Corianum 90 d
Corona regia 185 b
Corrigiola minor 235 b
Costus 92 a
Coton 51 c
Cotoneum 92 c
Cotula fœtida 56 c
Cotum 51 c
Crassula minor 294 b
Crestio 266 d
Creta marina 93 d
Cretanus 93 d
Crispula 54 c; 94 d
Crista gallinacea 292 b
Crocus 96 a
Cubebe 96 b
Cucumis 98 b
Cucumis citrinus 98 c
Cucurbita 95 d
Cuminum 101 a
Cunila 260 d
Cupressina 76 d
Cupressus 99 c
Cuscuta 100 b
Cyclaminus 303 d
Cydonium 92 c
Cymbalaria 300 b
Cyminum 101 a
Cynoglossa 102 b
Cyperus 103 a
Cypressus 99 c
Cyssimbrium 189 a

D.

Dactyli Indici 280 b
Dactylus 103 d
Daphnitis 296 d
Daucus Geticus 104 c
Daucus syluestris 104 c
Dens leonis 107 b
Dictamnus 106 b
Dictamus 106 b
Diapensia 105 b
Dipramus 106 b
Dracontion 87 d
Dracunculus maior 87 d
Dulcis radix 174 d

E.

Ebulum 108 a
Ebulus 108 a
Elleborum nigrum 110 b
Elleborus albus 108 d
Endiuia 111 b
Endiuia syluestris 112 c
Enula Campana 113 a
Epaticum 25 b
Epithymon 114 a
Epithymus 114 a
Equinalis herba 149 d
Equisetum 149 d
Erice 195 d
Erigeron 266 d
Eryngion 158 b
Eruca 115 a
Eruum 207 c
Esula 116 a
Esula adulterina 173 a. 148 b
Eupatorium 117 c
Eufrasia 116 d
Euphragia 116 d

F.

Faba 118 b
Faba inuersa 119 c
Faba fuilla 253 b
Fagasmon 120 b
Fagus 120 d
Febrifuga 121 b
Fel terræ 72 a
Ferraria maior 105 b
Ferula 121 d
Ferulago 284 d
Ficus 122 c
Filago 123 c
Filicula 230 a
Filipendula 124 d
Filix 124 a
Fistica 226 c
Fistici 226 c
Fistula pastoris 125 b
Folia sene 167 b
Foliculi sene 267 b
Flammula 218 a
Flos amoris 126 b
Flos frumenti 126 d
Flos S. Iohannis 127 c
Fœniculum 128 b
Fœniculum porcinum 220 d
Fœnum græcum 129 d
Fraga 130 c
Fragaria 130 c
Fraxinus 131 d
Fuga dæmonum 215 d
Fungus abietis 26 c
Fumaria herba 132 b
Fumus terræ 131 b

G.

Galanga 133 c
Galla 134 b
Galli crus 218 a
Gallitricum 135 b
Gallitricum syluestre 136 b
Gamandræa 77 c
Gariophyllata 136 c
Gariophyllus 137 b
Genista 138 a
Gentiana 138 d
Geranion 147 b
Gingiber 305 c
Git 101 a
Gossipion 51 c
Gladiolus 16 a 120 b 140 a
Glycirrhiza 174 d
Gramen 141 d
Grana iuniperi 159 c
Grana pæoniæ 212 d
Grana solis 192 b
Gratia dei 147 b

H.

H.

Halicacabus 19 a
Haſtula regia 15 a
Hedera 142 d
Hedera terreſtris 144 b
Helitropium 82 a
Hepataria 145 b
Hepatica 145 b
Hepatorium 117 c
Heracliotica 206 b
Herba Appollinaris 153 b
Herba benedicta 136 c 291 a
Herba cancri 54 c 94 d
Herba caſta 212 d
Herba clauellata 156 c
Herba Herculis 189 d
Herba paralilis 146 c
Herba pedicularis 179 b
Herba pulicaris 238 d
Herba regia 1 a
Herba Roberti 147 b
Herba S. Ioannis 215 d
Herba S. Petri 210 b
Herba ſtellaris 145 b
Herba trinitatis 156 c
Herba tunici 295 a
Herba uenerea 16 a
Herba urinalis 148 b 173 a
Herculea Herba 192 b
Hermodactylus 149 a
Heroſon 15 a
Hippia 31 c
Hippolapathum 162 b
Hippuris 149 d
Hirundinaria herba 78 c.
150 d
Holuſatrum 219 d
Hordeum 151 b
Humulus 152 c
Hydromel 184 b
Hydropiper 155 d 216 d
Hypericon 215 d
Hyoſciamus 153 b
Hyſſopus 154 c

I.

Iacea 156 c
Iaceanigra 195 a
Iarus 22 d
Ibiſcus 5 d
Iecoraria 145 b
Incenſaria 157 b
Inguinalis 157 d
Intybum 111 b
Intybum erraticum 81 a
Inula 113 a
Inuolucrum maius 63 a
Iringus 158 b
Iris 169 b
Iuamoſchata 76 d
Iuiubæ 159 a
Iuncus angulosus & odoratus 103 a
Iuncus odoratus, rotundus 278 c
Iuniperus 159 c

L.

Labrum ueneris 47 a 67 a
Lactuca agreſtis 160 c
Lactuca domeſtica 160 c
Lagopus 136 c
Lamium 302 d
Lanari 282 d
Lanceolata 229 a
Lapathium 162 b
Lappatium maius 162 b
Lapatium minus 162 b
Lapathum 162 b
Lapathum rotundum 163 d
Lapſana 134 b
Lauacrum ueneris 67 a
Lauendula 164 a
Laurea 165 d
Laureola 85 d 296 d
Lauri baccæ 164 d
Laurus 164 d
Lens 166 a
Lens paluſtris 166 d
Lenticula 166 a
Lenticula aquæ 166 d
Leontopodion 22 d
Lepidium 223 d
Leucopedion 22 d
Leuiſticum 167 c
Lien capræ 178 d
Liguſticum 167 c
Liguſtrum 168 c
Lilium cœleſte 169 b
Lilium cœruleum 169 b
Lilium album 169 b
Lilium conuallium 170 d
Linaria 148 b 173 a
Lingua agni 227 a
Lingua auis 174 c
Lingua canis 102 b
Lingua canina 102 b
Lingua ceruina 264 a
Linozoſtis 189 d
Linum 173 d
Liquiritia 174 d
Lupinum 175 d
Lupinus 175 d
Lupulus 152 c
Lupus ſalictarius 152 c
Lybiſticum 167 c

M.

Macer 176 c
Macis 176 c
Magiſtrantia 19 d
Maiorana 177 a
Mala matiana 178 b
Mala ſylueſtria 178 b
Malua 178 d
Maluahortenſis 180 b
Malua minor 178 d
Malua Rhomana 180 b
Malua Satiua maior 180 b
Malua tranſmarina 180 b
Malum 231 a
Malum granatum 141 a
Malum medicum 85 a
Malum punicum 141 a
Malum terræ 303 d
Mandragora 181 b
Mandragoras 181 b
Manna 184 b
Manus Chriſti 208 b
Marathrum 128 b
Margarita 146 c
Marrubium 182 b
Marrubium nigrum 182 b
Marrubium ſylueſtre 182 b
Maſtiche 183 d
Maſtix 183 d
Materſylua 63 a
Matricaria 121 b
Matriſylua 145 b
Medo 184 b
Mel 184 b
Melicraton 184 b
Melroris 284 b
Melifolium 196 b
Melilotum 185 b
Melilotus 185 b
Meliſſa 186 b
Melon 98 d
Melopepen 98 d
Meliſſophyllon 186 b
Menta 187 b
Menta alba 187 b
Menta aquatica 189 a
Menta odorifera 187 b
Menta non odorifera 187 c
Menta Romana 187 b
Mēta Sarracenica 44 d 187 b
Mentaſtrum 189 a
Menta ſylueſtris 189 a
Mercurialis 189 d
Mercurij herba 214 a
Meſpilus 200 b
Meſpilum 200 b
Mezereon 85 d
Milium 191 c
Milium ſolis 192 b
Millefolium 190 d
Morabaccæ 192 a
Mora rubi 182 a
Morſus diaboli 195 a
Morſus gallinæ 31 c
Morum celſi 194 a
Morum 194 a

Morus 194 a
Mulsum 184 b
Muris urina 178 d
Mulcus arboris 303 b
Myrica 195 d
Myrice 280 d
Myrrha 196 b
Myrtillus 197 a
Myrtus ibi.
Myrtus syluestris 53 c

N.

Narcissus 149 a
Nardus agrestis 291 a
Nardus celtica 164 a 276 d
Nardus Indica 275 d
Nasturtium 197 d
Nasturtium agreste ibi.
Nasturtiũ aquaticũ 197 d 266 d
Nepeta 187 c
Nenuphar 199 a
Nespilum 200 b
Nespilus ibi.
Nigella 201 a
Nux auellana 202 a
Nux basilica 201 d
Nux coryli 202 a
Nux Indica 204 b
Nux iuglans 202 d
Nux moschata 203 d
Nux myristica ibi.
Nux pontica 202 a
Nux prænestina ibi.
Nymphæa 199 a

O.

Ocimum 37 b
Oliuella 168 c
Olus 204 d
Olus regium 1 a
Opobalsamum 41 d
Origanus 206 b
Orobus 207 c
Ostrutium 19 d
Oxilapathum 162 b
Oximel 184 b
Oxiphœnicum 280 b
Oxyacantha 48 b
Ozimum 37 b

P.

Pæonia 212 d
Palatium leporis 208 d
Palma Christi 208 b
Palmula 203 d
Panis cuculi 9 c
Panis porcinus 303 d
Papauer album 209 b
Papauer nigrum ibi.
Papauer ibi.
Papauer palustre 199 a
Parthenion 189 d
Parthenis 1 a
Parietaria 210 b
Passulæ 211 b
Pastinaca domestica 212 a
Pedicularia 279 b
Penta dactylus 214 a
Pentaphyllon ibi.
Pepon 98 d
Pera pastoris 54 c
Perdicium 210 b
Persoliata 215 b
Perforata 215 d
Peristereon 292 b
Perpensa 13 d
Pertucaria 216 d
Persicum 85 a. 217 b
Peruinca 296 d
Pes coruinus 218 a
Pes leonis 22 d
Pes leporis 136 c. 218 d
Pes urtinus 44 a
Petrapium 219 d
Petroselinum 219 d
Petroleum 219 b
Peucedanum 220 d
Peucedanus ibi.
Pilosella 36 a
Pimpinella 221 c
Pinastellum 220 d
Pinea nux 222 c
Piper 223 a
Piperi ibi.
Piperitis 223 d
Piper aquaticum 155 d
Piperina 223 d
Piper montanum 155 d
Pirola 225 a
Pirum domesticum 224 a
Pirum syluestre ibi.
Pistacea 226 c
Pisum 226 a
Pituitaria 279 b
Poligonon 235 b
Polipodium 230 a
Pomum 231 a
Populus arbor 231 d
Porrum 232 b
Porrum sectiuum ibi.
Pors 197 a
Portulaca 233 b
Pulegium 239 b
Pulmonaria 240 d
Purgatorium capitis 279 b
Plantago 227 a
Plantago aquatica 41 b
Plantago minor 229 a
Planta leonis 22 d
Phu 291 a
Prasium 182 b
Premula ueris 234 c
Priapismus 261 b
Proserpinata 235 b
Protentilla 236 b
Prunella 237 a
Prunella immatura 20 c
Prunum 238 a
Prunus ibi.
Pseudolinum 148 b. 173 a
Pseudonardus 194 a
Psylium 338 d
Pyrethrum 241 b

Q.

Quercula minor 77 c
Quercus 242 a
Quinquefolium 214 a

R.

Radicula 245 a
Radix ibi.
Radix diuina 38 c
Ranunculus 218 a
Raphanus 245 a
Raphanus agrestis 244 a
Raphanus maior ibi.
Rapa 243 b
Rapa satiua ibi.
Rapum ibi.
Rapum terræ 303 d
Rapistrum 246 a
Raponcoli 246 d
Rapunculus ibi.
Ribes 248 d
Robertiana 147 b
Rosa 249 c
Rosa Benedicta 212 d
Rosarum mel, oleum, succus 249 c
Rosmarinus 251 d
Rostrum ciconiæ 147 b
Rostrum porcinum 112 c
Rubea satiua 253 b
Rubea tinctorum ibi.
Rubus 192 a
Rumex 162 b
Ruscus 53 c
Rustica nardus 13 d
Ruta satiua 253 d
Ruta syluestris ibi.
Rhabarbarum 247 a
Rhaponticum 248 a
Rheon 247 a
Rheubarbarum ibi.

S.

Sabina 255 d
Sabucus 259 b
Sagitalis herba 120 b
Salix 258 a
Sambucus 259 b

Salitaris herba 241 b
Saliunca 276 d
Saluia 256 d
Sampſuchus 177 a
Sanguis Martis 13 d
Sanguinaria 54 c 260 b
Sana munda 136 c 218 d
Sanicula 205 b
Saturcia 260 d
Saulna 255 d
Saxifraga 262 b
Saxifraga alba 192 b
Saxifraga rubea 19 a. 124 d
Saxifragia 262 b
Saxifragum ibi.
Satyrion 251 b
Scabioſa 263 b
Schœnanthos 378 c
Scolopendria 264 a
Scolopendrion ibi.
Scordium 265 a
Scorodotis ibi.
Scrophularia 124 d. 265 d
Scylla 277 d
Sedum maius 40 a
Sedum minus 194 b
Seitaragi Indum 223 d
Semen fraxini 174 c
Semperuiuum 40 a
Senation 197 d. 266 d
Senecio 266 d
Septineruia 227 a
Serpentaria 87 d
Serpentaria minor 12 d
Serpillum 268 b
Serratula 38 c
Serica 159 a
Sertula campana 185 b
Seſama 271 b
Seſamum 272 b
Seſeli Maſſilienſe 271 a
Sicla 204 d
Siler montanum 272 a
Silicia 129 d
Silicula ibi.
Siligo 269 c
Siſamum 271 b
Sinope 270 b
Sinapi ibi.
Sinapis ibi.
Siſymbrium 44 d
Solanum 272 d
Solanum furioſum 304 c
Solanus 19 a
Solatrum 271 d
Solidago 98 b 234 c
Solſequium 82 a
Sonchus 208 d
Sparagus 273 d
Spatula fœtida 274 d
Spelta 275 b
Spica Celtica 276 d
Spica Indica 275 d
Spica nardi ibi.
Spica Romana 276 d
Spina alba 47 a
Spinaceum olus 277 a
Spinachia ibi.
Splenaria 63 a
Sponſa ſolis 71 b 28 a
Squilla 277 d
Squinantum 278 c
Staphis agria 279 b
Stataria herba 220 d
Stellaria 157 d
Stichas 279 d
Stichados citrinum ibi.
Strangularia 265 d
Strychnon ſatiuum 272 d
Supercilium ueneris 190 d
Symphiton maius 89 b
Syluamater 142 d
Syluestris cucurbita 86 d

T.

Tamarindus 280 b
Tamariſcus 280 d
Tamarix ibi.
Tanacetum 281 d
Tanacetum agreſte 216 b
Taraxacon 112 c
Taxus barbatus 282 d
Terebinthina reſina 283 d
Terebinthus ibi.
Tereniabin 284 b
Terræ corona 144 b
Teſticulus uulpis 261 b
Thapſia 284 d
Tilia 285 c
Tithymalus, um. 286 b
Thymbra 260 d
Thymolæa 85 d
Tormentilla 287 b
Tribulus marinus 290 a
Trifolium 130 c
Trifolium 288 d
Trifolium acutum 289 d
Trifolium cuculi 9 c
Trixago 77 c
Trixago paluſtris 265 a
Turbit 290 c

V.

Valeriana 291 a
Veratrum album 108 d
Veratrum nigrum 110 b
Verbaſcum 282 d
Verbena 292 b
Verbenaca ibi.
Vermicularis 294 b
Vetonica 295 a
Veſicaria 19 a
Veronica 38 c 295 a
Vibex 296 b
Victorialis 210 b
Vinca 296 d
Viola citrina 81 a
Viola lutea ibi.
Viola nigra, purpurea, muraña. 297 c
Viperina 87 d
Virga paſtoris 67 a
Viſcago 124 d
Viſcum quercinum 242 a
Vitex 27 c
Viticella 52 a
Vitis alba ibi.
Vitis nigra 53 b
Vitis uinifera 298 d
Volubilis 300 b
Volubilis magna 152 c
Vnguentaria 189 d
Vrceolaris 210 b
Vrtica 301 a
Vrtica iners 302 d
Vrtica labeo ibi.
Vrtica mortua ibi.
Vſnea 303 b
Vulgago 23 d 303 d
Vua canina 304 c
Vuæ paſſæ 211 b
Vua lupina 304 c 272 d
Vua Taminia 53 b
Vua uerſa 304 c

X.

Xilobalſamum 41 d
Xilon 51 c

Z.

Zea 275 b
Zedoaria 305 a
Zingiber 305 c
Zingiberi ibi.
Zinziberina 223 d
Zizipha 159 a

FINIS.

Register.

A.

Abiß 195 a
Abrahamsbaum 27 c
Algeyen 30 d
Alantwurtz 113 a
Alberbaum 231 d
Alrun 181 b
Ancken 55 d
Andorn 182 b
Antiffien 111 b
Apostemenkraut 195 a. 263 b
Aron 12 d
Arskitzeln 159 a
Attich 108 a
Augentrost 116 d

B.

Bachmintz 189 a
Baldrian 291 a
Balsam 41 d
Balsamkraut 44 d. 187 b
Balsammintz 44 d
Basilien 37 b
Baumnuß 202 d
Baum far 230 a
Baumwoll 51 c
Baurneppich 30 b
Beifuß 1 a
Beinwell 89 b
Benedictenkraut 136 d
Benedictenrosen 212 d
Benedictenwurtzel 136 d
Beningenrosen/Körner. 212 d
Berenklawe 44 a
Berentap 44 a
Bertram 241 b
Bertschen 280 d
Berwincken 296 d
Bestenaw 212 a
Betonienkraut 38 d
Beynhöltzlin 168 c
Bibenell 221 c
Biberwurtz 3 c
Bilsamkraut 153 b
Bingelkraut 189 d
Binetsch 277 a
Birck/Birckbaum 296 b
Birckwurtz 121 d
Biren/zam/wild. 224 b
Bißmintz 279 b
Boberellen 19 a
Bocksbart 80 b
Bonen 118 b
Boretsch 49 c
Bornwurtz 65 d
Borrich 49 c
Blattlose 294 b
Blawlilien 140 a
Blawmenderlin 77 c
Blůtkraut 54 d. 94 c. 260 b
Blůtwurtz 94 c. 287 b
Bracken Distel 158 b
Braun Beronien 38 d
Braunwurtz 265 a
Brennkraut 125 d
Brennwurtz 157 b
Bromberen 193 a
Bruchwurtz 11 c. 215 b
Brunellen 237 a
Brunnkresse 197 d. 266 d
Bůbenstreel 67 a
Büchampffer 9 c
Büchbaum 120 d
Büchsbaum 55 b
Burgel 233 b
Burtzeß 49 c
Bürtschen 280 d
Burtzelkraut 233 b
Butter 55 d

C.

Calmus 57 d
Cämeln hew 278 c
Camillen blůmen 56 c
Capperenrind/wurtzel/ vnd blůmen. 60 c
Cardamömlin 64 b
Carden benedict 65 d
Chriſtwurtz 105 d
Citronatapffel 85 a
Citrullen 98 c
Claret 184 a
Cypressenbaum 99 c
Coloquinte 86 c
Coriander 90 d
Costen 92 a
Creutzblůmlin 156 c. 208 b
Cubeben 96 c
Cucumeren 98 b

D.

Dactilen auß Indien 280 b
Dannen schwam 26 c
Darteln 103 d
Deñ graß 235 b
Dennenmarck 291 a
Dille 7 d
Diptam 106 a
Dolwurtz 304 c
Dost 206 b
Drachenwurtz 16 a
Dreifaltigkeitblůmen 156 c
Drußwurtz 165 d
Dünckel 275 a
Dunderbar 40 a
Durchwachs 215 b

E.

Eberwurtz 220 d
Edeldistel 65 d
Ehrenpreiß 295 a
Einbeer 304 c
Elend 158 b
Elephantenlauß 23 c
Elssen 2 b
Endivien 111 b
Engerling 76 b
Engelsüß 230 a
Eniß 8 c
Enzian 138 d
Epffel 231 a
Epffig 28 b
Epphew 242 d
Eppich 142 d
Erbßal 48 b
Erbßen 226 a
Erdeneppich 144 b
Erdenkrentzlin 144 b
Erdtapffel 303 d
Erdtber 130 c
Erdtrauch 132 b
Erdzwibel 277 d
Erlinbaum 79 d
Ernrosen 180 b
Eschbaum 131 d
Essig 34 a
Eychbaum 242 a
Eychfaren 124 a
Eychenmistel 242 a

F.

Faren 124 a
Feberkraut 72 a. 121 b
Fehedistel 47 a
Feigen 122 c
Feigbonen 175 d
Feigblater eppich 30 c
Feldtkümmel 272 a
Fellriß 207 b
Fenchel 128 b
Fewrbaum 159 c
Fichtennuß 222 c
Feigwartzkraut 265 d
Filtzkraut 100 b
Flachs 173 a d
Flachskraut 148 b
Flachsseiden 100 b
Fleyschblům 288 d
Flöhekraut 155 d. 216 d. 238 d
Floramor 226 b
Frawvenusbad 67 a
Freyschenkraut 156 c
Froschlöffelkraut 41 b
Fünffingerkraut 214 b

G.

Galgan 135 d
Gallöpffel 234 b
Gamenderlin 77 c
Garbe 190 d
Gariofilat 236 d
Garten ephew 28 b

Garten Jsop 260 d
Garten kol ibi.
Garten kreß 197 d
Gauch heyl 31 c
Gelbe lilien 16 a 140 a
Geele kle 185 b
Gele rüben 212 a
Gele schwerteln 140 a
Geelviolen 81 a
Gensterich 236 b
Genßzung 211 b
Gerst 151 b
Gewandt boten 119 c
Geyßblat 63 a
Gichtwurtz 106 a
Gineſt 138 a
Ginſteren ibi.
Golwurtz 15 a 78 a
Gottes gnad 147 b
Granat blümen 43 b
Granat öpffel 141 a
Graß 141 d
Grensich 236 b
Grensing ibid.
Griechisch heu 229 d
Grindt kraut 263 b
Grindt wurtzel 162 b
Groß klett ibi.
Grundtheyl 295 a
Guckauch lauch 9 c
Gundelreb 144 b

H.

Habern 21 d
Hanenfüß 218 b
Hanff 59 c
Harn kraut 148 b
Harstarck 220 d
Harstrang ibi.
Hartheu 216 a
Hartrigel 168 c
Haselnuß 202 a
Haselwurtz 13 d
Hasenfüß 218 d
Hasen hauß 208 d
Hasen klee 9 c
Hasen strauch 208 d
Haußwurtz 40 a
Hederich 246 a
Herculis wurtzel 199 a
Hertzgespan 56 a
Hertzkraut 186 b
Hertzwurtz 19 d
Heyd 195 d
Heydelbeer 53 d
Heydnisch blümen 197 a
Heydnisch wundkraut 15 a
Heymischer klee 295 a
Heyter nesseln 288 d
Himelschüssel 301 a
Hinschkraut 246 c
Hipocraß 3 c
Hirsen 184 a
Hirtzschwam 191 c
Hirten pfeiff 76 b
Hirten seckel 125 b
Hirtzwurtz 54 d
Hirtzzung 18 a
Hisop 264 a
Holder 354 c
Holtz mangolt 259 a
Holtzöpffel 225 a
Holwurtz 178 b
Honig 3 c
Honigtaw 284 a
Hopff 284 b
Hornungs blüm 152 c
Horwurtz 149 a
Hunds kürbissen 199 a
Hunds melde 52 a
Hunds mucken 35 a
Hundszung 189 d
Hüner biß 102 b
Hüner darm 31 c
Hüner köl ibi.
Hüner serb 31 c 268 b

J.

Jbisch 5 d
Jbisch wurtzel ibi.
Jelenger jelieber 76 d
Jndier nuß 204 b
Jngber 305 c
Jngrien 296 d
Johans treublin 248 d
Jsenhart 292 b
Jsenkraut 292 b
Judenkirschen 19 a
Judenleim 49 a

K.

Kanel 34 b
Kannenkraut 149 d
Kapskraut 64 d
Karten distel 76 a
Katzenleyterlin 276 d
Katzen mintz 187 c
Katzen treublin 294 b
Katzen wurtzel 291 a
Katzenzagel 149 d
Kellers hals 85 d
Kerbeln 75 b
Kertzenkraut 282 d
Kese 69 b
Kesten 70 a
Keusch lamp 27 c
Kirßbaum 74 b
Kissen ibi.
Kinnuß 222 c
Klebkraut 253 b
Klee 288 d
Klein Creutzwurtz 65 d
Kleyn klett 163 d
Kleyn schwertel 120 b
Knabenkraut 119 c 261 b
Knoblauch 10 b
Knollenkraut 265 d
Köle/rot köle 204 d
Kollerwurtz 199 a
Körbel kraut 132 b
Kornblümen 16 d
Kramerbaum 159 c
Krauch halß 147 b
Krauß distel 158 b
Kressen 197 d
Krotten dill 56 c
Künigs blüme 212 d
Künigs kertz 284 d
Kürbiß 96 d
Kutten 92 c
Küwurtz 87 d 189 d

L.

Lang holwurtz 4 d
Latich 160 c
Lauch 232 b
Lauendel 164 a
Leber kraut 145 b
Lein kraut 148 b 173 a
Leinsamen 173 d
Leußkraut 279 b
Liebstöckel 107 c
Lilien weiß/blaw. 169 b
Lindenbaum 285 c
Linsen 166 a
Lipwurtz 100 a
Lorber baum/beer. 264 d
Löwenfüß 22 d
Löwentapen ibi.
Lungenkraut 240 d

M.

Magdblüm 56 c
Magsamen 209 b
Mandelbaum 24 b
Mandelsüß/bitter. 24 b
Mangolt 45 d
Manstreu 158 b
Marien magdalenblümen 276 d
Maßliebe 234 c
Massüsselen ibi.
Maulbeer/baum. 294 a
Maur pfeffer 294 b
Mautrauten 61 d
May blümen 171 d
Meerdisteln 93 d 290 a
Meer hieß 292 b
Meerzwibel 277 d
Merrettich/Merich 144 a
Meld 35 a
Meussenkraut 186 b

Mengel

Mengelwurtz 6 d
Mengelwurtz 162 b
Mergendistel 47 a
Meter 121 b
Mer 184 a
Mertram 122 b
Meußohr 36 a
Meyeron 177 a
Meysterwurtz 19 d
Mintz 187 b
Mistmule 189 d
Mozen heymisch 212 a
Moß 303 b
Mottenkraut 279 d
Mundtholtz 168 c
Muscatenblümen 176 c
Muscatennuß 203 d
Mutterkraut 186 b
Mutterkraut 122 b
Myeß 303 b
Myrrh 196 b

N.

Nabelkraut 148 b
Nagelkraut 36 a 156 c
Nachtschatten 272 d
Naterwurtz 87 d
Negelin 137 b
Negelkraut 136 d
Nept 187 c
Nespelnbaum/frucht. 200 b
Nesseln 301 a

O.

Ochsenzung 49 d
Odermenig 11 c 117 c
Osterlucei 4 d

P.

Pappeln 178 d
Peonienblümen 212 d
Peterlin 219 d
Petersilgen ibi.
Pfaffenblatt 80 c
Pfaffenpint 12 d
Pfaffenstil 80 c
Pfawenspiegel 215 d
Pfawenkraut ibi.
Pfeffer 223 a
Pfefferkraut 223 d
Pfersingkraut 216 d 217 b
Pfifferling 76 b
Pflaumen 238 a
Pfriemmen 138 a
Popelnbaum 231 d
Poleyen 239 b
Porst 280 d
Pstilenkraut 238 d

Q.

Quidem 92 c
Quendel 268 b

K.

Rabenfüß 218 b
Raddistel 158 b
Ragwurtz 261 b
Rapuntzeln 146 d
Raßwurtzel 52 a
Raten/Raden 201 a
Rauten/wildrauten. 253. d
Reinblümen 279 d
Reinfaren 281 d
Reinweiden 168 c
Rettich 245 b
Rindsaug 127 c
Ringelblümen 58 c 80 c
Rittersporn 90 b
Rocken 269 c
Romisch köl 45 d
Römisch kümel 101 a
Römisch pappeln 180 b
Römischer spick 276 d
Rosenhonig/öl/safft. 249 c
Roßmarin 251 d
Rosenrot/weiß. 249 c
Rosensämlin 21 c
Roß schwantz 149 d
Rosyn 211 b
Roßwicken 207 c
Röte 253 b
Rotsteinbrech 124 d
Rotwurtz 287 b
Rüben 243 b

S.

Sadoney 260 d
Saffran 95 a
Salbey 256 d
Sanickel 105 a
S. Johans blům 80 c
S. Johans gürtel 1 a
S. Johans kraut 127 c 216 a
S. peters kraut 210 b
S. peters schlüssel 146 b
Saturey 260 d
Saur ampffer 6 d
Saurklee 9 c
Sawbonen 153 b
Sawdisteln 212 c
Sawfenchel 220 d
Sauruch 48 b
Sauwurtz 265 d
Schaffmilt 27 c
Schaffripp 190 d
Schaffwulle 27 c
Schaffzung 227 b
Schaffthew 149 d
Scharlach 235 c
Scharpffklee 289 a
Schoßwurtz 17 a
Scheißkraut 148 b 189 d
Scheißkörner 71 b
Scheißmeld 35 a
Schellwurtz 78 c
Schlangenkraut 87 d
Schlehen safft 218 b
Schlüssel blümen 20 c
Schluten 158 b
Schwalbenkraut 261 b
Schwalbenwurtz 146 d
Schwartz Christwurtz 52 a
Schwartz Coriander 201 a
Schwartzkimich 253. d
Schwartznießwurtz 279 d
Schwartzstickwurtz 281 d
Schwartzweinreb 168 c
Schwartzwurtz 245 b
Schweinsbrot 127 c
Schwertelblaw 80 c 90 b
Seeblům 269 c
Senetbletter 45 d
Senffkraut 101 a
Senff 180 b
Seuenbaum 276 d
Sibengezeid 249 c
Singrün 251 d
Sinnaw 249 c
Sisamöl 21 c
Sisamsamen 149 d
Sonnenkraut 211 b
Sonnenwendel 207 c
Sonnenwirbel 253 b
Spargen 124 d
Speckilien 287 b
Speckmalien 243 b
Spelt 275 a
Spica narden 275 d
Spitzwegerich 229 a
Spinckkörner 71 b. 85 b. 186 b
Spinckwurtz 286 b
Strabwurtz 17 a
Stendelkraut 261 b
Stendelwurtz 261 b
Stiernkraut 157 d
Steynbrech 261 b
Steynklee 185 b
Steynmintz 187 c
Stein petersilgen 28 b
Steynrauten 61 d
Stichkraut 47 a
Stickwurtz 52 a
Stoltzheinrich 87 d
Storckenschnabel 147 b
Süßholtz 174 d

T.

Tag vnd nacht 210 b
Tamariscbaum 280 d
Taubenkropff 132 b
Taubenrock 149 d
Tausentblatt 190 d
Tausentgülden kraut 72 a 190 d
Tausentschön 126 b
Taubnesselin 302 d
Terpentin 283 d

Teschelkraut 54 d
Teuffelsabbiß 195 a
Teutscher Ingber 12 d
Thymi blüm 214 a
Todtnesseln 302 d
Tormentil 287 b
Triblat 288 d
Tropffwurtz 230 a

V.

Versich 48 b
Versuch ibi.
Violen 297 c
Ulben baum 231 d
Unserfrawen bettstro 268 b
Unserfrawē flachs 148 b 173 a
Unserfrawen mantel 22 d
Unserfrawen mintz 187 b
Unzeitige schlehen 20 c
Vogelkraut 31 c
Vogelzung 174 c

W.

Waltfaren 124 a
Walthopff 216 a
Walt köl 225 a
Waltlilien 106 a
Walt mangolt 225 a
Waltmeyster 63 a
Walts bart 41 b
Walwurtz 89 b
Wandtleußkraut 274 d
Wasser 32 c
Wassermintz 189 a
Wasserpfeffer 155 d 210 d
Weberkarten 67 a
Wegdritt 235 b
Wegerich 227 b
Wegebreyt 227 b
Weggraß 235 b
Wegholder 159 c
Wegwart 82 a
Wegweise 82 a
Weidenbaum 258 a
Weinrauten 253 d
Weinreb 298 d
Weinstock 298 d
Weißbetonien 146 c
Weißdistel 47 a
Weißglocken 300 b
Weißköl 46 d
Weißmeerlinsen 166 d
Weißnießwurtz 108 d
Weiß senff 115 a
Weisser steinbrech 197 b
Wein weinreb 52 a
Welschhanbutten 159 a
Welschnuß 202 d
Wermut 2 b
Wicken 207 c
Wildampffer 6 d
Wildbappel 5 d
Wildegarben 124 d
Wilder Eppich 29 b
Wilder galgan 103 a
Wilderfenchel 220 d
Wild lattich 160 c
Wilderklee 185 b
Wilderknobloch 265 a
Wilderkürbs 86 c
Wildkreß 197 d
Wildmintz 189 a
Wildmoren 104 c
Wilder narduß 13 d 291 a
Wildpoley 268 b
wilde rauten 132 b
wilder scharlach 136 b
wildschwertel 15 a, 120 b
wilder saffran 95 d
wild salbey 28 a 117 c
wilder senff 246 a
wilder Turbit 284 d
winden kraut 300 b
winter grün 225 c
winter rosen 180 b
wisen kümel 101 d
wolff milch 116 a
wolffs milch wild 173 a
wolgemüt 206 b
wolffwurtz 279 b
wulkraut 282 d
wundelbaum 71 b
wundkraut 123 c
wundscherling 83 c
wurmsamen 281 d
wüterich 83 c
würschen 83 c
würtzerling 93 c

Z.

Zeer kraut 277 a
Zeitlosen 234 c
Zeitlosen 149 a
Zibeln 73 b
Zimetrind/rot. 84 b
Zitwen 305 a
Zwibeln 73 b
Zwibeln hisop 260 d
Zwiland 85 d

Ende des Registers.

LECTORI

LECTORI CANDIDO REINHARdus Lorichius Hadamarius S. D.

ECCE tibi nouus hic codex Herbarius, amplum
Venit inexhauſtę commoditatis opus:
Vnde ſalutiferis florum genus omne uiretis,
Dulcis & omnigenæ germine ſpirat odor.
Vnus habet modicis bona multa recluſa maniplis,
Quæ multi nimia garrulitate libri.
Turpia fallacis poſuit tectoria fuci,
Quę multis alĩj continuere locis.
Virtutes ueras, hic nomina uera uidebis,
Non feret ambiguam quęlibet herba fidem.
Ergo Phæacis quòd ſi uiridaria laudem,
Et meruere quibus clarus Adonis erat.
Si decus Heſperidum tulerant pomaria, Regum
Et quę Medorum conſita prata manu,
His nihil inferior debetur gloria ſcriptis,
Cum tibi commoditas non minor inde fluat.
Clarius ac nomen Dorſtenius ipſe meretur,
Accepit ſtudio lumina cuius opus.

FINIS.

ARTEMISIA.

ARTEMISIA.

Ἀρτεμισία.
Ἀνακτιρίος.

Artemisia.
Herba regia.
Olus regium.
Parthenis.

Beyfûß.
S. Johans gürtel.

DESCRIPTIO.

RTEMISIA à Græcis & Latinis eodem nomine appellatur, ab Artemisia uxore Mausoli regis, quę sibi hanc herbã uendicauit, dicta, uel ab Artemide Diana, quòd instar Dianę parturientes adiuuet. Græci, ut inquit Barbarus, Βασιλικὸν λαχάνον, id est regium olus, etiam appellauere. ob uirium enim pręstantiam apud Græcos & Latinos uaria huius herbæ fuit nomenclatura. Matricaria etiam à Latinis dicitur, quòd matricis doloribus medeatur.

Artemisia herba est, figura Absynthio & Abrotano similis, sed maiora tantum & latiora hæc habet folia, quæ extrinsecus candida; intrinsecus uero sunt uirentia, & odore acuto, sapore admodũ amaro. Caulem habet oblongum, flores uerò ut Chamomilla, producit.

Duo eius genera. Rubens caule ac floribus est rubicundis, Albicans altera, caule est albo, & flore flauo, radice fruticosa & candida. Nascitur ferẽ ad uiri altitudinem.

A TEMPERAMENTVM. C

Calefacit & ſiccat tertio ordine. Foliorum tantum eſt uſus in Medicina, & non radicis, & uiridia plus proſunt, quàm arida.

VIRES AC IVVAMENTA.

Decocta in uino & pota, mulieribus prouocat menſes. prodeſt quoq; ſi in balneo ſæpius ab inferiori parte, ſecundum umbilicum ſe ea lauerint ac fouerint.

Eadem uino ac ceruiſia decocta, & pota, ad difficilem partum conducit. Herba elixa dextro femori mulieris uel illis applicata, præſens adfert remedium, Sed ea quàm primum infans in lucem prodierit, inde eſt amouẽda, ne neglecta magnã adferat perniciem.

Si qua mulier mortuum in utero fœtum habuerit, bibat ex huius herbæ decocto, tum leniter liberabitur.

Contra uenena, & rabidorum animaliũ morſus ualde prodeſt, & in primis ſuccus ſi bibatur.

Artemiſia rubea uino decocta ac pota, menſtrua prouocat. Ex uino pota urinam ciet.

Redacta in puluerem & cum aqua apĩ temperata & pota, calculo lumborum ſupra modum auxiliatur.

Cum uino cocta & bibita, muliebrium locorum tumores, & omnia ibidem mala emendat.

B Eadem cum uino, foliis Chamomillæ, & ſaluia decocta, membra paralytica & ſtupida, ſi ex ea defricata fuerint, recalfacit & uires confirmat. B

Contuſa ficubus atq; myrrha admixta ſi fuerit, ſtomachum refrigeratum calefacit, ſi ſingulorum drachmam unam uino impoſueris, & ea potione uſus fueris.

Herbæ huius Radix ſumpta, tam potenter laxat & purgat, ut etiam fœtum ex utero mulieris uiuum aut mortuum expellat.

Medicinæ magis conueniunt huius herbæ folia, quàm radices, & utiliora ſunt uiridia quàm arida, & mulierculis ſterilibus præcipue conducunt.

Cum ſemine anethi in puluerem redacta & commiſta, ficus aut mariſcas ſanat impoſita. Parotidas quoq; eodem modo curat, ſi prius acuto ſcalpello locus fuerit ſcarificatus, & tum puluis inſperſus fuerit.

Oppilationem membrorum, ut ſplenis ac iecinoris, ex frigida cauſa prouenientem aperit, ſi quis tali modo uſus fuerit.

Artemiſiæ ac Scolopendriæ Manipulum unum, ac parum abſynthij, ſi quis acceperit ac ſimul in uino coxerit, & Zaccaro edulcauerit, hæc potio prodeſt ad Ictericiam, ſi parum Centaureæ admiſceatur. Et quicquid à potione herbarum reliquum fuerit, calidum

lieni eſt

A lieni est imponendum. Idem quoq; prodest si lien extrinsecus tumorem uel inflationem noxiam acceperit. C

Artemisia cum Taxo barbato in uino cocta, remedium præstat ad anum procidentem, si quis huic calido decocto insederit.

Artemisiam secum habentibus, negant nocere mala medicamenta, bestiamue ullam, & ne solem quidem:

Alligatam qui habet uiator, negatur lassitudinem sentire.

AQVA ARTEMISIAE.

Herba tantum distillatur in fine Maij.

Hęc aqua medetur Tussi, conciliat somnum, pellit uenenum, calefacit stomachum & confortat. decem dies pota prodest regio morbo laborãtibus., Quadraginta uero dies pota singulis uicibus ad iij. uel iiij. uncias, conducit ad hydropem: facit procrescere barbam illita., Tineas capitis exterit, lassitudinem & defatigata membra refrigerat illita: partus accelerat, bibita pondere uinus uncię: fœtum mortuum expellit pondere unc. iij. pota. Mala quoq; accidentia, & tumores, & alia reprimit et pellit quę mulieribus circa pudenda accidere solent. Vrinam ducit & calculos, Renes opilatos aperit. Venenorum quoq; unica antidotus est.

ABSINTHIVM.

B

D

NOMENCLATVRAE.

Ἀψίνθιον.
Βαρυπικρον.

Absinthium.

Wermut.
Elsen.

ABSINTHIVM ab ἄ privativa & ψίνθω hoc est à tangendo ex adverso per antiphrasin Græci nomen deflexerunt, quòd nullum animal ob eximiam amaritudinem hanc herbam attingat, Vnde & barypicron ab amaritudine & odore

A dicitur. Germani **Wermut** appellant, quasi prohibẽs alacritatem, C & fortè ob gustum ita appellarunt. Sacris Romanæ gentis celebratum quondam absinthium est: siquidem Latinorum ferijs certantibus in capitolio quadrigis, victor absinthium bibebat: sanitatem ut par est præmio dari honorificè tunc existimantibus Romanis, cuius seruandæ restituendæq; non parua meritò inter olera laus Absinthio debetur, tam multiplex uis est, & in firmãdo stomacho tam efficax.

DESCRIPTIO.

Absinthium caules habet ut Artemisia. Flores supernè luteos, instar herbæ, quam imperiti uocant Stichados citrinum, Radices infernè candidas & fruticosas.

Tria autem à Plinio diuersis locis, & item à Dioscor. Absinthij genera numerantur. Primũ est Absinthium Romanũ uel rusticum, quod & ponticum à regione, in qua optimum nascitur, appellatur. Aliud Absinthium marinum, quod & Seriphium dicitur, nobis quidem ignotum. Tertium Absinthij genus quod plurimum in Gallia ultra Alpes nascitur, quodq; incolæ gentis suæ uocabulo Sanctonicum à Santonum gente appellant, unde & semen Sanctonicum, quod in pharmacopolijs uenditur aduersus infantium lumbricos.

TEMPERAMENTVM.

D.

B Absinthium calidum primo gradu est, siccum tertio, astringenti, amara & acri simul donatum qualitate.

Succus ipsius herba multo calidior est.

VIRES AC IVVAMENTA.

Succus decem diebus continuis una uice potus ad quatuor drachmas, & in saccharo temperatus, conducit ad Ictericiam, & aquã intercutem, & multos etiam lienis & iocinoris noxios humores propellit.

Absinthium stomachum & epar confortat, Ciborum appetentiam excitat. morbis ex opilatione prouenientibus, utputa hydropi, & id genus alijs, medetur.

Lumbricos in uentre necat, & fortiter eos expellit, emplastro inde præparato in hunc modum. Recipe Absinthij quatuor uncias, euphorbij semi unciam, cornu ceruini combusti, unciam unam, his addatur uncia una fellis leporini, & mel admisceatur, Inde emplastrum factum, uentri imponatur.

Qui longa febre conflictatur, utatur succo Absinthij, saccharo temperato, statim febre leuabitur.

Si cui caput adeo dolet, ut somnum capere nequeat, accipiat Absinthium & herbam minutum contusam in aqua bene decoquat, & linteo

A lintheo impositam, capiti leniter circumdet ac circumliget, pulsati- C
les dolores remouebit, & suauiter dormire faciet.

Succus Absinthij per sicorum nucleis permistus, & auribus instil
latus, uermes aurium necat.

Auribus si manat sanies, cum aceto tritum infunditur.

Absinthium choleram, quæ stomacho aut epati cohæserit, ex-
purgat, & per urinam euacuat.

Cum uino elixum, & per diem una uice ad quatuor uncias à ieiu
no bibitum, hominem præseruat, ne sanguis in corpore putrescat.

Contra sugillata multum prodest, si mel & paululum optimi
uini, cum Cymino contuso addatur, & deinde commisceatur, &
emplastri modo imponatur.

Oleum ex Absinthio, auribus instillatum auditum restituit.

Absinthium oris graueolentiam emendat aceto permistum, si os
inde colluatur, Si uero biberis, lienis tumores discutit. Idem con
tusum & melle subactum, oculisq; illitum, hebetes oculos clarificat.

Ad lumbricos in aluo necandos, Accipe Absinthium, Marru-
bium & Lupinum, eodem pondere, & decoque in aqua mulsa uel
in forti uino, & aluo hoc impone circa umbilicum, tum absq; dubio
necantur.

Cum oliuarum oleo coctum, & uentri illitum, debilitatem sto-
B machi, & malitiam iecoris tollit. D

Aduersus ebrietatem ualet Absinthij succus cū melle permistus.
Menses mulierum obstructos idem trahit, si cum succo Artemisiæ,
myrrha & melle commistus, in modum pessi locis muliebribus sub
datur.

Succus quoq; Absinthij cum succo Boraginis & floribus Centau
reę decoctus, in sero caprino, lienosis ac frebricitātibus opitulatur.

Absinthium cum abrotano in lixiuio elixum, ualet contra deci-
dentes capillos.

Ad cruditatem stomachi, accipe Absinthium & rutam æquali
pondere, & admixto pipere inuicem contunde, & decoque in ui-
no, & ex eo bibe, hoc ualde confert stomacho, atq; eum expurgat.

Anginis quoq; subuenit cum melle & nitro. Absinthium uesti-
bus insertum, tineas arcet, Somnos allicit, olfactum: aut inscio sub
capite positum.

Ex Absinthio conficitur uinum Absinthite, quod stomacho ac-
commodatum est, & urinam cit. Ægre concoquentibus utile est,
locinorosis itidem, renum cum urinæ malo aliquo doloribus, suf-
fusis felle, cibum auersantibus stomachis, stomacho malè affectis, &
his quibus ex longo tempore præcordia tenduntur, utile itidem
inflationibus, rotundis alui lumbricis, & suppressis mensibus.

AQVA RBSINTHII.

A Absinthij aqua circa finem Maij distillatur.

Aduersus omnes febres hęc aqua saluberrima est. Conducit quoq; ijs quibus ex frigida causa caput indolescit.

Tormina intestinorū curare efficax est. Ad deijciendam aluum, econtrariò ad sistendam aluum nimiū profluentem, utilissima est.

ARISTOLOCHIA ROTVNDA.

B

NOMENCLATVRAE.

Αριστολοχία.
Τρογγύλη.

Aristolochia rotunda,

Holwurtz.
Biberwurtz.
Hinschkraut.

D

ANNOTATIO IN ARISTOLOCHIAM LONGAM.

ARISTOLOCHIA ut Dioscoridi placet, inde nomẽ sortita est, quòd ἀρίστη λοχευόσαις, id est puerperis egregiè salutaris sit, utpote quæ remoratos menses, hærentes secundas, & reliquias omnes à partu pellat. Romanis pariter & Græcis Aristolochia plerumq; dicitur. Malum terræ etiam à Latinis appellatur.

TEMPERAMENTVM.

Aristolochia rotunda herba est primo gradu calefaciens, secundo aũt siccans, libenter nascitur in senticetis, antiquis nemoribus, & frutetis, E radice prælongos caules in Martio profert, cubitali quandoque altitudine, in quorum summo flores sunt punicei aut candidi. Radicem ad modum iuglandis rotundam habet, intus concauam & colore croceam. Folia uero hæderæ terrestri similia producit.

GENERA EIVS.

Tria Aristolochiæ genera apud Dioscoridem describuntur, rotunda,

A tunda, longa & Clematis, quæ Sarmentosa dicitur, ob radices in C modum sarmenti complicatas. Plinius uerò quatuor species adinuenit lib. 25. cap. 8. Aristolochia longa mas existimatur: rotunda autem fœmina. Hæc duo genera notissima sunt, quibus in officinis utuntur.

Aristolochię rotundæ in medicinis maior est usus, quàm longę, & radices plus commendantur quàm folia. Radix effodienda est, priusq; flos erumpit. Ea miram efficaciam habet, absumit enim & expellit uenena, potestq; ad duos annos integra uirtute durare.

Rotundæ Aristolochiæ radicem, summopere pisces expetunt. Itaq; si contusam admixta calce, in mare sparseris, aduolant pisces mira cupiditate, continuoq; exanimati fluitant, idq; Plinius coram se factum testatur à piscatoribus Campaniæ, qui ob id hanc radicem, uenenum terrę uocabant.

VIRES AC IVVAMENTA.

Asthmatico ualde prodest Aristolochia, si paululum Gentianæ cum succo Glycyrrhizæ, quam officinæ liquiritiam uocant, addatur, & melle permisceatur, & eo utatur.

Pulmoni item utilis, pectori, ac tussi medetur.

Morbo Comitiali ac paralysi opitulatur, si quis sumat duas un- B cias Aristolochiæ, Euphorbij & Castorei singulorum drachmam D unam, & cum oleo oliuarum decoquat, & spinam dorsi à ceruice usq; ad anum, eo inungat.

Aristolochia in puluerē redacta & aceto temperata, ualde conducit, si inde scabies lauetur. Puluis Aristolochiæ uulneribus putrescentibus insperssus, ea curat, & Gangrænam in ijs consumit. Fistulas quoq; sanat insperssa, si prius lixiuio de betulis facto, aut aqua aluminis lotæ fuerint. In difficultate partus Aristolochiam in uino & oliuarum oleo decoque, quo parturientis uentrem perunge, & statim leuabitur.

Pluribus modis Aristolochia grauidis opitulatur, nam cum uino pota, myrrha & pipere additis, menses & secundas ciet, & emortuos fœtus extrahit.

Potest eadem, subditus ex eadem fœminis pessulus.

Eadem uino bibita medetur morsibus uenenatis, & aduersus potiones ueneno infectas conducit. Febres quoq; eodē modo sumpta pellit.

Aristolochia etiam salubris est illis qui apostemate lateris uel pectoris laborant.

Eadem cum aloe epatico in puluerem trita, & calce atq; melle in uinum subacta, tollit polypum uel cancrum, qui nasum obsedit.

A Puluis eiuſdem cū melle temperatus ad oris exulcerationem & ad gingiuas maximè confert, & omnia uulnera expurgat.

Ariſtolochia contuſa & cū radice Dictamni in puluerem redacta, & melle permixta & emplaſtri modo uulneribus impoſita, ſagittas atq; ſentes extrahit.

Eius radix in uino uel aqua cocta, facit ad laterum dolorem, & ad lienem, ſi quis inde potet.

In aceto decocta & dētibus ex eo collutis & fricatis, dealbat eos, & tollit dolorem.

Vulneribus eadem impoſita, ſaniem, ſagittas, oſſa fracta, & ſentes extrahit.

Radicibus uiolarum, & melle temperata, in modum emplaſtri, generat carnem.

AQVA ARISTOLOCHIAE ROTVNDAE.

Ad diſtillationem in medio Maij cum tota ſua ſubſtantia, minutim concidenda eſt.

Manibus inde friatis pellit tremorem.

Vulnera ex ea lota, ſtatim curat.

Lateris & lienis dolorem, pota mitigat..

Spaſmo ſubuenit, membris ex ea mane & ueſperi friatis.

Omnem perfrictionem in homine reprimit, mane & ueſperi, ſin B gulis uicibus ad duas uncias pota. D

Sæpius pota & articulis inde friatis, podagram diminuit.

ARISTOLOCHIA LONGA.

NOMENCLATVRAE.

Ἀριστολοχία μάκρα.

Ariſtolochia longa.

Oſterlucei.
Lang Holwurtz.

ANNO-

A

ANNOTATIO IN ARISTOLOCHIAM LONGAM.

ARISTOLOCHIA longa, est longo & alto caule, foliis C uiridibus pallore mistis, in agris libenter proueniens, Caule & internodijs similis Azaro, graui odore, floribus passim hauescentibus, radice candida, tenui & oblonga.

TEMPERAMENTVM.

Aristolochia longa tertio ordine calefacit.

VIRES AC IVVAMENTA.

In puluerem trita, & myrrha, æquali pondere commista, ac in uino calido sumpta, purgat matrices, fœtusq; ex utero mortuos expellit.

Cum radice Hibisci, plantagine ac melle impósita, mitigat podagram.

In puluerem redacta curat putrida uulnera.

Equis læsis ab ephippio, idē puluis uulneri utiliter inspergitur.

Aristolochia longa, & Aloepaticum æquali pondere cum melle rosaceo in modū emplastri formetur, utilissimum est, aduersus uetera & caua ulcera crurū, quæ prius oleo tartari, aut decocto myrrhæ debent mundari.

Suspiriosis opitulatur, & pectus expurgat puluis Aristolochiæ
B longæ, sumptus cum aqua mulsa.

Cum Dictamno pari pondere in uino decocta & colata, deinde D mane & uesperi pota, sagittas & surculos educit, mane & uesperi uulneri imposita, tum leniter curat.

Aristolochiæ longæ partes duæ, Gentianæ cum Acoro in puluerem contritæ pars dimidia, misceantur melle despumato, hoc asthmaticis saluberrimum est, & pectoris uiscosos humores discutit.

In puluerem redacta, & cum succo Rutæ illita, morsus uenenatorum animalium sanat. Pulueris autem drachma pota pellit uenena.

AQVA ARISTOLOCHIAE LONGAE.

Hæc cum tota substantia distillanda est in exitu Maij.

Hæc aqua salubris est ad podagram, spasmum, & uitiosa crura, si cum illa foueantur & fricentur.

Tormina uentris quoq; pellit, trium unciarum pondere mane & uesperi pota. Sic quoq; conducit ad morbum Comitialem, & lateris dolores.

Item tumores & corporis magnitudinem ex lassitudine prouenientem discutit, si prædicto modo bibatur. Sic etiam conducit ad destillationes capitis & ad spirandi difficultatem.

A mulieribus pota, pellit secundinam, & sanat lienosos, febribusq; medetur.

A Conuenit quoq; ad membri uirilis & genitalis mulierum pustulas, & quæ pascendo serpunt ulcera, si inde lauentur, & linteola in ea madefacta mane & uesperi super imponantur.

Spasmum cum podagra pellit, si membra sæpius eũ ea fricentur.

Valet item aduersus malitiam scabiosorum crurum, & ad uulnera profluentia, ex illa lota, aut lintea in ea madefacta illis applicentur: prodest ad exitum ani, si spongia in ea aqua immersa, calidæ imponatur: fistulas curat inde lotas, si quoq; panni lineiin ea intincti imponantur.

ALTHAEA.

B

NOMENCLATVRAE.

D

Ἀλθαία.
Ἰβίσκος.

Althæa.
Ibiscus.
Bismalua.

Jbisch.
Wild Pappel.
Jbischwurtzel.

ANNOTATIO IN ALTHAEVM.

ALTHAEA siue Ibiscus Romanis pariter & Græcis utroq; nomine dicitur. Tributũ ei nomen ab excellentia & multitudine remediorum. Si quidem nihil Althæa Græcis aliud est, quàm si à medendo medicamsimpliciter dicas, quibus ἄλφος in Medicina pharmacum remediumque, & ἀλφαίνειν uerbum mederi est. Officinis bismalua appellatur quia species maluæ est & foliũ mollius & duplo crassius habet quã ipsa simplex malua, Vulgò maluauiscus appellatur, quòd glutinosa sit radice.

DESC.

DESCRIPTIO.

Althæa prasino est colore, caule oblongo & alto, quem admodum Rosę, quę uulgo uocantur, rosæ refertę, in superiore parte, florem habet roseum, semina dictarum rosarum consimilia, folia sunt lanuginosa, mollia & rotunda, qualia azari. Radix longa, magna, uiscosaq;, intus candida cū multo humore, facilè nascitur ubicunq; plantatur, quotannis repullulando se ipsam reuocat.

TEMPERAMENTVM.

Habet uim natura calefaciendi, discutiendi, laxandi, inflammationem abigendi.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radix cum ipsa herba decocta, & duris apostematibus imposita, emollit ea.

Folia cum oleo oliuarum decocta ualent ad quemuis corporis exteriorem calorem, emplastri modo imposita.

Semē mollificat omnia dura & calentia apostemata, & sanat ea, Sic etiam conducit membris quę intumuerunt.

Radix cum semine lini elixa, emplastri modo ad anteriorem partem colli applicata, gutturis ulcera & abscessus emollit.

Semen Althææ cum hyssopo & dulci radice in aqua aut uino decoctum, & haustum, Tussim sedat, ex calida intemperie contra
B ctam, & facilem reddit excreationem. D

Semen cum uino coctum, & oleo oliuarum admixto, uitiliginem & quancunq; faciei decolorationem exterit atq; emendat, si cum eo lauetur.

Radix elixa & ambustis imposita, magnum extrahit calorem.

Ad rupturam interiorem, utere semine Althęæ, & ex eo bibe, inde curabitur.

Ad apium ictus, accipe radicem & cum aceto tempera, & illine, hoc statim opitulatur.

Semen quoq; in posca aut uino decoctum, bibitur contra omnes uesparum, apium ac similium aculeatos ictus.

Radix cum uino cocta, si inde bibas, ciet urinam.

Semen propellit calculum, qui lumbos obsedit.

Semen recens arefactum, deinde contusum, & cū aceto elixum, ac ad solem inunctū, asperam & scabiosam cutem leprosorū curat.

Radix cum uino decocta & pota, ad interiora membra quę plagis aut contusione aut casu fuerint rupta, conducit: Eadem cum aceto decocta, & ore inde colluto, medetur dentibus, & remouet dolorem gingiuarum.

Althęa in uino aut aqua mulsa elixa, & bibita, curat Apostemata thoracis, tumorem uulnerū & corporis, rumpit ulcera & strumas, ac faci

ac facit ad abſceſſus, ſecundum aures, quos parotidas dicunt, malagmatis modo impoſita.

Ex radice & adipe anſerino ſi fiat emplaſtrum & duris apoſtematibus, ulceribus, & membris ambuſtis imponatur, ſanat ea, ac calorem extrahit. Hippocrates uulneratis, ſitientibus defectu ſanguinis, radicis decoctæ ſuccum bibendum dedit, & eam uulneribus cum melle & reſina, item cõuulſis, luxatis, tumentibus & muſculis, neruis, articulis impoſuit. Suſpirioſis ac dyſentericis in uino bibendum præbuit. Vide Plin. lib. 20. cap. 21.

Decoctum radicis potum, prodeſt urinę difficultati, calculorum cruditatibus, coxendicum doloribus, tremulis ac inteſtinorum torminibus.

AQVA ALTHAEAE.

Tempus diſtillandi conueniens eſt à menſe Iulio uſq; ad Septembrem, tum radix contuſa debet diſtillari.

Hæc aqua cũ uino pota, medetur dyſenterię. Sanguinem mingentibus auxiliatur, ad tres uncias pota, & expurgat ueſicam, Pota uel impoſita ad omnes prædictos morbos conducit.

B

ACETOSA.

D

ὀξαλίς.

Acetoſa.

Saur Ampffer.
Wild Ampffer.
Mengelwurtz.

A

ANNOTATIO IN ACETOSAM.

C

ACETOSA Latinis ea herba est, quæ Græcis Oxalis dicitur, à saporis aciditate, quòd gratum acorem palato repræsentet, unde & in acetarijs magni est usus, & singularem habet gratiam. Est aũt oxalis apud Dioscordem & Plinium, genus lapathi, cuius descriptio omnino ostendit, eam esse Acetosam. Sunt qui eam à foliorum figura anaxyrida appellant, quoniam calceorum soleis, quos Græci aliquando ea uoce significant, similia sunt.

DESCRIPTIO.

Acetosę duo sunt genera, Acetosa maior, quę latiora habet folia caulem sesquicubitum, altum ac rubescentem, semine rubro in mucronem acuminato, quod foliaceo uestitur inuolucro, hæc partim seritur, partim sponte in incultis & pratis prouenit. Secundum genus, quod Acetosam minorem uel agrestem appellant, quæ multo minora & numerosiora folia habet, caulem uiridem & gracilem, semen paruum & album, ea mulierculæ in ardore febrium utuntur, contusa enim & cum sale imposita, mire refrigerat, Maior autem Acetosa, uirtute & bonitate hanc superat.

TEMPERAMENTVM.

B Acetosa refrigerat & siccat in tertio ordine. D

VIRES AC IVVAMENTA.

Acetosa comesta tollit fastidium, & appetentiam ciborum excitat. Eadem cum Barba Iouis contusa, & aceto temperata, atq; imposita, sacros ignes atq; inflammationem sanguinis restinguit.

Omnes species lapathi, ut Dioscorides inquit, molliunt aluum, si olus coctum edatur.

Folia cruda illita, melicerídas, rosaceo, aut croco addito, discutiunt.

Acetosa contusa, & oculis applicata emplastri modo, tumorem pellit, & sanat uitiligines, leucas, & alias cutis maculas prauas, etiã emplastri modo imposita. Eodem modo medetur ambustis. Semẽ, herba, & radix ad prædictos morbos eandem habent facultatem.

Succus Acetosæ temperatus oleo oliuarum, & capiti illitus, remouet magnũ capitis dolorem ex calida intemperie proueniente.

Cum uino pota uel comesta, discutit quosuis morbos ex calore contractos, ut Icterum, ex iecore uel splene ortum. Eodem modo pota, auxiliatur mulieribus quibus menses diu durauerint, & præcipue si semine utantur.

Semen lumbricos pellit, & ad uenena conducit, tum in primis ad uenenatorum animalium morsus atq; ictus.

A Succus acetosæ oculis circumlitus, reddit eos clariores. C

Idem auribus instillatus, interiorem tumorem discutit,

Acetosa in acetario sumpta, choleræ impetum restinguit.

In uino aut aqua aduersus dysenteriam uel fluxum hemorrhoydum utiliter bibitur.

Eadem conducit aduersus ebrietatem.

Radix in uino cocta doloribus aurium dentiumq; prodest, si colluantur illo decocto.

Radicem Acetosæ, quidam contra strumas in collo suspensam gerunt.

Semen in uino elixum, omnes alui fluctiones sistit, lienis tumores ac dolores aceto discutit.

Radices coctæ cum aceto, uel crudæ, lepras & impetigines impositæ curant, atq; scabros ungues. uerum oportet locum antea, nitro acetoq; in sole confricatum præparare.

Decocti succo corporis pruritus remouetur, si in balneo ex eo foueatur & fricetur.

Acetosa uirtute & facultate conuenit cũ Sẽperuiuo & portulaca.

AQVA ACETOSAE.

Acetosa distillanda est cum tota substantia in uere.

Aqua Acetosæ cum Theriaca temperata, ualet aduersus pestem,

B

D Pota conducit ad quosuis internos calores, sedat sitim, salutaris est iecori et spleni, bibita & linteolis imposita.

Sacris ignibus medetur applicata, & bibita, conducit ambustis, pellit morbum Regium, Discutit febres, tum quoque parotidas.

Deniq; conducit ad omnes morbos prædictos.

ANETHVM.

NOMENCLATVRAE.

Ανηθον.

Anethum:
Anicetum,

Dille.

ANNO.

ANNOTATIO IN ANETHVM.

A ANETHVM Romani pariter Grecis dicunt. Dioſco. lib.3.cap.60. Anicetum quoq; uocari tradit, quo nomine Græce appellantur ea, quæ cibi appetentiam faciunt. Paulus Ægineta ipſum uocat anemion.

DESCRIPTIO.

Anethum omnibus nota herba eſt, Seritur non minus coquorũ quâm medicorum gratia, ut inquit Platina. Naſcitur herbaceo colore ad modum fœniculi, uerum caule non uſq; adeo alto, ſuperius umbellam habet luteis floribus refertam, & libenter inter olera hortenſia prouenit. Radix eſt lignoſa & albicans.

TEMPERAMENTVM.

Anethum, ut inquit Ægineta, calefacit in ſecundo ordine intenſo, ſiccat paulò remiſſius.

VIRES AC IVVAMENTA.

Somnum conciliat, ſi quis utatur, & in primis oleo Anetino capiti illito. Antiqui, ut Galenus ſcribit, uiridi Anetho uti ſolebant ad ſomnum conciliandum, coronis inde factis, & capiti applicatis.

Succus uel oleum Anethinum ualet ad auriũ dolorem, calidum inſtillatum.

Cibo frequenti oculos hebetat, genituram extinguit. Si nutrices uel mulieres lactantes puerum, utantur ipſa herba, uel ſemine, B lactis copiam generat, & præcipue ſi cum iure ex lentibus parato, ſumatur.

Anethum cum papauere decoctum & commiſtum ac potum, ſiſtit uomitiones. Tormina & inflationes uentris ſedat.

Semen crematum illinentibus condilomata tollit. Idem fluxũ ani, unde mariſcæ ſolent exoriri, ſanat, puluere inſperſo.

Cinis ex Anetho confert ad omnes ani morbos, & dolorem pudendorum, Tum quoq; humentibus ulceribus utiliter illinitur, & potiſſimum iis, ut uult Galenus, quę in pudendis conſiſtunt.

Decoctũ anethi ſi ſumatur, ualde prodeſt ſtranguria laborantib.

Anethum cum Zaccaro decoctum, & oleo uinoq; permiſtum, conducit matrici, pellit ſecundas, trahit menſes, ſi pondere duarum drachmarum bibatur.

Decoctũ Anethi bibitũ, optime prodeſt ad frigiditatẽ pectoris.

Semen feruens arefactum, ſingultus cohibet.

Idem ſumptum ex aqua, mitigat cruditates.

Semen Anethi atq; urticæ, pari quantitate in puluerem redactũ & aqua muſſa permiſceatur, ac cataplaſmatis modo mariſcis imponatur, præſens erit remedium.

A Epiphoris radix illinitur ex aqua uel uino. C
Anethum quoq; cum maſtiche decoctum, uomitum reprimit.
Cerebrum atq; ſtomachum confortat, ſi edatur.
Oleum Anethinum dolori uenarũ & paralyſi ſubuenit, unguento Dialtheæ permixtum,
Semen in aqua decoctum, mulieribus inſidentibus, tollit dolorem matricis.

AQVA ANETHI.

Anethum in fine Maij cum tota ſubſtantia diſtillatur.
Aqua ea pota, & temporibus capitis affricata & illita, conciliat ſomnum & quietem. Mulieribus lac proritat, Inflationes corporis diſcutit, concoctionem adiuuat.
Tumorem & ulcera pellit, ſi lintheolis imponatur. Venerem minuit, ſi bibatur.

ANISVM.

NOMENCLATVRAE.

Ανισον.
Aniſum.
Cyminum dulce.
Ænis.

ANNOTATIO IN ANISVM.

B ANISVM, Latinis & Græcis, hoc nomine cognitum, D
quod etiam Anicetum uocatur, quoniam Anethi modo, inquit Barbarus, appetentiam ciborum præſtat. Vulgus medicorum Romanum fœniculum appellat.

DESCRIPTIO.

Aniſum omnibus eſt notiſſimũ, in pinguiori terra libenter naſcitur, cubitali altitudine, foliis circinatis, ſemine fœniculo ſimili, flore luteo, radice infernè candida. Viride, & quod magna habet grana, optimum cenſetur.

TEMPERAMENTVM.

Aniſum calefacit atq; ſiccat in tertio ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Conditum cum Zaccaro, ut ſcribit Platina, turgidas aluos exonerat, Vapores caput petentes reprimit, oris halitum iucundiorem facit, fœtoremq; tollit.
Aniſum ſuffitu naribus hauſtum, confert ad faciem inflatam, & capitis dolores, & uertiginem ſedat.
Contuſum & oleo roſarum admixtum, & auribus inſtillatum, auditum emendat.
Oleum ex Aniſo, ac fœniculi ſemen, mulieribus lactis copiam procreat.

Aniſum

A Aniſum ſitim arcet, obſtructo epati ſuccurrit, & urinam ciet, manducatum. C

Malos humores diſijcit, & tormina uentris cohibet, & inflationes diſcutit.

Purgat fœminis matricem & malas humiditates.

Venerem ſtimulat tam uiris quàm mulieribus: uiris in cibo comeſtum, genituram auget, Veſicam & renes obſtructos aperit.

Cum fœniculo decoctum, confert diuturna febre laborantibus, pellit uenenum.

Aſſidue comedentibus, auget naturalem calorem.

Quocunq; modo quis utatur Aniſo, inflationes reprimit, quæ inteſtina indurant, & ſtomachum grauant.

Calefacit epar, & concoctionem adiuuat.

Aniſum in uino elixum, & cynamomo atq; maſtiche cõmiſtum, utiliter ſumitur aduerſus grauem eructuationem, ex frigido & crudo ſtomacho contractam.

Cum lingua ceruina, quam officinæ uocant Scolopendriam, commiſtum, ualet ad oppilationem epatis atq; ſplenis.

Bibitur utiliter ſubeuntibus cutem aquis, diſcutit tumorem.

Conducit ad omnia genera Hydropis, & albas fluctiones fœminarum ſiſtit.

B Puluis ex Aniſo ſacculo inditus, & in uino calefactus, mulierum pudendis ſi applicetur, attrahit, expurgat eas ab omni immundicia. D

Conciſum auribus fractis infunditur cum roſaceo. Ad affectiones oculorum conducit, ſi qua oculis inciderunt detrahit, uel ſi plagis uel contuſione læſi fuerint, ſi modo contuſum in aqua coquatur, & calidum imponatur. Eodem modo illitum, narium ulcera conſumit. Contritum in puluerem & temperatum melle, Hyſopo & aceto, ac coctum, fiat gargariſmus ad Squinantiam. Sic quoque paratum cum uino, & comeſtum, ualet ad thoracis apoſtemata, & ad tuſſim. Cum caſtoreo ſumptum, confert ad tumorem ſtomachi & inteſtinorum.

Strangulationes uuluæ, ſi manducetur uel bibatur cum aceto & melle, ſedat.

Inſomnia leuat, ut inquit Plinius, ſuſpenſum in puluino, ut dormientes olfaciant. Parturientibus propinatur cum Anetho.

Pythagoras corripi comitiali morbo negat in manu tenentes, ideo quãm plurimum domi ferendum.

Cum uino ſumptum ſudorem leniter præſtat.

Veſtes quoq; à tineis defendit.

Thoracis pituitas purgat toſtum, & cũ melle ſumptum melius.

Dyſenteriam cohibet & Teneſmum, Aniſum toſtum, non enim

A aliud utilius uentri & inteſtinis putant.

Calefacit membra, dolores lumborum & matricis mitigat.

AQVA ANISI.

Herba iam matureſcens cum ſemine diſtillatur, Et ad omnes morbos prædictos ea aqua ſalutaris eſt.

ALLELVIA.

NOMENCLATVRAE.

οξυς.
οξυτριφύλλον.
Alleluia.
Panis cuculi.
Trifolium cuculi.
Guckgauch klee.
Saur klee.
Haſen klee.
Buch Ampffer.

ANNOTATIO IN ALLELVIA.

B ALLELVIA herba eſt, quam officinæ etiam Trifolium acidum Latine appellant, Vulgus uero panem cuculi. Oxys Plinio nominatur, ab acido ſapore, ut Ruellius teſtatur, Eam Hieronymus Tragus primi nominis Medicus, putat eſſe Oxytriphyllon, quod eſt genus Trifolij, Septem enim genera Trifoliorum idem recenſet, quemadmodum & Ruellius & Brunsfelſius in primo Tomo ſimplicium Pharmacorum, quos quilibet herbarum & medicinæ ſtudioſus de hac re legere poteſt. Marcellus duo ponit genera, cum inquit: nobis ex his quę diu obſeruauimus, in eam partem inclinat animus, ut duo ſint Trifolij genera, commune & pratenſe, hoc omnibus notum, & acutioris folij: alterum, quod Græci Oxytriphyllon dixerunt. D

DESCRIPTIO.

Alleluia ſeu panis Cuculi, herbula eſt acido ſapore prædita, ut Acetoſa, Trifolio ſimilis eſt, longis tantum pediculis, tria tantum in ſummitate folia proferentibus. Flore candido, rufo in lunatis ſiliquis fœtu, radice in transuerſum longa & fruticoſa, in truncis arborum deſectarum & locis petroſis libenter prouenies, In hortis quoque plantari poteſt. In acetarijs ea utuntur, iucundo ſapore.

TEMPERAMENTVM.

Herba eſt frigida & ſicca, & in primis ſemen, folia humiditatem quandam in ſe continent, Eadem nempe, qua Acetoſa pollet facultate.

VIRES

VIRES AC IVVAMENTA.

Herba auxiliatur doloribus capitis & thoracis, & ualet ad oppilationem epatis & splenis, præterea ad uentris tormina ex frigida intemperie contracta.

Conducit ad oris Aphthas, quæ pueris uel etiam adultis periculosæ sunt, masticata, uel succo in ore retento.

Succus omnes malas pustulas oris emendat.

Idem cum aqua aluminosa temperatus, fistulas oris sanat.

Herba cum uino decocta, & myrrha permista, si os inde colluatur, oris dolorem & gangrænam gingiuarum curat.

Prodest calida complexione præditis. Sitim sedat, Refrigerat epar, & cor confortat.

AQVA PANIS CVCVLI.

Aqua pota salutaris est ad pestem, & ad omnes supra scriptos morbos.

ALLIVM.

B NOMENCLATVRAE. D

Σκόροδον.

Allium.

Knoblauch.

ANNOTATIO IN ALLIVM.

ALLIVM, Latini uocant à Græco uerbo ἄλλεσθαι, id est, quòd exiliendo crescat. Græcis autem Scorodon dicitur, ut Aristophanis enarrator in Pluto tradit, quasi σκαῖον ῥόδον, id est, rudis & iniuria rosa, quòd asperè supra modum redoleat, & olfacientium nares offendat.

DESCRIPTIO.

Allium est alba cepa, pluribus coagmentata bulbis, & nucleis, in alba & benè stercorata terra optimè proueniens. Si maturum sub terra manserit, regerminat. Secundo anno semine prouenit. Non semen seri debet, quòd tandem sit uenenum, si sæpius seratur, Sed

A ſpica uel nuclei, qui liratim diſponentur, digitorum quatuor ſpacio diſtantes, ſpicæ uero ſint diuiſæ, ut in puluinis poſitæ, minus infeſtentur aquis hyemis, matureſcentis caulis depreſſus in terram obruitur, quo capita fiant uaſtiora. Columella inter hortorum delitias numerat allium, non contemnendum ſanè in ruris honore & hortorum diſciplina locum inuenit, honeſtum enim ac gratum ruſticæ plebi obſonium eſt ac medicina. Quare & Marſilius Ficinus Allium theriacam ruſticorum appellat. C

Dioſcorides duo allij genera ponit, ſatiuum ſiue hortenſe, aliud ſilueſtre, quod ophioſcorodon, quaſi anguinum Allium nominant. Reperiuntur & plura Alliorũ genera, apud Plinium & Theophraſtum, quæ hic enumerare nimis prolixum eſſet.

Allium quo plures habet nucleos, eo aſperius eſt.

Halitum edentibus reddit inſuauiorem.

Verum ad amoliendam odoris tetri fœditatem, betæ radicem in prunis toſtam, ſuperediſſe conuenit. Edentibus halitus tædium fertur aboleri, ſi crudam fabam ſuper manducarint. Vel ſi rutam ſuperederint. Aiunt, allium ſi luna ſub terris poſita ſeratur, & item ſub terris luna latente, uellatur, odoris fœditate cariturum.

TEMPERAMENTVM.

Allium calefacit ſiccatq; in quarto gradu, ut inquit Ægineta,

B Cepa, allium, porrum, ut idem teſtatur, primo libro, aeri uirtute donata ſunt, corpus calefaciũt, extenuant, & craſſos in eo humores incidunt. Cholerici cauebunt ne utantur allio, & maximè temporibus calidis, quia totũ corpus inflammat & deſiccat, & Choleram rubeam ac aduſtam auget. D

VIRES AC IVVAMENTA.

Allium, interiorem corporis tumorem diſcutit. Apoſtemata emollit & aperit, ſaniemq; educit, elixum & impoſitum.

Cum ſucco Allij, ſi caput ungatur, necat pediculos & lendes.

Bibatur etiam Allium magna utilitate cum origani decocto, ut Dioſcorides ſcribit, contra pediculos & lendes.

Capillorum defluuijs, quas alopetias dicunt, medetur alliorum cinis cum melle ſubactus & inunctus.

Eodem modo illitum, uitia cutis emendat.

Cinis ſanat mala ulcera quæ aperta ſunt, ſi inſpergatur.

Idem cũ melle & butiro uernali ſubactus, leuigat cutẽ, ſcabie & lepra infectam, ſi à balneo inungatur. Allij officit oculorũ claritati.

Decoctum & ſumptũ claram reddit uocem, & antiquę medetur tuſſi, ac thoracẽ expurgat infrigidatũ. Stomachi humiditatẽ exiccat

Allium cum ipſa herba coctum in uino, & potum, urinam promouet, mulieribus menſes mouet, extrahit ſecundas, ſi uenter eo inungatur.

A inungatur. Quin etiam ſuffitu hoc præſtare poteſt Allium, ſi mu- C
lier in ſella excauata ſedens, ab inferiori parte ſit obtecta.

Allio uſus, à nullo uenenato animali læditur. Contuſum cum foliis ficuum & floribus Chamomillæ, pari menſura, & emplaſtri modo impoſitum, morſus rabidorum animalium ſanat.

Odor allij fugat quoſuis uermes uenenatos. Si quis Allio prę-ſumpto feriatur à ſerpente, nullam inde trahet noxam, neq; ſi uenenum hauſerit, ei nocebit.

Cum aceto decoctum & cum aqua mulſa potum, latos lumbricos, & noxia quæuis interanеorum animalia pellit. Idem cũ oleo oliuarum elixum, ſanat animalium uenenatorum morſus, in pedibus & alijs quibuſuis corporis membris. Hoc unguento remouentur ueſicæ incomoda & tumores, ſi extrinſecus illinatur.

Cum lacte decoctum pulmonis ulcera ſanat.

Allium cum centaurea in uino decoctum, & ſumptum, pellit hydropem, ex frigida cauſa contractum.

Contuſum & Coriandro permixtum, atq; ſic cũ uino ſumptum lumborum doloribus, & difficultati urinæ opitulatur.

Cum fabis coctum & contuſum, & temperatum oleo oliuarum uel papaueris, unguentum inde factum ualde conducit ad dolorem capitis, temporibus illitum. Aſſiduè edentibus inducit dolorem
B capitis, & impurum reddit ſanguinem. D

NOCVMENHA EIVS, EX PLINIO.

Vitia eius ſunt, ut inquit Plinius, quòd oculos hebetat, inflatiões facit, ſtomachum lædit, copioſius ſumptum, ſitim gignit. In totum autem coctum utilius eſt crudo, elixumq; toſto.

Allium decoctum & toſtum cum maſtiche & pyretro, & contritum in puluerem, eo decocto ſi os colluatur, dentiũ doloribus multum auxiliatur.

Dentium dolores etiam leuat, ut autor eſt Dioſcorides, ſi cum teda & thure coquatur, & illud decoctum ore contineatur.

Magnæ utilitati Allium eſt ijs qui concoctionis munia obire nõ poſſunt. Vnde & operarijs & ruſticis conducit, qui plerumq; aquã bibunt, & cibo frigido, duræq; concoctionis utuntur.

Nec minor efficacia contra aquarũ, & quorumcunq; locorum mutationes, quando ueſcentes eo, nec aquarum uitio, nec cœli mutatione tentari, neq; infeſtari conditione regionis patitur,

AQVA ALLII.

Hæc aqua diſtillanda erit in diebus Caniculariſbus.

Conducit ad anginam, & gutturis tumores, ſi linteola in ea madefacta, applicentur, & duab. uncijs bibatur, uel gargarizetur, uſq; dum meliuſculè fiat. Ad omnes prædictos morbos, pota quoq; ſalutaris eſt.

AGRI.

A

AGRIMONIA.

C

B

NOMENCLATVRAE.

Ἀργεμώνη.

Agrimonia.

Odermenig.
Bruchwurtz.

D

ANNOTATIO IN AGRIMONIAM.

AGRIMONIAM pharmacopolæ passim corrupto uocabulo dicunt pro Argemone, quę sic à ueteribus appellata est, ut inquit Vergilius Marcellus, quōd oculorum & lucis uitio, quod Græci argema uocant, illita medeatur, Quæ autem sit uera Argemone uel Agrimonia, adhuc medicis non satis constat, eius enim usus & cognitio hodie omnis intercidit. Nam iuxta iudicium & sententiam Hermolai Barbari, Leoniceni, Antonij Musæ, & aliorum doctissimorū medicorum, Agrimonia illa, cuius in officinis usus est, uerum Eupatorium est Dioscoridis, Et hoc quilibet per se iudicare potest, si modo picturam & descriptionem Eupatorij Dioscoridis contulerit cum hac herba, quam uulgò uocant Agrimoniam. Quare quisquis est medicorum qui posthac Eupatorio uti uelit, Agrimonia Eupatorij loco utatur confidenter, cum tot sint præstantes medici autores, qui hoc conducere existimant: neq; est quòd aliquis credat, Eupatorium esse quod agrestem Saluiam uulgò appellant, quum hoc à Dioscoridis descriptione ualde alienum sit.

DESCRI

A DESCRIPTIO. C

Agrimonia seu potius Eupatorium, surculosa est herba, simplicis scapi, tenuis, lignosi, subrecti, nigricantis, hirsuti, cubitalis, aliquando & amplioris, folio per interualla inciso, & magna ex parte quinquepartito, aut amplius diuiso, quinq; folij aut canabis similitudine, nigro & ipso, extremitatibus serratis.

Semen è medio caule cum luteis floribus circà, prosilit pilosum & hirsutum, inclinatum in terram, ut cum inaruerit inambulantium quoq; uestibus adhæresci t.

TEMPERAMENTVM.

Hæc herba calida & sicca est in secundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Viridis contusa, & succus bibatur, pellit pestem in homine exortam. Eodem modo quoq; omnia interiora ulcera discutit.

Succus bibitus, ictis à uenenatis animalibus conducit. A cane rabido morsus, loco læso herbam contusam cum succo imponat.

Succus potus tormina uentris leuat. Viridis & recens contusa, & malignis ulceribus imposita, unde lupus morbus prouenit, sanat ea.

Cũ aceto tẽperata, uerrucas remouet, emplastri modo imposita.

Lienosus si agrimonia & Ambrosia in cibo utatur, præsentaneum sentiet remedium.

B Radix cum uino elixa & sumpta, paraliticis membris subuenit. D

Agrimonia in cibis sumpta, ualde confert cancro laborantibus. Tollit omnem immunditiam capitis uel alterius partis in corpore, si inde lauetur. Succus malignam scabiem quæ serpendo crescit sanat. Contusis articulis impositus medetur. Idem illitus, membra plagis uel flagris cæsa curat. Fatigatus longo itinere, lauet pedes decocto Agrimoniæ, lassitudinem leuabit.

Potu sumpta omnes interiores corporis dolores sedabit, qui calculo laborant, ex calore uel siccitate prouenient, in sudatorio se cũ ea lauabunt. Succus cum aqua Acetosæ temperatus, confert ad calidos abscessus, qui quandam pestis speciem præ se ferunt.

Puluis ex Agrimonia profundis uulneribus aut fistulis insperssus, mire sanat.

Agrimonia simul cum radice Inulæ Campanæ in aheno decocta, si quis mane & uesperi articulos infrigidatos & cauatos in eo decocto lauerit, intrà octiduum eos sanat.

Folia contusa cum bona axungia, ualent ad malefica ulcera, Cacoëthe Græci uocant, quæ uix cicatricem recipiunt.

Si quis bibat ex uino in quo radix, herba & semina macerata sint, conducit ad dysenteriam & iocinoris uitia, & serpentium ictibus medetur.

AQVA

A

AQVA AGRIMONIAE SEV EVPATORII.

C

Herba colligitur & distillatur in Maio.

A qua medetur Tussi,& necat omnes corporis lumbricos, à quibus si pueri infestantur, ualde prodest si ad ij. uncias biberint.

Conducit ad aquam intercutē, articulis sæpius ex ea perfricatis.

Medetur quoq; Ictericiæ, mane & uesperi duabus uncijs pota.

Secretum experimentum est ad discutiendam febrem quartanam, si quis mane & uesperi singulis uicibus iiij. uncias in potu sumat.

Confert etiam ad uermes arcendos & necandos, qui in putridis ulceribus procreantur, si in de lota fuerint, purgat & sanat ea.

Gargarizata curat exulcerationem oris uel gutturis.

ARON.

B

NOMENCLATVRAE.

Ἀρον.

D

Aron.
Barba Aaron.
Serpentaria minor.
Iarus.

Aron.
Pfaffen pint.
Teutscher Ingber.

ANNOTATIO IN ARVM.

ARON Græcis & Latinis eodem nomine dicitur. Varia est huius herbæ apud recentiores nomenclatura. Quidam, quòd dracunculum æmulatur, sola magnitudine discrepans, Serpentariam minorem appellarunt, Alij quòd folium effigie bubuli uestigij prodeat, pedem uituli nominarunt. Vulgus quòd pistillum promit exerti ferè genitalis effigie, Sacerdotis mentulam uocat. officinæ corrupto uocabulo, Iarum appellant, uel Barbam Aaron, quòd Barbę sectæ figuram repræsentet.

DESCRI-

DESCRIPTIO.

A

Aron planta est tenera, duorum aut trium foliorum, Dracunculo similium, sed minorum, & paucioribus respersorum maculis, scapum habens dodrantem, in purpuram leniter tendentem, & pistilli forma fastigiatum, super quem fructus racematim aggestus insidet, acinis primum uirentibus, deinde cum ematuruerunt, croceo colore rutilantibus. Radix illi candida & fruticosa, Duæ autem radices cohærent, quarum una cum increscit, altera marcore perit. Nascitur libenter in antiquis nemoribus, senticetis, & umbrosis locis. Numerabatur quondam serebaturq; inter olera hortensia Aron, ut Dioscor. Plinius, & Theophrastus testantur, quare etiam nonnulli dubitant, num nostri orbis Aron, cum antiquorum Aro conueniat, Posteaq; radix quæ apud illos in ciborum usu erat, nūc temporis tantam acrimoniam habet, ut quasi damnata sit, & in cibis nullam habeat gratiam.

C

TEMPERAMENTVM.

Aron ut Ægineta inquit, calore & siccitate primi est ordinis, uerum alij propter magnam acrimoniam quam habet, uolunt, quòd in tertio ordine calefacientium & siccantium sit, quod etiam uerisimile est.

Virtus eius consistit non solum in herba, uerumetiam in semi-

B bus & radicibus.

D

VIRES AC IVVAMENTA.

Radix cum fimo bubulo emplastri modo imposita, podagris prodest. Eadem extrahit multos malos humores & hominem macilentum reddit in cibo sumpta.

Aron cum radice contusa, & succo inde poto pestem tollit.

In cibo sumpta ualde confert ad opilationem thoracis & ad pulmonem male affectum, & humores uiscosos in thorace & pulmone detentos per sputum reijcit, & cor hominis refocillat.

Si cui nigræ & malignæ pustulæ erumpunt, ut Carbunculi, quę letales sunt, hanc herbam uel radicem edat, ea noxios calores sedat, & tollit uenenum pustularum, ac sanat eas. Qui adeo ueneno infectus fuerit, aut peste correptus, ut præ debilitate loqui non queat, folia Ari cum sale temperata, edat, aut folia in mel decoctum concidat, & sic in cibo sumptum, discutit uenenū, & præcipue pestem.

Cuius stomachus crassis glutinosisq; humoribus fuerit infarctus, & malas febres in eo latentes fuerint, radicē in uino decoquat, quo refrigerato, chalybem ignitum in eo intingat, ut iterum calefiat, & ita calidum ut ferre possit, bibat, hoc crassos illos humores dissipat & expellit & malas illas febres remouet.

Idem potus discutit Melancholiam & tristiciam animi, & bonum generat sanguinem.

C

A Puluis ex radice cum Zaccaro temperatus, si in iusculo pysorum C
sumatur, aluum deijcit.

Ex myrrha & laudano pessarium factum, succoq; Ari permistum, locis muliebribus injciatur, menses prouocat.

Cataplasma si fiat ex radice, & cum cymino & oleo temperetur, ficus curat.

Aron conducit ad ani exitum, si in uino decoquatur, & huic calido decocto si quis insidcat.

Radicem in puluerem contritam accipias, & ossa Sepiæ cum cerussa addas, singulorū unciam unam. deinde aqua rosacea permisce. purificat faciem, & tubera in ea exterit, si inde laueris.

Succus cum theriaca potus, medetur pesti.

Herba & radix cum sale contusa, etiam ad pestem conducit.

Scrophulas resoluit, cū squilla, & axungia ursina, emplastri modo imposita. Alij in uino & oleo eam decoquunt, & confert ad easdem, eodem modo imposita.

Hyppocrates ad quaslibet collectiones cum melle imposuit.

Vlcera omniū generum, siue phagedenæ sint, siue carcinomata, siue serpant, siue polypi in naribus, mire sanat:

Partus omnium animalium extrahit, naturæ circumlitum, uel herba cum radice esui data.

B Ad menses trahendos seminis uel radicis drachmæ duæ in uini D
cyathis duobus sufficiunt. eadem potio, si à partu non purgantur, & secundas trahit. Tussim decocti ius cum melle finit.

In folijs Ari caseus optimè seruari traditur.

AQVA ARI.

Aron circa finem Maij colligitur & cum tota substantia concisa distillatur.

Aqua ruptis salutaris est, si quottidie mane & uesperi singulis uicibus tres uncias bibant.

A ieiunis pota, incidit & absumit crassos & glutinosos stomachi & thoracis humores. excitat appetentiam ciborum.

Putrida uulnera sanat, si inde lauentur.

ASARVM.

NOMENCLATVRAE.

Ασαρον.
Νάρδος ἀγρία.
Asarum. Perpensa.
Rustica nardus.
Vulgago.
Sanguis Martis.
Haselwurtz.
Wilder nardus. ANS

A

ANNOTATIO IN ASARVM.

ASARVM, ut inquit Plinius, ideo sic uocitatum se inueniſſe, quoniam in coronas non addatur, & ornatus eius usu careant homines. Si quidem Græcis ἄσαρον significat idem quod ἀσάρωτον, id est, quod in ornatum non ueniat, & quo ornari nequeamus. Quamuis Dioscorides coronoriam esse herbam testatur, illud tamen nõ aduersatur, possunt enim, ut Vergilius Marcellus ait, plantæ earumque partes, ob prę cipuam eius usus causam, coronariæ esse, & nihilominus, quia aliquid aliud impediat, in coronas non addi, satis enim erat odor, qui quoniam in Asaro multus est, effecit ut coronarium esset, & ob eã causam à Dioscoride, Asarum etiam coronarijs adnumeraretur.

Siluestris etiam uel rustica nardus dicitur, ob odoris similitudinem, quia nardi odorem & uim habet.

Latini etiam Perpensam appellant, siue Vulgaginem, ut Macer scribit, magi uero Sanguinem Martis.

Galli Baccharem appellant, cum tamen duæ herbæ sint, Baccharis & Asarum si quis Plinium & Dioscoridem rectè considerabit, & fortè hinc error manauit, ut inquit Antonius Musa, quòd Asarum Baccharis dicitur, quia multæ Baccharis notæ in Asaro positę sunt.

B

C

DESCRIPTIO.

Asarum folia hederæ repræsentat, rotundioria tantum & molliora, quæ cum nigrore uirentia sunt, & à tergo multis diuisa fibris. Radices multæ sparguntur, partim albicantes, partim subfuscæ, geniculatæ, tenues, obliquæ, similes gramini, & supra modum odoratæ, Hederę terrestri non incomodè comparari potest, quia eodem modo in senticetis & opacis siluis, se ipsum humi passim propagat.

Florem iuxta radicem & inter folia habet purpureum, bene olentem, uasculis Apollinaris herbæ, (quam Hyoscyamum uocant) similem, semen in floribus acinosum residet, ut in uuis. Nascitur umbrosis montibus, macris & sitientibus locis.

Radix tantum in Medicina commendatur, & melior est, quæ crassior densiorq; extiterit, cuius odor subtilis, sapor acutus cum modica stipticitate.

TEMPERAMENTVM.

Calefaciendi ac siccandi uim habet in tertio gradu, ut uult Ægineta. Sunt qui calidum & siccum in secundo ordine constituant. Extenuat, aperit, resoluit & impellit.

D

A Asarum omnes dolores corporis interiores pellit,& calefacit membra interiora,quæ refrigerata sunt,si quis ex eo bibat.

Accipe Asari unciam unam, & in mensura boni & recentis inusti maceratum:simul ad trimestre spaciū repone, postea percola, & mane & uesperi ex eo bibas. hoc hydropicis & ictericis magnū est remedium. Ea potio quartanam quoq; tollit, & diutinas febres, quod experimento probatum est.

Asarum urinam ciet,confortat uesicam & lumbos,purgat uerā tri albi modo, sed non adeo fortiter.

Corroboratum & permistum cum aqua casei, cū spica, & aqua mellis,ad laxandam aluum optimè confert.

Educit superfluos & frigidos humores, si quis modo supra præscripto utatur.

Ex oleo Asari, si quis spinam dorsi inungat, prouocat sudorem, & aperit membra obstructa.

Mixtum collyrijs cum Tutia attenuat tuniculam eam, quæ uocatur cornea, & clarificat uisum.

Asarum mulieribus ducit menstrua & eis urinam prouocat, si ex eo bibant. Eadem uirtute pollet, qua Acorus.

Confert eius decoctum omnibus opilationibus hepatis, lienis, B & interaneorum omnium. D

Educit per inferiora Choleram & Phlegma ex omnibus membris. Mouet uomitiones. Si caput lotum fuerit ex lixiuio facto ex Asaro, cerebrum confortat.

Aqua Asari uel decoctum eius potum, fœtum pellit & uiuentem & mortuum, quare prægnantibus propinanda non est.

Dosis radicis erit ad quatuor drachmas, si quis in potu uti uelit. Pulueris autem Dosis erit una drachma, uel ad summum duæ.

Asarum, lingua ceruina, & folia sene, in uino decocta subueniunt febri quartanæ.

AQVA ASARI.

Optimum tempus est distillandi, uel alioqui siccandi, uel reponendi herbam unà cum radice, à decimo quinto die mensis Augusti, usq; ad octauum diem Septembris.

Linteolum hac aqua imbutum & iecori ardenti applicatum, uel alioqui alijs membris, extinguit calorem non naturalem, & hoc ex singulari quadam facultate.

Ad qualescunq; diuturnas febres & ad quartanam mire conducit, ad iij. uel iiij. uncias pota.

Grauidis mulieribus hæc aqua omnino est prohibita, fœtum enim tam uiuum quàm mortuum potenter expellit.

ASPHO-

A

ASPHODELVS.

C

NOMECLATVRAE.

Ἀσφόδελος.

Heroion.
Affodillus.
Haſtula regia.
Albucum.
Bernardi Teſticulus.

Goldtwurtz.
Wild Schwertel.
Heydniſch Blumen.

B

D

ANNOTATIO IN ASPHODELVM.

ASPHODELVS, à Latinis Haſtula regia dicitur, ac propterea id nomen ſortitus eſt, ut putat Antonius Muſa, ꝙ inter bulboſas herbas maximus ſit. Romani etiam Albucum dicunt. Plinius tamen eius caulem Albucū, ipſum uero totum Haſtulam regiam dici mauult. Idem inquit Aſphodelum de clariſſimis herbarum, aliqui Heroion appellauerunt. Vulgaria herbaria Affodillum barbarè uocant, & autorem ſequuntur Auicennam, qui Canone 2. cap. 77. etiam ita uocat.

DESCRIPTIO.

Aſphodelus herba eſt, foliis porro ſimilibus, caule mediocriter longo, flores gerente cacuminibus, radices longæ, rotundæ, rubicundo uel aureo colore, coaceruatæ quaſi multis bulbis compactę. Dioſcorides illi aſſignat radices plures oblongas & teretes, glandibus ſimiles, Verum Antonius Muſa ſcribit quòd radicem unam habeat, à qua plures prodeunt, quarum quælibet Pęoniæ radicem imitari uidetur, & inquit quòd quandoque uiderit digitales radiculas uel bulbos, qui ex craſſiore radice prodeunt, ſexagenarium numerum excedere. Sic & Plinius li. 21. cap. 17. fatetur, quòd ab eius radice octuaginta adnati bulbuli in aceruum uiſi ſunt. An uera Haſtula regia uel Aſphodelus ſit, quam herbam pro ea iam officinæ &

A Herbarij ostendunt, inter Medicos nondum conuenit. Hieronymus Tragus uult quòd nostra terra non gignat Asphodelum, ideo que radices tantum aliunde ad nos aliquando sine herba adferri. In Italia uerò, ut testatur Antonius Musa, iam passim cœpit haberi in hortis, adeo ut nullus sit, qui ibi Asphodelum ignoret. C.

TEMPERAMENTVM.

Radix maiorem efficaciam in se habet, Calefacit & siccat in tertio ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radix in uino pota, adfert læticiam, dissipat humores, ciet urinam, menstrua obstructa ducit.

Asphodelus, alumen ustum & in puluerem redactum, ac cum melle permistum, scabiei & lepræ medetur, si ex eo inungas.

Idem contusus si cum fece uini malignis ulceribus emplastri modo imponatur, ualde sanat.

Emplastrum ex radice & farina ordei factum in æquali quantitate, & inflammatis apostematibus impositum, ingentem calorem extinguit, & aperit ac emollit,

Eodem modo impositum membris contusis auxiliatur.

Succus ex radice expressus & uulneri calidus infusus, omne purulentum educit. Idem cum Tucia temperatus, conducit ad lippientes oculos, si à foris illinatur. B

Succus quoq; cum uino & Zaccaro commixtus, ac potus, grauiter tussientibus opitulatur. D

Radices decoctæ cum fece uini, & emplastri modo mammarum ac testium inflammationibus si imponantur, ualde prodest.

In uino decocta, suffusis felle & hydropicis medetur.

Flores cum uino temperati & poti, purgant stomachum.

Radix in aqua elixa, laxat aluum.

Nicander, ut inquit Plinius, contra Serpentes & Scorpiones, caulem uel semen uel bulbos dedit in uino tribus drachmis, Substrauitq; somno, contra hos metus. Illo die quoq; ab omni ueneno quisq; tutus est, in quo biberit eam potionem.

Puluis ex radice cum alumine usto permistus, & purulentis uulneribus insperfus, erodit gangrenam. Purulenta uulnera si lauentur ex radice in uino decocta, saluberrimum est.

Succus Asphodeli & hederæ terrestris permixtus, & in contraria aure tepens infusus, ad dentium dolorem prodest.

Radix cum Abrotano in lixiuio elixa, conducit ad defluuium capillorum, si caput inde lauetur. Odorem iucundum affectantibus cum iri arida & exiguo sale præbet. Hesiodus magnis laudibus extulit, cum inquit paucos nosse quot in maluis & Asphodelo bona reperiantur.

ACORVS

ACORVS.

NOMENCLATVRAE.

Ακορος.
Χορδος ἀφροδισίας.

Acorus.
Herba uenerea.
Gladiolus.

Gelbe Lilien.
Drachenwurtz.

ANNOTATIO NI ACORVM.

ACORVM pharmacopolæ & herbarij uulgò appellant, herbam illam, quæ iridis ſpecies eſt, & Gladiolus etiam ab acuminato gladij, quem refert, mucrone, appellatur. Cæterum Manardus, Campegius, & Brunsfelſius, multique alij, acri exactoque iudicio medici, conſtanter affirmant, uerum Acorum Dioſcoridis, eſſe radicem illam, quam paſſim in officinis perperam appellant calamum aromaticum, eamque prætendunt rationem, quòd Acorus Dioſcoridis, calore & ſiccitate uiget, radicemque habet odoratam: noſter autem uocatus Acorus frigiditate & ſiccitate inſignitur, & inſipidum quendam ſaporem habet, radicemque iniucundi odoris. Quare etiam ſuadent, calamum uocatum Aromaticum ſumendum eſſe, quoties in Medicina opus eſt Acoro. Porrò uerus odoratus calamus, de quo Dioſco. ſcribit, adhuc ignotus eſt.

DESCRIPTIO.

A Acors Iridis folia habet, radicesq; nõ dissimiles, multiplicatas, nec in rectũ nec altũ actas, sed cespite summo in obliquũ tendentes, internodijs distinctas, albicantes, gustu acres, odore non ingratas.

TEMPERAMENTVM.

Acorus, ut quidam uolunt, calefacit atq; desiccat in secundo gradu. Sed iuxta Galenum & Paulum Æginetam in tertio ordine est calefacientium & desiccantium.

Huius utimur radice, ut inquit Galenus, quę gustu acri est, & modicè amaro, odoreq; non iniucundo.

Herba autem quæ iam ab Herbarijs Acorus dicitur, Folia habet similia Iridi, sed angustiora & latiora, præterea albicantia ac instar gladij acuminata, florem habet luteum, similem croco, radices obtortas & geniculatas, atque rubicundas. nascitur in palustribus & aquosis locis.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radicis tantũ est usus. Cuius succo oculorũ caliginem discutiũt.

Radix in aqua decocta & pota, stillicidio urinæ subuenit. Simili modo quoq; ad abscessus pectoris atq; lateris cõducit. Serpentum ictibus auxiliatur, in potu sumpta.

Iocineris atq; lienis affectibus opitulatur, si quis accipiat libram
B radicis Acori contusæ, & semi mensuram optimi aceti, & radicem in eo maceret tres dies, & decoquat postea radicem cum aceto ad medietatem, & linteolo percolet, atq; sex uncias mellis admisceat, & denuo acriter feruere sinat. hæc potio mane, quamdiu durat, ieiunis bibenda. Si quis radicem penes se gestauerit, immunis erit à disenteria & spasmo.

Acorus facultatem incidendi habet, & aperiendi opilationem iocineris atq; lienis ex frigore contractam.

Radix in uino decocta uel macerata, illud uinum conducit doloribus pectoris, iocineris atq; lienis.

Aduersus Ictcrum accipies radicem Acori, linguam ceruinam, endiuiam, dulcem radicem, & cucurbitæ semina, hęc cum aqua decoques, & percolata edulcabis, & sic uteris.

Radix uino elixa ualet ad dolorem matricis, si decocto huic insideant. Conducit torminibus, ruptis, uulsis & disenteriæ.

Antidotis radix magno usu commiscetur.

Radix in uino trita & illita testium tumores mire discutit.

AQVA ACORI.

Cum herba florere incipit radix uel flores debent distillari.

Aqua in potu sumpta, menstrua nimium fluentia sistit. Ad omnes quoq; supra enumeratos morbos salutaris est.

ABRO-

ABROTANVM.

NOMENCLATVRAE.

Ἀβρότονον.

Abrotanum.
Absinthium ponticum.

Stabwurtz.
Schoßwurtz.

ANNOTATIO IN ABROTANVM.

ABROTANVM, ut inquit Platina, iucundi ac grauis odoris herba est, nomen autem ab Abrotonio fœmina in herbam conuersa sumpsit, uel ut Nicandri enarrator testatur, inde sibi nomẽ usurpauit, quòd conspectum, tenerum molle, uel delicatum habeatur, aut quòd difficilem halitum prospiret. Absinthium ponticum etiam Romanis dicitur, ut inquit Dioscorides, ab amaritudine quam similem Absinthio habet, autore Plinio.

DESCRIPTIO.

Abrotanum duorum esse generum traditur, ut Dioscorides & Pliuius testantur. Campestre scilicet ac montanum, hoc fœminam, illud marem intelligunt. fœmina Dioscoridi quadam arboris specie fruticat, candicantibus circũ ramulos foliis, minutatim marini Absinthij modo incisis, copioso flore, in fastigio comãtibus auri fulgore corymbis. Alterum quo mas comprehenditur, sarmentosum, gracili semine, marathri folio, breuiori, canescente, lutheolo flore, copioso, uelut corymbis in cacumine congestim dependentibus, cum grauitate quadam suauiter olentibus, simplici radice in altum descendente.

TEMPERAMENTVM.

Calidum est in primo gradu, siccum in secundo. Abrotanum, ut Ægineta tradit, & calefacit & siccat in tertio absceſſu, digerendi incidendiq; facultate præditum, modice uero astringit.

VIRES

A Abrotanum combustum & in puluerem tritum, & temperatum cum oleo raphani, & capiti caluo illitum, facit renasci pilos.

Succus eius cum oleo anethino permistus, idem præstat, barbæ uel alij loco inunctus glabro, ubi quis crines nasci desiderat.

Resoluit apostemata, & Phlegmaticos humores, decoctū in olla cum cotoneorum nucleis, & ita usurpatum.

Succus expressus ex Abrotano & cum uino bibitus, defendit hominem ab Apoplexia.

Prodest contra paralysim membrorum, succus impositus.

Abrotanum cum oleo oliuarum decoctum, & capiti inunctum, frigidam intemperiem capitis remouet.

Cum uino & saccharo elixum, calefacit stomachum, prægnantibus fœtum mundificat, si cum uino coctum bibant.

Cum appio & saccharo decoctū, & in potu sumptum, calculum renum & uesicæ comminuit atq; expellit.

Conducit ad stranguriam.

Oleum Abrotani infra umbilicum illitum, ciet urinam.

Contra uenena potum in uino, antidotum est.

B Suffitu serpentes fugantur. Cum uino potum contra uenenatorum morsus utile est. D

Ex radice si quis sæpius bibat, lumbricos necat, uel si succus cum exiguo lacte permisceatur.

Suppressis mensibus medetur, contusum & paululum myrrhæ admixtum si fuerit.

Aduersus inflammationes oculorum, Accipe Abrotani drachmam unā, & micas triticæ panis, & decoque in aqua, qua oculos fouebis, & omnem calorem extinguet.

Abrotano si quis utatur, superfluos intestinorum humores digerit, unde tormina solent generari.

Ad frigidos affectus pulmonum & Thoracis utiliter datur, decoctum cū hyssopo in uino & aqua, & dulci radice ac saccharo si edulcetur.

Cum oleo & sale simul contusum, & pulsibus manuum impositum, utile remedium contra febres est.

Ramo eius, ut inquit Plinius, si subiiciatur puluino, uenerem stimulari aiunt, efficaciſſimamq; esse herbam contra omnia ueneficia quibus coitus inhibeatur.

AMBRO-

A

AMBROSIA.

C

NOMENCLATVRAE,

Ἀμβροσία.

Ambrosia.
Botrys.
Apium rusticum.

Hirtz wurtz.
Wilde Salbey.

B

ANNOTATIO IN AMBROSIAM.

D

NON inter herbas aliquas fluctuans, & uagum nomen tantum quondam Ambrosiæ fuit, sed quodcunq; odoris & cibi suauitate placeret, in poëtis, scriptoribusque alijs hoc nomine ab antiquis dicebatur, & quasi immortalitatẽ utentibus faceret, sic appellata illis fuit.

DESCRIPTIO AMBROSIAE EX DIOSCORIDE.

Ambrosia frutex est pusillus, trium palmorum altitudine, ramosus, folijs rutæ, paruis circa imum caulem. In ramulis semen est, uuis dependentibus, Odore uinoso, qua de causa Botrys â quibusdam dicitur, ab alijs Arthemisia.

Frequens & notum ubiq; nomen. ignota tamen res est, ut inquit Marcellus, & inter herbas non facilis inuentu, alijs aliter eam ostendentibus, & cum Artemisia miscentibus fere cunctis.

DESCRIPTIO VVLGARIS AMBROSIAE.

Ambrosia aũt, quæ ab officinis & item herbarijs hodie demonstratur, est planta ramis exilibus, patulis, folio nepetæ, multo ruta aut sanguinaria longiore ac maiore, in quorum cacuminibus corymbi dependent, nigro semine, radice cubitali, subalbida. Inuenitur in montosis & macris locis, & hæc polemonia putatur esse, Eadem naturam habet calefaciendi ac desiccandi.

VIRES

Ad amissionem auditus, Accipe Ambrosiam & contunde eam, & succum expressum permisce cum lacte mulieris lactantis masculum, & guttas duas uel tres auribus instilla, hoc emendabit auditum.

Si quis uulneratus fuerit, casu, uel contusione, uel alioquocunq; modo, Vulnus primum lauare debet uino, postea lineum pannum imponet, & herbam aqua decoquet, & aquam ex herba bene exprimet, & ita calidam panno imponet, & leniter super uulnus ligabit, hoc suppurationem uulneris tollit, & ipsum persanat, Atq; quam primum incipit cicatricem recipere, pannus amouendus est, & herba uulneri applicanda, tum eo citius curatur.

Ad interiorem uulnerationem corporis, quocunq; modo ea contigerit, Accipe puluerem Ambrosiæ, & prius cum aqua calida bibe, postea cum meliusculè fit, in uino calido bibe. Conducit herba unà cum radice ad recentia uulnera, & ad antiqua ulcera.

Aduersus Paralysim, Accipe Ambrosiæ, herbæ paralysis, Tithymalli, singulorum unciam unam, Cubebæ seminum drachmam unam, & in uino decoque, & cum Zaccaro edulca atq; utere. Ad amissionem loquelæ optimè ualet si huius decocto os sæpe collua-
B tur. Aduersus apoplexiam utiliter sumitur. D

Ad aquam intercutem & Icteritiam, bonũ est remedium si quis cum Appio & semine petroselini permisceat & in uino decoquat.

Hæc herba permista cum lappatio maiore, mundificat scabiem, conducit ad defluuium cappillorum.

Multos affectus iocineris emendat.

AQVA AMBROSIAE.

Herba cũ tota substantia minutim concidi debet, & distillari in medio Maij.

Aqua salutaris est ad punctura̅m & dolorem cordis ex impuro sanguine prouenientem, interdiu ter pota singulis uicibus ad quatuor uncias.

Eodem modo pota, ex casu læsis uel uulneratis & illis qui sanguinem concretum intus habent, subuenit.

Preseruat etiam ab Apoplexia in potu sumpta.

A

B

NOMENCLATVRAE.

Στρύχνος. ἁλικάκαβος.

Saxifraga rubea.
Solanus.
Vesicaria.
Halicacabus.
Alkakengi.

Juden Kirschen.
Boberellen.
Schluttey. D

ANNOTATIO IN ALKAKENGI.

ALKAKENGI Latinis dicitur Halicacabus, Arabes & Barbari Latinū peruertentes, Alchachengi quasi Halicacabum uocant, Et est secunda species Solani Dioscoridis, quam Plinius uesicariā appellat, quoniam Vesicæ & calculis prodest. Dioscoridi autem magis placet, quoniam folliculus ille, in quo eius granum continetur, cum uesica similitudinem habeat, Vesicariam dictam esse.

DESCRIPTIO.

Alkakengi, siue Halicacabus, Strychnos, folijs Solano satiuo est similibus, tantum latioribus, cauliculis postquam adoleuerunt, humi prostratis, Folliculis inter folia puniceis ac turbinatis, singulari intus acino, quale cerasium rubens, flore hæderaceo, radice cum sic cescit albicante, nascitur in uinetis & alijs hortis ac circa sæpes, ut Aristolochia longa.

TEMPERAMENTVM.

Alkakengi herba frigida & sicca est in secundo ordine.

D

A Tria uel quatuor semina Alkakengi,uesperi comesta,quando itur cubitum, podagræ medentur, & educunt ex homine per urinam multos uitiosos humores.

Eodem modo si quis utatur, mirum in modum ciet urinam, & singularem facultatem habet aduersus calculum. Fructu in multis remedijs utuntur, Qui cum radice Petroselini & Saxifraga permistus,& in uino decoctus,affectibus iocineris, uesicæ, & lumborum auxiliatur,& dolorem eorum omnino remouet.

Herbæ ipsius usus erit ad emplastra,quæ conducunt ad humentia uulnera.

Succus Alkakengi ulceribus illitus sanat ea. Succus uero potus subuenit interioribus abscessibus, & dissipat in corpore sanguinẽ concretum. Succus etiam exprimendus est & in sole siccandus ad ciendam urinam. Alkakengi,si quis utatur,frangit calculum in uesica & renibus. Morbũ regium discutit. Semine poto urinam pellit.

AQVA ALKAKENGI.

Ex acinis in secundo mense Autumni collectis,aqua distillari debet in balneo Mariæ.

Hęc aqua quotidie,mane,à prãdio,& uesperi tribus uel quatuor uncijs pota (infantibus uerò una uncia potui dabitur) opitulatur lithiasi & calculo renum,& uesicæ.

B Eodem modo in potu sumpta, stillicidio urinæ subuenit, citò purgat renes & uesicam. D

Conducit etiam ad exulcerationem renum & uesicæ, & salutaris sanguinem mingentibus.

ASTRANTIA ET ANGELICA.

NOMENCLATVRAE.

Astrantia.
Magistrantia.
Ostrutiũ.

Meisterwurtz.
Hertzwurtz.

ANNO

A ANNOTATIO IN ASTRANTIAM. C

ASTRANTIA apud Dioſcoridem & alios ueteres autores nomenclaturam non habet. Herbarum periſſimi ſcribunt Aſtrantiam ſpeciem eſſe Angelicæ, & quod in utriſq; ſit calefaciendi facultas, niſi quòd Aſtrantia & guſtu & ſapore calidior eſt Angelica, atq;, ut teſtatur Hieronymus Tragus, differt Aſtrantia ab Angelica, quantum piper à Gingibere. Non dubitandum eſt utramq; ueteribus fuiſſe notiſſimam, uerum aliis nominibus. Ita enim fieri ſolet, ut durantibus rebus, nomenclaturæ rerum ſæpe mutentur. Quidam herbariſ ſtatuerunt Aſtranciam eſſe Meu Dioſcoridis, quod Brunſfelſius omnino falſum eſſe ſcribit. Meu enim eſſe Anetum agreſte, & ſe magis aſſentiri excellentiſſimo medico D. Hieronimo Bock, qui credit Aſtranciam & Angelicam eſſe ea genera panaces, quę à Dioſcor. & Plinio ponuntur, probatq; hoc ex deſcriptione panaces, & ex odore & ſucco harum radicum, quæ omnia cum panace omnino conueniunt.

DESCRIPTIO.

Aſtrantię herba eſt magna & inciſuris diuiſa, dura & tenuis, producens caulem altum, in ſummitate habentem herbam, & ſemen ſi- D
B mile Aneto. Radices ſunt albicantes, quæ in terra ſe paſſim propagant, digitali craſſitudine & odore iucundo.

TEMPERAMENTVM.

Aſtrancia calefacit & deſiccat in ſecundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radix in aqua decocta & pota, omnes phlegmatices humores ex corpore educit, & tollit lumbaginem. Cum uino ſumpta ſtomacho inflato conducit, & mulieribus matricem purgat, ſi Meliſſa & Artemiſia addantur. Morbo regio laborans bibat ſuccũ ex hac herba cum aqua centaureæ permixtum, & curabitur.

Radix cum farina ordeacea decocta, & emplaſtri modo impoſita, emollit nigricantes puſtulas, ac ſanat eas.

Contra febrem, Accipe duos uel tres manipulos huius herbę ac contunde, deinde ſemi menſuram optimi uini ſuper infunde, in quo finito per noctem macerari, & poſtea illo uino percolato, aliud iterum ſuper addas, quod eodem modo per noctẽ ſtabit, & percolabitur, ex quo bonũ hauſtum quinq; uel ſex noctes ſubſequentes ſumito, & præſentiſſimum erit remedium.

Radix in ore maſticata educit humores ex capite & purgat cerebrum. Eadem maſticata & comeſta maximè concoquit, ſi quod ſtomachus concoctu durum acceperit. Radix pectoris anguſtias aperit, & ad ueterem tuſſim ex frigida intemperie contractam ſalubris eſt.

ACATIA.

A

NOMENCLATVRAE.

Axxxiii.

Acatia,
Prunella immatura.

Schlehen safft.
Vnzeitige Schlehen.

ANNOTATIO IN ACATIAM.

ACATIAM Romani pariter Græcis dciunt, Nostram autem uocatam Acatiam, illam non esse Dioscoridis, manifeste patet: si quidem Dioscoridis Acatia spina est arborescens, fruticosa, nec recta in altum crescens, flore albo, semine ceu lupinorum candido, in siliquis clauso ex quo succus ille etiam Acatia appellatur. Pharmacopolæ autem passim ex arbuscula, quæ prunus siluestris dicitur, Acatiam parant, fructum ante maturitatem colligunt ac exprimunt, deinde simul cum carne miscentes in placentarum orbes conformant, & exiccantes pro Acatia utūtur, Neqꝫ ullum dubium est, quin officinarum Acatia ferè eandem habeat facultatem astringendi & refrigerandi, quam uera illa Acatia Dioscoridis, quæ ex Ægypto adfertur.

B

D

DESCRIPTIO.

Acatiæ uulgaris arbor in spinetis nascitur, Flores producens albos, ac fructus nigros cum nucleis & austero sapore, radices habet canescentes & se propagantes altius in terram, tum etiam plærumque sunt rubentes.

DESCRIPTIO.

Acatia frigida & sicca in tertio gradu est, & uirtutē habet astringendi & repercutiendi.

VIRES AC IVVAMENTA.

Intestinum extremum quibus prominet, illinant hoc Acatia, sic introrsum repellitur. Simili modo ad procidentem matricē mulieribus adhibetur.

Acatia sanguinem, disenteriam, & mulierum menstrua nimium fluentia sistit.

Oculorum Medicinę accomodatus est Acatię succus, uisum confortat, remouet fluxum oculorum.

Calidam

A Calidam intemperiem corporis maximè refrigerat, & calores C
non natiuos discutit, aluum fluentem supprimit.

Acatiæ succus sacris ignibus medetur, si illinatur & inflammatis membris.

Epiphoris oculorum illitus ualde refrigerat.

Conducit optimè ad locum aliquem corporis, quem glabrum & depilem reddere uelis, si inungatur.

Acatia cum succo plantaginis permista, conducit ad fluxum sanguinis uarium.

Cum dragaganto & mumia in albo oui si permisceatur, & stomacho imponatur, nimium uomitum cohibet.

AQVA ACATIAE.

Pruna immatura contundi debẽt & distillari in fine Septembris.

Aqua interdiu ter & singulis uicibus trium uel quatuor unciarum pondere pota ualdè conducit dysenteriæ calidæ, & ad omnes iam prædictos morbos salubris est, pota uel imposita.

Similiter aqua ex floribus Acatiæ in Balneo Mariæ distillata, ualet ad apostemata pectoris uel lateris, priusq; oriantur, tum quoq; ad abundantiam sanguinis.

B ANTHERA. B

NOMENCLATVRAE.

Anthera.

Das gelb sämlin inn den Roten Rosen.

ANNOTATIO IN ANTHERAM.

ANTHERAM medici iam uulgò appellant flores in medijs rosis, id est luteos apices, qui separantur in capillamenta & in semen, quod sub his lanugine quadam opertum cortice continetur. Quòd autem flores rosarum Antheræ nomine recentiores medici significauerint, ex hoc maximè apparet, ut inquit Manardus libro 4. ep .3. quòd ea in morbis utuntur, qui ad strictoriam uim ualdè desiderant, qua præcipue flores rosarum pollere Galeni testimonio demonstratur

A Quod & nomen ipſum manifeſtat, quum ab eo quod eſt ἄνθοσ ῥόδον, C
id eſt, flos roſæ deductum uideatur. Apud antiquos uero autores Anthera compoſitio eſt, quę ad oris ulcera & ęgritudines proficua eſt, & ex roſis tamen conſtat.

VIRES AC IVVAMENTA.

Anthera utilis eſt ad aluum fluentem, & ad uomitum, ſi in puluerem redacta cum iure gallinaceo ſumatur. Puluis idem confert fluxui hemorrhoidum.

Puluis cum Aceto temperatus ſtatim reſtringit ſanguinem ex uulnere fluentem, ſi imponatur.

Aqua ex hoc ſemine cum aqua plantaginis diſtillata & bibita, mulieribus ſiſtit menſtrua, & dyſenteriam ſanat. Semen hoc eſt frigidum & ſiccum in ſecundo ordine.

Ad fluxum ſanguinis narium, Accipe unciam unam Antheræ, ſanguinis draconis, terræ ſigillatæ, boli armeni, ſingulorum drachmam unam, & cum albumine oui & pilis leporinis in puluerem redactis comiſce, & naribus immitte, hoc fluxum ſiſtit.

AVENA.

NOMENCLATVRAE.

Βρῶμος.

Auena.
Bromus.
Ægilops.

Habern.

A

ANNOTATIO IN AVENAM. C

AVENA apud Dioſco. & Plinium Bromus & Ægilops dicitur, Verum inter Bromum & Ægilopa hęc differentia eſt, ut clariſſimus Medicus Ianus Cornarius indicat in quinto libro Commentariorum in libros Galeni de compoſitione medicamentorum, Quòd Bromus auenam frumenticiam, ſatiuam, puram, & quam hodie albã appellamus ſignificat. Ægilops uerò ea Auena à Theophraſto, Dioſco. & Plinio dicitur, quæ ſua ſponte prouenit, atq; ex hordeo in eam degenerante fit, atq; ob id frumenti uitium à Plinio dicta eſt, quam hodie Auenam ſylueſtrem ac erraticam uocamus, Ægilopa quoq; Vergilius intelligit cum inquit: Infelix lolium & ſteriles dominantur Auenæ. Eodem modo de Bromo & Ægilope ſentit Collinutius in defenſione Plinij aduerſus Leonicenum.

TEMPERAMENTVM.

Auena ſiue Bromus ut Galenus autor eſt, iumentorum pabulo potius quàm hominum cibo naſcitur, nec niſi cum extrema premit fames, in panes cogitur. Calefacit egregiè, minus quoq; corpus enutrit. Ægineta item calefaciendi uim ei aſſignauit. Dioſcor. etiam at-
B tribuit ei naturam ſiccandi, facultatem quoq; habet diſcutiẽdi ma- D
los humores & abſumendi dura apoſtemata, ſi Auenæ farina emplaſtri modo imponatur, & præcipue conducit fiſtulis oculorum.

VIRES AC IVVAMENTA.

Puls Auenacea Dioſcoridi efficax eſt aluo cohibendæ.

Auenæ farina in Aceto, tollit næuos.

Ex Auena cataplaſma factum, cui admixta ſit farina dulcis, malam ſcabiem, quæ repreſentat lepram, ſanat, ſi imponatur.

Auena decocta in aqua, & deinde contuſa, & cum melle temperata, bonum inducit calorem, ſi iuſculi more edatur.

Puls Auenacea cocta cum Aceto, ingentem calorem temperat.

Farina Auenæ emollit & maturat dura apoſtemata, ſi cataplaſmatis more imponatur.

Cocta quoq; omnem tumorem ex calida cauſa prouenientem reprimit.

Emplaſtrũ ſi fiat ex Auenacea farina & permiſceatur oleo Laurino, hoc medetur ſcabiei & diſcutit tumorem durorum apoſtematum. Conducit etiam fiſtulis ani.

Farina eadem cum ceruſſa temperata, puram & claram reddit faciem, ſi ſæpius inde inungatur.

APOLLINARIA.

A

NOMENCLATVRAE.

Apollinaria.

Schirling.

APOLLINARIA propter nocumentum, quod infert, raro habetur in usu, destruit enim & corrumpit sanguinem, & omnes humores, & generat malos uapores in corpore.

VIRES AC IVVAMENTA.

Si quis percussus fuerit aut ceciderit, Apollinariam in aqua bene decoquat, & eam potionem bibat, & herbam ita calidam loco læso imponat, & linteolum super liget, tum sanguis concretus dissipatur habet enim naturam incidendi & discutiendi.

Si uero quis ex cõtusione uel percussione inter cutem & carnem intumuerit, coquat Apollinariam & Solanum pari mensura, atque inde tumorem inungat, tum euanescit. Ad interiorem corporis tumorem ex morbo proueniente non conducit, nam humorem qui erumpere deberet, repercutit, & magnum incommodum adferret.

B

Si araneam quis in cibo comederit, hanc herbam uiridem cum sale in bono uino decoquat, uenenum absque damno redditur inefficax. D

Ictus à uenenato animali, ex ea faciat emplastrum, & imponat.

ALCHIMILLA.

NOMENCLATVRAE.

Διόντοποδίον.
Alchimilla.
Artincilla.
Leucopedion.
Planta Leonis.
Pes Leonis.
Leontopodion.
Sinnaw.
Vnser Frauwen mantel.
Löwen füß.
Löwen Tapen.

ANNO.

A

ANNOTATIO IN ALCHIMILLAM. C

ALCHIMILLA herba uulneraria est, atq; ei à Hieronymo Brunsuicensi Herbario nomẽ inditum Leontopodion uel Pes Leonis, uerum Dioscoridis descriptioni non quadrat, quamuis nomen illud benè ei conueniat, ob figuram pedis Leonis, quem referre uidetur.

DESCRIPTIO.

Alchimilla habet folium crispum & serratum, nascitur in uetustis uijs, ac in pratis, palmæ altitudine, cum luteis floscul is, radicem habet paruam & albicantem, quidam tamen scribunt eam esse rubicundam. Salubris herba est ad uulnera sananda & ad sanguinem sistendum, ut Sanicula.

TEMPERAMENTVM.

Calida & sicca est in secundo gradu. Durat totum annum integra uirtute. Recens tamen ad usum melior est quàm sicca.

VIRES AC IVVAMENTA.

Accipe Alchimillam, Saniculam & herbam illam uulnerariam quam uocant herbam sortis, ex singulis manipulum unum, atq; in aqua pluuiali decoque, Deinde longos lumbricos accipe, & contunde illos & exprime humorem per linteolum, permisceq; cum de
B cocto illo, Hæc potio si sumatur sistit omnem sanguinem ex uulne- D
ribus fluentem, & herbam uulneri impone extrinsecus, tũ curatur.

Succus Alchimillæ tribus diebus mane à ieiunis pota, comitiali morbo laborantibus subuenit, si postea cephalica uena sinistrę manus incidetur, absq; dubio auxiliatur.

Si quis in stomacho aut pectore uulneratus fuerit, bibat ex Alchimilla & Sanicula, tum sanatur.

Alchimilla contusa & succus exprimetur per linteolum, cui hypericon uel Gallitricum in puluerem contritum admisceatur, hoc in potu sumptum, discutit tormina intestinorum, & quicquid in corpore sæuierit.

Accipe Alchimillæ, Fœniculi, Saluiæ, Petrosilini, singulorum manipulum, & admisce Anisi, seminis fœniculi, hyssopi, Inulæ Campanæ, singulorum uncias duas, atq; in duabus libris aquæ usq; ad tertiam partem decoque, ea potio si bibatur, omnem sanguinem concretum resoluit & expellit per urinam & per excrementa.

AQVA ALCHIMILLAE.

Ad conuenientem destillationem, Radix ac herba cum tota substantia concidi debet, & distillari in fine Maij, uel à mense Iulij usq; ad Septembrem.

Aqua Alchimillæ omnibus uulneribus conducit & malum ipsorum calorem extinguit, si cum ea foueantur, & panni linei in ea tincti, illis imponantur.

Eadem

A Eadem ad iĳ. uel iiĳ. uncias pota mane & uesperi, omnibus interioribus uulneribus, & rupturis medetur. C

ANACARDVS.

NOMENCLATVRAE.

Anacardus.

Elephanten lauſ.

ANNOTATIO IN ANACARDVM.

ANACARDVS apud Dioſco. & alios Græcos autores non inuenitur. Officinę perperam appellant Pediculum Elephantis, cũ Anacardus, ut inquit Serapion, eſt fructus arboris, ſimilis cordi auis, cuius color eſt parum rubens, & inter ipſum eſt res ſimilis ſanguini, & eſt id quod adminiſtratur in eo.

B Ruellius Anacardium appellat, hoc modo de eo ſcribens: Anacardium recentiori Græciæ, nam uetus non neminit huius, arbos eſt Indis familiaris, prouenit quoq; in Siciliæ montibus, qui flammas ignis eructant, fructu auiculæ corculo non diſſimili, unde nomen putatur inditum, rubente intus cruore, quo ueluti ſanguine ſcatet. D

TEMPERAMENTVM.

Anacardi fructus calefacit atq; deſiccat in quarto ordine. Ruellius inquit quòd quidam tertiam excalfacientium & reſiccantium claſſem huic aſſignant. Durat triginta annos, nihil de ſua uirtute perdens, ſi tantum in locis ualde humidis aut ſiccis non ſeruetur.

Si quis ſolo Anacardo uſus fuerit abſq; additamento, quod malitiam eius corrigat, illum mori oportet, aut euadet leproſus.

VIRES AC IVVAMENTA.

Si quis debili memoria & hebeti ingenio præditus fuerit, Accipiat ĳ. uncias Pimpinellæ & decoquat in xĳ. unciis acidi aceti, fructuſq; huius decorticati iĳ. uncias addat, ac ſimul miſceat dum acquirat conuenientem ſpiſſitudinem, & inde ſe in occipitio mane & uesperi inungat, tum bonam & tenacem parabit memoriam.

Accipe

A Accipe ſuccum huius fructus & commiſce cum auripigmento & C illinas eo malam ſcabiem, ut impetiginem, conſumit eã, ſed ut hoc quàm primum calida aqua abluas.

Contra impuram cutem lepræ, Accipe Saluiam, Abſinthium, interiorem partem colocynthidos æquali pondere, & in puluerem redacta, confice cum tribus uncijs ſuccí ex Anacardo, uel cum aceto, & decoque ad modum emplaſtri, & cuti immundæ ſuperimponas.

Omnibus morbis cerebri quos frigida aut humida cauſa attulerit, opitulatur.

Propterea etiam fructus anacardi doloribus neruorum medetur, qui ut podagra cruciant, ſi cum melle miſceatur.

Cum melle permiſtus, & uerrucis impoſitus, eas remouet.

Anacardus temperari debet cum Caſtoreo, quod corrigit maliciam eius.

AMYGDALVS.

B

NOMENCLATVRAE. D

Ἀμυγδάλη.

Amygdalus.
Amygdala amara & dulcia.

Mandelbaum.
Süß/ Bitter mandel.

ANNOTATIO IN AMYGDALVM.

AMYGDALVS abor circa Calendas Februarias ſeri debet, quia prima gemmaſcit, Ea iam in Germania eſt notiſſima, ubi paſſim in hortis ſeritur. Nuces quæ ſeri debent, ut docet Ruellius, pridie liquido ſimo macerantur, alij aqua mulſa madefaciunt, in eaq; noctem ſolam eſſe patiuntur, ne germen extinguat mellis mordacitas. Cacumina in terram rectè figuntur, ſic ut lignoſior pars ſurſum ſpectet.

Amygdalum

A Amygdalum pro fructu genus uariat, nam etiam reperitur hæc Amygdala, æ, in fœmino genere. Sunt uero duplices Amygdalę, Amaræ & dulces, Amaræ ſalubriores ſunt & Medicinæ magis, quàm eſui accomodatæ, Dulces uerò ſuauiores & Germaniæ familiariores, quibus Zaccaro confectis in ſecunda & tertia menſa ueſcuntur, minus hæ ualent in remedijs, ut inquit Plinius, ſed tamen purgant & urinam ciunt. C

TEMPERAMENTVM.

Dulces non tantum efficaciam habent quàm amarę, Incidendi extenuandiq; uiribus pollent, ut inquit Ægineta, ideoque uiſcera & thoracem expurgant, idq; efficacius amaræ.

Dulces Amygdalæ calefaciunt & humectant in primo gradu. Amaræ calefaciunt & deſiccant in ſecundo gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Arcent ebrietatem, ut ſcribit Dioſcori. quinque aut ſex amaræ Amygdalæ in cibo pręſumptę.

Hoc idem teſtatus eſt Plutarchus Cheroneus qui apud Druſum Tiberij Cæſaris filium, quendam medicum comeſſari ſolitum retulit, qui omnes bibendi certamine prouocabat, neminiq; cedebat in uini potu, is tandem deprehenſus eſt, antequam biberet, quina ſenáue amara comediſſe Amygdala. Plutarchus hanc uim amaritudini retulit, quæ perſiccet & humores depaſcat. B D

Vulpes quoq;, ut Plinius refert, ſi comederint eas, moriuntur, ſi non contingat è uicino aquam lambere.

Amygdalæ, ſi edantur cum Zaccaro, citò concoquuntur, quare & aluum laxant.

Dulces comeſtæ augent uirorum & mulierum genituram.

Dolorem gingiuarum tollunt Amygdala, ſi comedantur, uel in ore retineantur.

Amaræ craſſos humores educunt, Lienis apoſtemata auferunt.

Radix amaræ Amygdalæ decocta aſperam & diſcolorem faciem emendat, ſi inde lauetur, præſtant idem & nuces illitæ.

Amaræ Amygdalæ cum aceto uel roſacco decoctæ, fronti temporibusue in modum cathaplaſmatis impoſitæ, aut etiam illitæ, capitis doloribus ſuccurrunt.

Contra exedentia ulcera & herpetas contunduntur, & cum mel le permiſcentur ac imponuntur.

Eodem modo morſibus canis rabidi imponuntur.

Dulces Amygdalæ ut leniter aluum laxent aut ſiſtant, commiſce eas cum uuis paſſis aut Zaccaro. Hę comeſtę ſomnum conciliant.

Cum menta & Amylo ſumuntur contra ſanguinis excreationes.

Linguntur uel ex aqua bibuntur, in renum doloribus, uel in pul

monum

A monum inflammatione, quam peripneumoniam dicunt, unde phthysis prouenire solet. In eclegmate auellanæ nucis magnitudine additis melle & lacte: iocinorosis, tussientibus, & maioris intestini, quod Colon dicunt, inflationibus opitulantur. C

Gummi ex Amygdalo, in uino utiliter bibitur contra sanguinis excreationes.

Idem summæ cutis impetigines illitum ex Aceto rapit.

Oleum de Amygdalis amaris suffocationi & præcipitationi matricis subuenit, si circa umbilicum inungatur.

Idem temporibus illitū, capitis doloribus succurrit, & quietem adfert.

Calidum auribus idem instillatum, sonitum & tinnitum aurium pellit, auditum restituit.

Idem mixtum cum melle, dulci radice, oleo rosaceo, & cera, inde unguentum si fiat, & illinatur circum oculos, expurgat & claros eos reddit.

Conducit quoq; aduersus calculum, dolores renum, ac stranguriam, si lumbis & umbilico illinatur. Amygdalæ amarę comestę ad idem conducunt, Quæ etiam Lumbricos necant & pellunt, si quis sæpius eis utatur. Emplastrum inde factum si umbilico imponatur idem præstat.

B

ALOE. D

NOMENCLATVRAE.

Αλοη.
Aloe Succotrinum.
Epaticum.
Gaballinum.
Ein bitter safft in der Apoteck.

ANNOTATIO IN ALOEN.

ALOE & herba est & eiusdem herbæ succus, quę, ut inquit Galenus, est similis scillę, foliis pinguibus, crassis, in latitudinem se modicum fundentibus, rotundis & retrouersum repandis, Cuius descriptionem etiam apud Dioscor. uide. Nascitur plurima in India, unde & liquor ad nos affertur. Nascitur & in Arabia, Asiaq;, & maritimis quibusdam locis, glutinandis uulneribus accomodata, sed ad exprimendum ex ea liquorem inutilis, Duplex genus, ut idem Dioscoscribit, liquoris eius est, alterum Arenosum, & ueluti purissimæ Aloes sedimentū, alterum iocineris modo coactum. Eligito pinguem Aloem, synceram, & sine calculis & arenis, splendentem, russo colore, friabilem,

E

A iocineris modo concretam, facile liquescentem, & quę egregia amaritudine sit, Reprobanda è diuersò quę nigro colore est, nec facilè liquescit, Mesue & alij Neoterici tria ponunt genera Aloes, utputa Succotrinum, à regione Succutri, nobilius reliquis. Secundum Epaticum appellatum, quia in colore suo assimilatur epati, atq; ex Persi- de elatum, secundum bonitatis locum habet. Tertium Caballinum dictum, & est Rex aliorum, in Medicina uix quicquam ualens, atq; ex Armenia & Arabia adfertur. C

Recentiores Medici errore quodam, Aloe hepatico aut caballino pro uero Aloe utuntur, cũ semper Aloen succotrinum ad usum Medicinæ potius debeant recipere, ut Campegius probat ex Dioscor. Galeni & aliorum medicorum Grecorum autoritate, qui alia genera uidentur neglexisse.

Magna præterea est controuersia inter medicos de ui & facultate Aloes, Arabes medici, ut Mesue & Serapion testãtur, Aloen ora uenarum aperire atq; sanguinem ciere, Econtuariò Neoterici quidam, ut Manardus, Fuchsius, & alij nonnulli, hoc omnino refutant, atq; optimis & firmissimis testimonijs ex Galeno, Dioscoride ac Plinio, demonstrant, Aloen potius ora uenarum occludere, atq; sanguinem undecunq; fluentem sistere. De hac re uide Fuchsium libro primo paradoxorum cap. 1. Sed Antonius Musa in examine simpli
B cium medicamentorum horum sententiam improbat, Vbi sic in- D
quit: Cum Mesue ac Serapione Aloen aperire ora uenarum censeo, ex quadam insita uirtute, cuius causam ignoramus, forte ex eadem qualitate qua extrema amaritudine prodijt. Porrò inquit, experientia ducor ut id sentiam, nam qui Hemorrhoidas pati consueuere, Aloe magnopere offenduntur, ut in hoc statim incurrant ea uorata. Deniq; Manardus hanc controuersiam lib. 1. Epistola prima hisce uerbis dirimere uidetur, cũ inquit: Tametsi Aloe aliquando sedis uenas aperire uidetur, ex accidenti hoc fit, quoniam uidelicet excrementa id agentia ad ea loca mouet, quę uenas recludunt, sicuti ex alijs quoq; fieri medicinis scribit Galenus Aphorismo 47.

TEMPERAMENTVM.

Aloe iuxta Aginetam, calefacit in primo, siccat in tertio ordine, stomacho etiam amica est, abstergit dissipatq;, aluum subducit.

VIRES AC IVVAMENTA.

Discutit malum Phlegma, Choleram & Melancholiam, frigido & uiciato iocineri conducens.

Aloe cum mastiche permista, sanguinem excreantibus medetur.

Aloe uim miram in sistendo sanguine habet, ut Gale. lib. 5. ther. meth. cap. 4. ijs uerbis indicat. Optimum omnium quæ noui medicamento-

A dicamentorum, quo etiam ad cerebri menbranarum ſanguinis eruptiones tutiſſimè uti licet, eſt quod nunc dicetur: Thuris pars una, Aloes parti dimidiatæ miſceatur, & deinceps cum utendi tempus inſtat, tantum huius cum oui candido ſubigatur, ut mellis craſſitudinem reddat, dehincq; leporis molliſſimis pilis excipiatur, & tum uaſi ipſi, tum toti ulceri imponatur. Quod medicamentū ipſe quoq; Auicenna Fen. 17. Can. 3. cap. 9. in ſiſtendis Hemorrhoidibus probat.

Aloe caput & ſtomachum purgat ex malis humoribus.

Cum forti uino temperata ac oleo roſaceo, dolores capitis finit, fronti temporibuſq; inuncta.

Oculorum ſcabies, & in oculis angulorum prurigines lenit.

Aloe contuſa & cum uino melleq; permiſta, hoc ſi in ore retinea tur, ulceribus linguæ & gingiuarum ſuccurrit.

Cum maſtiche ac ſucco Glycirryzæ, quam dulcem radicem appellamus, permiſta, ſuſpirioſis opitulatur, ſi quis ita utatur.

Eadem in puluerem redacta, uulneribus ſi inſpergatur, ea quàm primum ſanat, purulentis oculis medetur. Inueterata ulcera ad cicatricem reducit, exulceratis tam uirorum quàm mulierum genitalibus medetur, ſi puluis eiuſdem inſpergatur.

B Idem puluis quando ponitur cum uino ſuper hemorrhoidas & rimas ani, tunc ſanguinem ex eis manantem ſiſtit. Sanat quoque ulcera ani & uirgę cum uino ſi illinatur.

Aloe in puluerem redacta & cum aqua temperata emplaſtri modo uulneribus impoſita, glutinat ea.

Aloe cum myrrha ac ſanguine Draconis permiſta ſimulq; in puluerem contrita, & in putreſcentia uulnera uel puſtulas inſperſa, erodit carnem mortuam abſq; dolore.

Eadem lota cum aqua roſacea uel ſucco fœniculi, ſi inungatur circa oculos, tollit fluxum oculorum, & acuit uiſum.

Aloe ſumpta in ſero lactis caprini, diſcutit morbum regium.

Maſtix aufert Aloe maliciam.

Si cum maſtice in aqua linguæ ceruinæ permiſceatur, aperit opilationem iocineris & ſplenis.

Aloe ſumpta à mulieribus in aqua Artemiſiæ, trahit menſtrua.

Aduerſus aquam intercutem, Accipe drachmam unam Aloes, & drachmam ſemis Maſticis, & cum ſucco Abſynthij commiſce, quod intra hebdomadam bis ſumptum, bonum erit remedium.

Puluis Aloes cum melle permiſtus, aduerſus lumbricos conducit.

AGARICVM.

NOMENCLATVRAE.

Ἀγάρικον.

Agaricum.
Agaricus.
Fungus Abietis.

Dannen Schwam.

ANNOTATIO IN AGARICVM.

DAGARICVM Græci atq; Latini eodem nomine appellant, nomen uerò à loco sumpsit, Ptolomęus enim Agarum & urbem & amnem in Sarmatia uocari scribit, ubi Agaricus optimus nascitur.

DESCRIPTIO.

Agaricum ut fungus nascitur in arboribus Galliarum, & præsertim in arboribus glandiferis: Circa Bosphorum quoq; prouenit colore candido. Est autem fungus albus, odoratus, antidotis efficax, in summis arboribus nascens, nocte reluceńs, ideoq; in tenebris decerpitur, ut autor est Plinius lib. 16. cap. 8. protali fungo omnes ferè medici Agaricum accipiunt, Dioscorides uerò inquit: ferunt quidam plantæ radicem Agaricum esse, quidam in truncis arborum ex corruptione fungorum modo fieri. Idem sentit Æginęta inquiens: Agaricum radix est ex arborum truncis prognata, corpore fungoso, quæ ex aëria terrestrique substantia coaluerit. Galenus in libro ad Paternianum ita scribit: Agaricum ab arboribus excrescit prout tubera uel boleti. Diuersitatem autem hanc fecerunt, ut scribit Marcellus, non satis noti quondam Agarici natales, ad serentibus alijs radicem esse, alijs fungorum modo arboribus ad nasci, Appellatur à multis fungus abietis, ut inquit Mesue, propterea quòd

A rea quòd ad modum fungorum naſcitur in magnis arboribus, quibus accidit corroſio & putrefactio.

Genere, ut inquit Dioſcor. differt Agaricum: eſtq; in eo alterum mas: alterum fœmina, bonitate antecedit fœmina, rectas intus pectinum modo uenas & diuiſiones habens. Maſculum in ſe ipſum conuolutum, rotundumque & undique concretum eſt. Pharmacopolæ unum bonitatis indicium eſſe, friabile cenſent.

TEMPERAMENTVM.

Agaricum eſt calidum in primo ordine, aridum in ſecundo, Vis eius eſt, inquit Ægineta, digerere & incidere craſſos humores.

VIRES AC IVVAMENTA.

Aduerſus febrem quotidianam, Accipe ſucci de fumo terre duas uncias, & admiſce Agarici unciam unam, ac præbe hoc febricitanti, multis enim fuit præſentiſſimum remedium. Aiunt drachmam in aquæ mulſæ cyathis tribus ante acceſſiouem febribus liberare, quæ cum horrore ueniunt.

Ad tormina inteſtinorum, Accipe Agarici ij. uncias & commiſce aqua, in qua malua, uiola, parietaria ac portulaca ſint decocta, Deinde miſce cū oleo oliuarum, & in aluū per clyſterem infunde.

Accipe Caſtorei, Schœnanthi, Senæ, Agarici ſingulorum ſemi unciam, & in uino decoque, contraq; maximos capitis dolores ma-
B ne & ueſperi inde bibito.

Vel facito pilulas ex eo cum Rutę ac fœniculi ſucco, quæ idem præſtant.

Aduerſus difficultatem urinæ, decoque Saxifragam in uino, ac linteolo percola, dein ſemiunciam Agarici admiſce, & utere.

Contra fiſtulas, Accipe Sal uſtum, tartarum, & Agaricum in puluerem contritum ac melle permiſtum cum linamento in fiſtulam inſeras, hoc eam curabit.

Ad mariſcas, Accipe Agaricum in puluerem redactum, ac tempera cum ſucco herbæ quam Ciclamen uel malum terræ appellant, & cum oleo, atq; impone.

Vuluę ſtrangulatum, menſiumq; difficultatem tribus obulis tritum in uini ueteris cyatho potum emendat.

Ad ſerpentium plagas & morſus obulis tribus potum in uino efficaciter ſuccurrit.

Febres frigidas leuiores facit in aqua calida potum.

Siſtit Agaricum ſanguinis excreationes, trium obulorum pondere cum aqua ſumptum.

Omnibus in uniuerſum interioribus uitijs accomodatū eſt, pro uiribus & ętate ſumentium datū alijs cum aqua, alijs cum uino, alijs cum Aceto mulſo, alijs cum mulſa aqua.

AGNVS CASTVS.

NOMENCLATVRAE;

Ἀγνὸς ἄλυγος.

Agnus Castus.
Vitex.
Amerina salix.

Keusch lamp.
Schaff milt.
Schaff wulle.
Abrahams baum.

ANNOTATIO IN AGNVM CASTVM.

AGNOS Græce Latine Vitex dicitur, Herbarij Agnum Castum appellant, utraq; uoce idem significante, dici tur autem Agnos, id est Castus, quòd autore Galeno, castitati conseruandę facere creditur, non modo com manducatus potusq;, uerum etiam in cubitum substratus, Dioscoaliam rationem nominis adducit, inquiens: Agnos autem, id est castus hic frutex à Græcis dictus est, quoniam in Thesmophorijs, quæ erant sacra Cereris, castitatem custodientes mulieres, folijs eius cubitus sibi sternebant. Lygos uero dicitur, quasi uimen, similiter & Vitex ob eam quam habent uirgæ eius in uinciendo lentitiam & firmitatem. Romani quoq; salicem amerinam uocant.

DESCRIPTIO.

Agnos seu Vitex arborescens frutex est, nascitur asperis & incultis locis propè aquas & flumina, Ramulos habet longos, uitilium modo lentore suo infragiles, Folia oleæ, teneriora tantum.

Duo eius genera sunt, maior in arborem, modo salicis adsurgit, flore cum purpura candido. Minor ramosa folijs albioribus, lanuginosis purpureo flore.

Agnos semen producit ad formam granorum piperis. Id quod administratur ex hac arbore in medicina, sunt folia, semẽ & flores, quæ omnia debent colligi in uere & autumno. Arbor hæc perpetuò uiret, & utilior est uiridis quàm arida.

TEMPERAMENTVM.

Agnos iuxta Æginetam, in tertio ordine tũ calefacit tum siccat.

VIRES

A VIRES AC IVVAMENTA.

Contra lethargum, Accipe semen Agni, semen Apij, foliaq; Saluiæ, atq; in aqua salsa decoque, quo posteriorem partem capitis illine, statim curat morbum.

Semen eius potum, uenenatorum morsibus succurrit. Idem lichenosis & cutem subeuntibus aquis medetur.

Lactis abundantiam facit: trahitq; menses, in uino potum, drachmæ pondere. Idem genituram extinguit.

Semen arcere ueneris stimulos & Galenus credit, & ob id per quàm idoneum ijs qui castitatem custodire statuerunt.

Seminis decoctū uehementiorem capitis dolorem dissoluit fotu.

Lichenas & lentigines cum aphronitro & aceto semen sanat, & oris ulcera & eruptiones cum melle.

Duritiem testium cum butyro & uitium folijs discutit.

Rimas sedis semen ex aqua illitum mitigat.

Virgam eius uiator qui gestat, negatur intertrigine tentari.

APIVM.

NOMENCLATVRAE.

Σέλινον κηπαῖον.

Apium satiuum.
Apium hortulanum.

Epffig.
Garten Epherw.
Stein Petersilgen.

ANNOTATIO IN APIVM.

C SELINON Græci, Latini Apium uocant, dictum autem est Apium, ut Platina scribit, quòd apex, hoc est caput in Achaia uictorum sacri certaminis eo coronaretur, aut quòd eius flores Apes libenter pascuntur. Quum autem absolutè Apium dicitur ut inquit Antonius Musa, hortense intelligi oportet, quod Selinon satiuum à Dioscor. dicitur, estq; illud quod Petroselinum Macedonicum uulgò appellatur, quia in præruptis montibus Macedoniæ crescit.

DIVISIO EIVS.

Apij uaria sunt genera apud Medicos, quæ Dioscorides ponit, sunt Eleoselinon, Oreoselinon, Petroselinon, Olusatrum, & Smyrnion, quæ quid re ipsa sint, quilibet apud Dioscor. uidere potest.

Est autem historia generū Apij ualdè difficilis, unde & in ijs de scribendis ac discernendis medici ualde dissentiunt.

Plinius ex Chrysippo, sexu distinguit, fœmina ut sit crispioribus foliis atq; duris, crasso caule, sapore acri & feruido. Mas foliis nigrioribus, breuioris radicis, uermiculosq; gignens, Neutrum ad cibos admittebant, nephastum existimantes, quoniam defunctorum sit epulis feralibus dicatum: & ut Plutarchus inquit, coronentur
U Apio sepulchra: unde uetus illud prouerbium, Indigere Apio, de ijs qui periculosè ægrotant, & profligata utuntur ualetudine.

DESCRIPTIO.

Apium hortense ut Cherefolium caulem habet, qui sæpe cubitalem æquat altitudinem, & intrinsecus est concauus, tenuiter striatus, rotundus, multisq; ramulis brachiatus, folia habet dissecta & leniter crispa, floseulum uerò candidum, & quo minutiorem haud temere reperias. semen & radicem ad modum Petroselini habet, Nascitur q; libenter in humidis ac benè stercoratis locis.

TEMPERAMENTVM.

Apium calidum est in primo, siccum uero in secundo ordine. Galenus inquit, quòd usq; adeo calidum sit, ut & urinam & menses cieat.

Semen in medicina maiorem habet usum quàm herba uel radix.

VIRES AC IVVAMENTA.

Succus Apij ualde conducit recentibus & inueteratis uulneribus, si quis indat.

Semen

A Semen in puluerem redactum, & cum aqua raphani sumptum, maximè urinam promouet, & calculum tum in uesica tum in lumbis frangit.

Apium cum polenta permistum & epiphoris impositum, mirè auxiliatur, sic quoq; stomachi ardores mitigat.

Mammarum concreto in grumos lacte durities dessicit.

Cum uino mixtum & cum mellicrato edulcatum, urinam benè mouet & mulierum menstrua, potui datum. Eodem modo sumptum concoctionem adiuuat.

Radix Apij in uino elixa ac bibita, expellit calculum uesicæ atq; lumborum.

Aduersatur uenenis potum foliorum radicumq; eius decoctum, uomitiones ciens, stomachiq; tumorem discutit.

Si semen ab ijs estur, quibus anima fœtet, grauis halitus tædium emendat, nihil enim æquè suauitatem oris commendare prodiderunt.

Apium colorem reducit ex diuturna ualetudine amissum, si quis in cibo quotidie utatur.

Idem cum radice Petroselini in uino decoctum, aduersus aquam intercutem utiliter sumitur.

Succus Apij cum albo oui temperatus, uulnera mundat, emplastri modo impositus, Puerperæ & nutrices ab Apio abstinebunt,
B ab eo enim cibo Plinius scribit infãtes qui ubera hauserint, comitiales fieri.

Apium & Abrotanũ in lixiuio decocta, si inde caput lotum fuerit, ad defluuium capillorum prosunt.

AQVA APII.

Apium distillari debet cum tota substantia circa finem Maij.

Aqua Apij temporibus illita conciliat somnum, & ad omnes suprà prædictos morbos salutaris est.

APIVM SYLVESTRE.

NOMENCLATVRAE.

Σέλινον ἄγριον.

Apium syluestre.
Apium risus.
Wilder Eppich.

ANNO.

C

ANNOTATIO IN APIVM Syluestre.

APIVM syluestre apud Dioscor. est alterum genus ranunculi herbę, quod nostræ ætatis Herbarij, ut Vergilius Marcellus inquit, Apium risus appellant, genus & noxam eius simul indicantes, In Apiorum genere enim ob similitudinem ab omnibus numerata est, atque à regione, in qua copiosius prouenit, Sardoam, siue Sardoniam dicunt, quæ pota siue comesa, mentis alienationem, & cum labrorum contractione eas conuulsiones facit, ut risus speciem uidentibus prebeat, Inde enim Apium risus appellatur, uel ut Apuleius Madaurensis scribit, si quis hominum eam gustauerit, ridendo exanimat. Ab eoque tristi affectu quondam inter homines prouerbium, Sardonius risus iactabatur. Et absque dubio hoc prouerbium originem suam sumpsit ex hac herba, quæ ut iam dictum est, Sardoa siue Sardonia à regione appellatur. In eam sententiam & Erasmus in eodem prouerbio hisce uerbis scribit: Sunt qui dicant in Sardorum insula, herbam nasci quandam, cui Sardoæ cognomen sit, Apiastro similem, Eam sapore quidem esse dulcem, uerum gustatam, ora hominum in rictus dolore contrahere, ut ueluti ridentes emoriantur. Hoc sensisse inquit, uidetur Solinus, cumq; hoc

D Seruius grammaticus enarrans hunc ex Vergiliana Thyrside locum.

Imò ego Sardois uidear tibi amarior herbis.

Meminit huiusherbæ & Plinius lib. 25. circa finem.

Apuleius eam scelleratam herbam quoq; uocauit, quoniam nimis malo euentu constet risus ab ea factus.

DESCRIPTIO.

Hæc herba iuxta descriptionem Dioscoridis, est lanuginosa, altiore caule, & pluribus foliorum incisuris, plurimumq; nascens in Sardinia, efficaciſſimæ acrimonię.

Nascitur autem in locis incultis & aquosis, ubi ranæ sunt frequentes, & est facilis inuentu, ut scribit Marcellus, & ubique oculis occurens, quàmuis à congeneribus alijs suis ob similitudinem difficillimè discernatur.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; deſiccat in tertio ordine.
Est illi uis & natura acris & in exulcerando efficaciſſima, ut & alijs gene-

A

generibus ranunculi.

Herba est satis nota Empiricis, solent eam applicare apostematibus propè maturis, loco causticiuel phlebotomi.

VIRES AC IVVAMENTA.

Apium syluestre curat & tollit clauos ac uerrucas in pedum digitis, si contusum ipsis imponatur.

Succus huius herbę mulieribus tumorem mamillarum repellit, cum radice Ibisci impositus.

Semen eadem prestat, necp adeo periculosum est ut herba uel folia, in cibo sumptum.

Ex hac herba in uino macerata si quis biberit, conducit aduersus febrem quartanam, urinam quoque ciet, Tollit etiam oppilationem splenis atcp iocineris.

C

APIVM RVSTICVM.

B

NOMENCLATVRAE. D

Apium rusticum.
Apium Regale.

Bauren Eppich.

ANNOTATIO IN APIVM RVSTICVM.

APIVM rusticum ueteres pro Apio syluestri uel Apio risus accipiebant, uerum Herbarij recentiores aliud genus Apij esse uolunt.

TEMPERAMENTVM.

Est autem calidum & siccum in quarto ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Herba hæc contusa & uino temperata, si inde frigida cutis foueatur, inducit naturalem calorem.

Suc 's

A Succus cum Aceto permistus,& emplastri modo impositus nouem diebus continuis,cancrum sanat.

Idem scabiosis conuenit,si cuti illinatur.

Ventris quoq; tumorem citò discutit.

APIVM HAEMORRHOIDVM.

NOMENCLATVRAE.

Apium hæmorrhoidum.

Feig blatern
Æppich.

ANNOTATIO IN APIVM HAEMORRHOIDVM.

EST etiam Apium quoddam Hęmorrhoidum,quod ideo sic dicitur, ut Vitalis de furno inquit, quia puluis aut cinis eius hæmorrhoidibus insperſus aut impositus, earum fluxum restringuat.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit quoq; & desiccat in quarto gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Conducit ad fluxum Hæmorrhoidum, contusum & emplastri modo impositum.

B

D Valet etiam ad fluxum sanguinis uulnerum, cum aceto & aqua rosacea impositum.

Hæc herba cum Aceto & uino decocta, impuram scabiem expurgat,& extirpat ex profundo, cutemq; nitidam reddit,si inde lauetur.

Radix siccata, deinde in puluerem contusa,ac putridis uulneribus & gangrænæ insperſa, erodit absq; ullo dolore.

AQVILEGIA.

NOMENCLATVRAE.

Aquilegia.

Agleyen.

ANNOTATIO IN AQVILEGIAM.

AQVILEGIA herba, num Græcis ueteribusq; medicis fuerit cognita, haud facilè aliquis affirmauerit, cũ ex medicis adhuc nullus existat, qui certò ostendere potuerit, quæ nam herba Aquilegia sit apud Dioscoridem, Non parum uerò aberrant, ut etiam Euritius Cordus in suo Botanologico testatur, non solum uulgares herbarij, uerum etiam magni similiter medici quidam, qui Aquilegiam herbam Græcorum Ægilopa credunt, omnesque eius facultates eidem tribuunt, nihil enim in ea quod Ægilopis historiam referat conspicitur. Ægilops, ut in Auena ex Dioscor. & Plinio demonstratum est, est species Auenæ quæ sponte sua prouenit, & auena syluestris ac erratica uocatur, Hæc ita cum Aquilegia conuenit, ut rosa cum Anemona.

DESCRIPTIO.

Aquilegia herba est folia Chelidoniæ similia habens, rotundiora tamen ac molliora, caulem altum, cœruleos aut candidos flores
B cum caudis gerentem, ex quibus fiunt capitula, in quibus nigrum semen, ut Chelidoniæ semen clauditur.

Radix eius densa est intra terrã & profunda, nascitur in pinguibus pratis ac hortis.

VIRES AC IVVAMENTA.

Odor eius est acris, uirtutem habet penetrandi ac consumendi dura apostemata.

Herba hæc contusa fistulis medetur, si succus instilletur.

Malam scabiem corporis citò curat, si triticea farina oleoq̃; tartari illinatur.

AQVA AQVILEGIAE.

Optimum tempus distillandi est, ut herba cum caulibus concidatur quando flores gerit.

Hæc aqua tribus aut quatuor uncijs singulis uicibus pota confert aduersus uenena, & Choleram stomachi, tum etiam interiora corporis apostemata discutit.

Lipothymia laborantes ad se redeunt, si ex hac biberint.

DE HERBIS, CAETERISQVE ANAGALLIS.

NOMENCLATVRAE.

Ανεγάλις.

Anagallis.
Morſus gallinæ.
Hippia.

Hüner darm.
Hüner biß.
Gauch heyl.
Vogel kraut.
Hüner ſerb.

ANNOTATIO IN ANAGALLIDEM.

DANAGALLIS tam Græcis quàm Latinis ea herba dicitur, quam officinæ Morſum Gallinæ uocant, nihilq; iam deſpectius Anagallide eſt, cũ tamen in antiqua medicina, multus fuerit eius uſus, numerauitq; eam Paulus Ægineta inter ea, quibus caput purgatur, iuſſitque ſuccum eius naribus in eum uſum infundi. Qui magicis ſuperſtitionibus ſunt imbuti, ut refert Plinius, præcipiunt effoſſuris, ante ſolis ortum, priuſquam quicquam aliud loquantur, ter ſalutare eam, tum ſublatam exprimere, ita præciptuas eſſe uires.

DESCRIPTIO.

Anagallidis iuxta Dioſcor. duo genera ſunt, diuerſo floris colore, Habet enim altera cœruleos, quæ fœmina eſt, altera quæ maſcula, puniceos flores. Breues ſunt Anagallidis frutices, in terra iacentes: foliis in quadrangulo caule paruis & modicè rotundis, helxines figura, ſemen habet circinatum. Hieronymus Brunſuicenſis pertiſſimus Herbarius, ſcribit adhuc aliud genus eſſe Anagallidis, quod albos flores gerat.

TEMPERAMENTVM.

Anagallis frigida & humida eſt in tertio ordine, Singularis cibus eſt auium & gallinarum, naſcitur locis opacis & uliginoſis, cultis & incultis, Leniendi uis utriq; eſt.

VIRES

Anagallis inflammationes membrorum arcet & extinguit, si imponatur.

Accipe succi Anagallidis cum succo Aizoi permisti, singulorum semilibram, olei oliuarum unam libram, hæc simul decoquantur ad consumptionem medietatis, deinde admisceantur iiij. unciæ butyri, ęruginis semi uncia, & inde fiat unguentum, quod ad multos exteriores corporis affectus ex calore contractos conducit, & præcipue aduersus fistulas, si indatur, uel emplastri modo imponatur.

Hæc herba cum uino decocta, & thoraci imposita, asthma tollit.

Succus caput purgat, naribus instillatus.

Idem gargarizatus, capitis pituitas per os purgat. Dentium dolorem quoq; finit, à contraria nare instillatus.

Anagallis uirtutem habet abstergendi & siccandi, quare & uulnera sanat, & ulceribus serpentibus & putridis, utiliter imponitur.

Ad recentia quoq; uulnera tanta traditur uis, ut saniem ossibus extrahat.

Galenus utranq; Anagallidem tradit quendam attractorium calorem possidere, quo spicula ac spinas, uel impactos corpori refigit aculeos.

B Oculorum albugines purgat Anagallis cum melle Attico. D

Prodest hebetibus itidem oculis.

Idem præstat semen cum optimo melle temperatum & oculis illitum.

Contra uiperarum morsus, iocineris & renum uitia, ex uino bibere prodest.

Ferunt Anagallidem, ut inquit Dioscor. cui cœrulens flos est, procidentem sedem compescere, cui uero punicens, proritare.

AQVA VTRIVSQVE ANAGALLIDIS.

Tempus distillandi conueniens est circa finem Maij, uel quando flores gerit, tum herba cum caulibus, floribus, & tota substantia distillari debet.

Aqua Anagallidis sex uncijs pota medetur pesti, si quis statim se quieti tradiderit, & inde sudauerit. Ex mascula Anagallide propinatur uiris, ex fœmina mulieribus.

Aqua hæc quotidie iiij. uncijs singulis uicibus pota, recentia uulnera sanat, si inde lauentur.

Calenti iocinori cum molli cannabe utiliter imponitur, conducit itidem ad calidum tumorem cum linteis sæpius imposita.

C Infantibus potu data ad ij. uncias, conseruat ne paralysi corripiantur, atq; ab eo morbo illos planè liberat.

Pota ab illis qui syncope præmuntur & omnibus uiribus destituti sunt, eos confortat & aliquamdiu conseruat.

AQVA.

NOMENCLATVRAE.

ὕδωρ.

Aqua.

Wasser.

ANNOTATIO IN AQVAM.

HYDOR Romani Aquam dicunt, & est elementū quod ab æqualitate dicunt, nihil enim illa dum quiescit æqualius. Themistius inquit aquam inde dictam esse, quia id
D sit, à qua uiuimus. Quum autem multus & quotidianus Aquę, & homini, & pecori usus sit, nihil accuratius homini curandum, quàm ut Aquam qualem esse oporteat inuestiget.

Aquas enim ubi uitio inficiantur aliquo, uarios subinde parere morbos, quotidiana docet experientia.

Socrates igitur non sine causa præceperat, ut in his locis minimè degatur, ubi neq; iusticiæ locus, neq; profluens Aqua perennis sit: quasi his duobus ablatis, nihil reliqui manere quod humanitatem sustinere possit.

Aquarum preterea uirtutes & uitia, ut Ægineta docet, cognita habere expedit, ut quæ in omnem ferè usum, magisq; ad quamlibet uictus rationem requirantur.

AQVARVM POTABILIVM V. DIFFERENTIAE.

Hic uero minimè ignorandum est Vallam ex Ruffo, quinq; differentias Aquarum potabiliū citare: pluuiam nanq;, ut cisternam, fontanam, putealem, fluuialem, & palustrem.

Ea autem Aqua optima censenda est, autore Ægineta & Dioscoride, quæ nullam aut gustu, aut odore qualitatem repræsentat: sed protinus bibenti suauis est, & uisu pura limpidaq;, Aqua pura iudicatur gustu, uisu & odoratu, Autore Galeno lib. 1. de simpl. medica. facultа.

De qua-

A

STAGNANTES AQVAE, FLVVIALES, & Pluuiales.

C

De qualitate aquarum in ſalubritate uel comoditate Plinius lib. 31. cap. 3. ſic inquit.

Quæritur inter medicos cuius generis Aquę utiliſſimæ. Stagnantes pigraſq; meritò damnant, utiliores quę profluunt exiſtimantes, curſu enim procurſuq; ipſo extenuari atq; proficere, eoq; miror cę-ſternam ab aliquibus probari, Sed hi rationem adferunt, quoniam leuiſſima ſit imbriū aqua, ut quæ ſubire potuerit ac pendere in aere. Et hæc, ut Aegineta inquit, omnium promptiſſimè computreſcit, ceu diuerſis ex qualitatibus conflata, nemo tamen ob id deterrimam eam eſſe exiſtimet, nam mutationis facultas uirtuti potius, quã uitio tribuitur. Prętereà inter imbrium aquas, æſtiua quæ tonitru decidit, præſtantior eſt quàm quæ nimbis demiſſa eſt.

AQVAE GLACIALES.

Ex glacie & niuibus aqua, inſaluberrima eſt, nam ea congelaſcente, tota pars tenuior exprimitur. Hactenus Aegineta.

AQVAE FONTANAE.

Porrò aquæ fontanæ ſeptentrionales, ut Vitalis teſtatur, ad potum ſunt utiliſſimæ, eò quòd expoſitæ ſint uentis ſeptentrionali-
B bus, & ex motu illorum uentorum ſubtiliores reddantur.

Aquæ item fontium, quæ oriuntur & erumpunt, atque per uias D
arenoſas & petroſas profluunt, ſubtiliores quoq; ſunt, ac nõ minus ad bibendum ſalubres. Quia ſabulum, arena & lapilli & petræ retinent uiſcoſitatem, & craſſitiem terreſtrem aquæ tranſeuntis, atq; ita eam clarificant, emundant & extenuant.

AQVAE PVTEALES.

Aquæ uero puteales non tam ſalubres ſunt ad bibendum quàm fontium aquæ, quia Conſtantino teſte, Aquæ puteales groſſiores ſunt, & malæ digeſtionis, cum propter terrę ſalſuginem & limum, tum propter ipſius aquæ quietem & propter elongationem ab aëre & ſole. Quo circa neceſſe eſt ut puteorum aquę frequenter moueantur, hauriantur q;, ſi quidem ex tali motu aqua depuratur, & ã corruptione præſeruatur.

DE AQVARVM VSV ET FACVLTATIbus, ac earum nocumentis.

Aquæ omnes natura ſunt frigidæ & humidæ.

MELICRATON PRO VOMITV.

Commiſce aquam & mel, atq; ſalem adde, cola per linteũ. quod ſi libenter uomere uolueris, calefacito ac bibito, hoc uomitum leuiter prouocat.

Quicunq; turbidam & grauem aquã biberit, eius corpus intume

A ſcit,ſplen corrumpitur, maliq; humores in corpore congregantur. C

Aqua frigidis natura multos morbos adducit.

Grauidæ mulieres, quę multum aquę bibunt, cum magna difficultate & labore pariunt fœtus.

Ex nimio quoq; potu aquæ mulieribus menſtrua ualde mouentur,unde illis lipothymia ac uertigo exoritur, cerebrum etiam inde nimium refrigeratur.

Aquam licet potui dare aduerſus febrem contractam ex cholera,eam enim reprimit ac conſumit,uerum in acceſſione febricitanti nulla aqua eſt propinanda,nam febris inde prolongaretur.

Itidem nulla aqua ægrotanti eſt potui danda, quàm diu humores in corpore adhuc crudi & inconcocti ſunt.

Cibus hominum non poteſt parari abſq; aqua.

Ex aquis ſalientibus meliores ſunt, quæ nondum opertæ ſunt. Et quo longius aqua abfuerit à ſua origine,eo magis probatur.

Probatur item quæ eſtate frigidior,hyeme calidior eſt.

Aqua elixa minus inflat quàm non elixa, & citius à præcordijs deſcendit.

Calida Aqua facit ad inteſtinorum tormina, & ad ſplenis inflationem. Eadem concoctionem deſtruit, & non citò ſitim ſedat.

Stagno ſi quis uſus fuerit, hoc nocumentum infert ſtomacho.

B Aqua paluſtris quę omnium eſt deterrima, lienis ulcera generat, & hydropem producit.

Aqua pluuialis,& præcipue quę colligitur eſtate, quando tonitruat ac fulgurat,numeratur inter optimas aquas, quarum in medicinis uſus eſt.

Quę autem alijs temporibus colligitur & non eſtate,uoci obeſt, & pectoris obſtructionem inducit.

Tepida Aqua infert faſtidium ac nauſeam. Frigida aqua pota, omnibus interioribus uitijs nociua eſt, quare ęgroti abſtinebunt à potu illius aquæ,

Multi homines ex lauacro frigidę aquæ mortem obierunt, Quare uideant, qui aquam frigidam ingredientur, ut docet Aegineta, ne uenere, neq; alio quodam modo laſſi, neq; cruditatem ſentiant, neq; uomitu,aut aluo inaniti, neq; uigilijs defatigati ſint,periculoſum enim eſt ſi quis ita affectus,frigidæ lauacro utatur.

Aqua elixa cum hordeo hominibus conducit,ac interdum optima eſt Medicina,& in primis ad morbos ex calida intemperie prouenientes, quare & tertiana febre laborantibus eã bibere conducit.

Ex aquis ſalientibus meliores ſunt, quæ circa orientem & meridiem ſcaturiunt, Alię quæ ab occidente proſiliunt, inſalubres ſunt, & morbos pariunt.

ACETVM.

A

ACETVM. C

NOMENCLATVRAE.

ὄξος.
Acetum.
Eſſig.

ANNOTATIO IN ACETVM.

XON Romani Acetum dicunt, quod acre uinum eſt, quia uel acutum ſit, uel quaſi aquatum uinum, Vinum enim Aqua mixtum citò in hunc ſaporem uertitur, uel dicitur à uerbo aceo. Plinius inquit, Acetum uini uitium eſſe quod ad luxuriam ceſſit hominibus, tot ad uſus expetitum, ſine quibus uita mitior exigi non poſſet. Acetum ut Platina ſcribit, ex uino fit, ſi uas fuerit uacuum & non clauſum, Aer enim ex uacuo elicit potentiam eius, nam cum uinum ſemina potentię in ſe habeat, ac uapidum fiat, tranſit in uitium, quod Acetum dicitur, adeo frigidum, ut ante omnes humores flammam extinguat. Acetum ſubitò ſic Græci fieri promittunt, ſi tuſam betæ radicem in uinum coniece ris, poſt horas tres in Acetum degenerabit. Mirum acorem conci-
E pere tradit Sotion, ſi aridi uinacei aut pauci uuæ acerbæ acini de- D
mittantur. Pyretrum quoq; infuſum acorem ſupra modum accendit, ſi cum una parte feruefactum reliquæ miſcueris. Si lapides igniti in uino extinguantur, iſtud uinum ſtatim fit Acetum. Quidam ſine uino ita Acetum confinguntifici ueteres, & torridum hordeum, & citriorum malorum interna caro crebrius ſubacta cõturbataq;, colis exprimuntur, ut in aceti uicem ſuccus cedat. Alij marinam aquam & gypſum concoquunt, admiſtaq; aqua fluuiali percolant aceti uſu.

TEMPERATVRA ACETI.

Variæ ſunt autorum ſententiæ de Aceti qualitate. Ægineta ſcribit Acetum mixtæ naturæ eſſe, ſed utriuſq; tenuis, frigidam tamen calidam excellere, cæterum in tertio ordine ſiccare.

Similiter quoq; Galenus in primo libro de ſimplicium medicamentorum facultatibus diſputat, frigidum quidem eſſe acetum, ſed quendam etiam obtinere calorem, qui acrimoniæ ratione per accidens ſpacio temporis mediocriter corpus excalfaciat. præterea addit, omnium quæ acrimoniam hebetare, aut calorem refrigerare creduntur, eorum omnium acetum compertũ eſt efficaciſſimum.

DE FACVLTATIBVS ET IVVAMENtis Aceti.

Acetum refrigerat & aſtringit, ut teſtatur Dioſco. cum ſpongia

A malignis puſtulis impoſitum, inflammationes arcet.

Compeſcit Acetum procidentes fœminarum locos, & in utroq; ſexu ſedes, ſi eo illinantur.

Stomacho frigido obeſt, nimium enim ipſum refrigerat, ne poſtea benè concoquere poſſit.

Prodeſt malis ulceribus quæ ſerpunt, ignibuſq; ſacris.

Eodem pterygia, lichenes & lepræ curantur, addito utiq; ſemper aliquo exijs, quę priuatim aduerſus ea uitia polleant.

Acetum cum melle decoctum, purulentis oculis medetur, ſi eo ungantur.

Contra capitis ardores addito roſaceo in ſpongia aut ſuccida lana imponitur.

Dentium doloribus medetur, ſi eo calido colluantur. Prodeſt anginis, & deiectæ oris columellę, ſi calidum gargarizetur.

Acetum cum ſale temperatum, facit ad lethargum & phreneſim ſi interiores partes manuum & plantæ pedum, eo fricentur & inungantur.

Si Acetum ſtomachum inuenerit plenum, laxat, ſi uero uacuum inuenerit, tum ſiſtit.

Panem in craticula toſtum in aceto contunde, & ex eo ægroti
B os, labia, nares, atq; pulſum illine, hoc maximè confortat, & uires reſtituit. Aduerſus alui fluctiones, Sume Acetum & in eo Ariſtolochiam rotundam, uel Garyophylla decoque, & in eo ſpongiam macera, quam ad uomitum ſtomacho ſuper impones. Ad alui fluctiones uerò uentri ſub umbilicum impones.

Accipe Acetum forte, & permiſce cum argilla in fornace uſta, atq; inde parum in nares illine, hoc ſtatim fluxum ſanguinis reſtringit. Fluentem ex uulneribus ſanguinem quoq; ſiſtit.

Vaporantur calente aceto cutem ſubeuntes aquę, aurium grauitates, ſibilaq; & ſonitus earum. Necat inſtillatum aurium uermes.

Facit pręterea ad omnia uenena letalia, calidum potum, mox uomitionibus redditum: pellit quoq; hauſtas hirundines potum acetum, Reprimit gargarizatum in fauces deſtillationes.

Peſtilenti anno hoc uti in obſonijs, ac odoratorum uice id pulſibus ac naribus admouere, domiciliaq; humectare iubemur.

Liberatum acerrimo podagræ dolore M. Agrippam ſupremis ſuis annis ferunt, demerſis in Acetum calidum pedibus.

Acetum deſiderium edendi inſtaurat, hinc fit ut in cibis primæ menſę eo plurimum utantur.

A

ATRIPLEX.

NOMENCLATVRAE.

Ατράφαξις.
Χρυσολάχανον.

Atriplex.
Atriplexum.

Scheißmelde.
Melde.
Hunds melde.

ANNOTATIO IN ATRIPLICEM.

B ATRIPLEX Latinis, Græcis Atraphaxis dicitur, ab atro colore, ut quidam putant, tanquam faceret hydropicos morboſq; regios ac pallorem, ideoq; à Pythagora damnatur. Addidere, ut Plinius inquit, Dionyſius & Diocles, plurimos gigni ex eo morbos, quibus facies maximè decoloratur. Quidam uero imitatione Græcę uocis ἀτραφάξις, dictam putant. Olim Atriplexum, ut Pompeius refert, appellabatur, A nonnullis etiamnum Chryſolachanum dicitur, quod olus hoc aureum colorem oculis referat, Aberrant multi, qui Atriplicem id olus eſſe putarunt, quod uulgò Spinachia dicitur, quoniam Atriplex antiquum eſt & notum, Spinachia nouum olus eſt, uulgariter uocatur **Binetſch**. De quo ueteres nihil in literarum monumentis tradiderunt, forſitan ob id, quòd cibo potius, quàm medicinę natum eſſet, magis enim Atriplice alit, aluum leuigat, laudabiliuſq; nutrimentum poſt ſe relinquit.

DESCRIPTIO.

Atriplex notum olus eſt, Duo eius genera ſunt: Satiuum & ſyluestre. Syluestris nullus eſt uſus.

Quidam tria eius oleris genera ponunt, quoddam enim album, quoddam etiam rubrum, aliud uero uiride, Sed omnium eandem eſſe in purgando uentre facultatem certum eſt, ſuntq; omnes ſemine foliaceo, habentq; in uertice caulis flores uirides, radicem candidam & lignoſam, naſcunter libenter apud Bletam. Sationem Atri-

plicis

A plicis docet Columella lib. 12. his uerbis: Cherephilum itemq; olus Atriplicis quod Græci uocant ατράφαξιν, circa Calendas Octobres obrui oportet, non frigidissimo loco, nam si regio sæuas habet hyemes, post Idus Februarias semina serenda sunt, suaq; sede partiẽda.

TEMPERAMENTVM.

Atriplex, ut Ægineta testatur, humectat in secundo, ac refrigerat in primo ordine, qua de causa uentrem quoque emollit: semen ipsius ui pollet absterſoria, unde ictericis ex iocineris obstructione accomodatum est.

VIRES AC IVVAMENTA.

Atriplex contusa & permista cum melle, podagram tollit, si emplastri modo imponatur. Itidem & Macer scribit:

Atriplicem tritam cum nitro, melle, & aceto
Dicunt appositam calidam sedare podagram.

Semen Atriplicis cum aqua mulsa potum, sanat felle suffusos.

Sacros ignes ac inflammationes sedat succus ex folijs contusis expressus, & impositus.

Sanguinem excreantibus comodum est uti Atriplice.

B Ad uitia uuluarum mulieribus uentri imponitur, tum dolor matricis statim sedatur.

Ad emolliendam aluum estur coctum ut olus, & uarios tumores discutit.

Atriplex contusa & emplastri modo membro alicui ex spina uel clauo læso, imposita, absq; omni nocumento ea extrahit, & sanat.

Cum melle si Atriplex decoquatur, & scabris unguibus imponatur, sine iniuria eos detrahit.

Semen conducit suspiriosis, si sæpius eo utantur. Idem quoq; expellit lumbricos, & uomitiones prouocat.

Pythagoras, ut supra quoq; indicatum est, Atriplicem damnabat, ut quæ morbum regium ac pallorem induceret, uerum Dioscorides longe aliter sentit, scribit enim Atriplicis semen ictericis prodesse.

Atriplex quoque epar calidum habentibus conducit.

Mercurialis si unà cum Atriplice decoquatur in olere, & eo iure si quis utatur, soluit uentrem, & tollit etiam dolorem uesicæ.

Si quis usus fuerit Atriplice decocta cum Beta ac Mercuriali, tum febrem extinguit.

A

AVRICVLA MVRIS.

NOMENCLATVRAE.

Μυός ὦτα.
Auricula muris.
Piloſella.
Meuß ohr.
Nagelkraut.

ANNOTATIO IN AVRICVLAM MVRIS.

MYOSOTA ſiue Myoſotis à Romanis Auricula muris dicitur. A muribus autem ideo nomen inuenit, ut Dioſcorides inquit, quòd eorũ auribus ſimilia habet folia. Alſine itẽ dicta eſt, quòd lucos, quos Græci ἄλση uocant, umbroſaq; & nemoroſa amet loca. Hallucinantur qui hãc Anagalli dis generibus aſſignant, cum latiſſimo diſcrimine inter ſeſe diſcrepent, quemadmodum declarat Leonardus Fuchſius in libello de erratis medicorum, item Ruellius, aliíq; complures, qui de herbis ſcripſerunt.

Dioſcorides inquit, quõd duo ſint genera Auriculæ muris, Primum quod in memoribus lociſq; arenoſis naſcitur, & Alſine uocatur, quod hodie non eſt cognitum Herbariis, ut Vergilius Marcellus putat.

B

Alterum genus eſt, quod plures ab una radice caules mittit, aliquatenus ab imo rubentes & concauos, folia habet oblonga & anguſta, dorſo elato & eminente, nigreſcentia, per interualla deinceps geminata, & in acutum deſinentia, radix eſt digitali craſſitudine, multis capillamentis fibrata. hoc modo deſcribitur à Dioſco.

Quam autem nos appellamus Auriculam muris uel Piloſellam, ut Otto Brunsfelſius oſtendit, ea eſt minuta herba, foliis piloſis, humi proſerpens, caule item paruo & piloſo, floribus luteis ac odoratis, Cuius etiam duplex genus eſt, Vnum magnis foliis eſt, Alterum uero paruis, utriq; flores ſunt lutei.

DESCRIPTIO.

Auriculæ muris duo genera ſunt, Primum flores rubentes habet, Alterum uero cœruleos habet flores, & humi ſerpit, caules ac folia habens piloſa, naſcens in frigidis montibus & nemoribus, radicem habet candidam, paruam, & multis fibris capillatam.

TEMPERAMENTVM.

Hęc duo genera uulgaribus Herbariis magis ſunt in uſu, & in his regionibus frequentiora.

Habet

C Habet utrumq; genus naturam ſiccandi cum exiguo calore, Sed Auricula muris quæ à Dioſcoride Alſine appellatur, uim habet helxinæ ſimilem, ut Ægineta ſcribit, quæ refrigerat humectatq;, quapropter ad feruentes inflammationes conuenit.

VIRES AC IVVAMENTA.

Auricula muris conuenit ad exteriora corporis uulnera, non ſinit ea ſuppurare, ſi imponatur, Succus in ore retentus tollit paruli-das. Idem cum aqua Chelidoniæ ac melle permiſtus, conducit hebetibus oculis ſi imponatur.

Auricula muris quę cœruleos habet flores, cum Taxo barbato in uino elixa, & emplaſtri modo impoſita, procidentem ſedem reducit in ſuum locum.

Succus auribus inſtillatus, ſonitum earum diſcutit, & expellit uermes.

Idem naribus inſtillatus, prouocat ſternutationẽ, & caput purgat ex malis humoribus.

Auricula muris quæ rubentes habet flores, uim habet attrahendi. Si ſpina uel telum membro alicui fuerit infixū, hoc leniter extrahitur, Sume ſuccum Auriculæ muris, ſuccumq; Dictamni, & puluerem magnetis cum axungia porcina permiſce, & ad modum unD guenti impone.

Cum hedera terreſtri contuſa & ſuccus ille auribus inſtillatus, medetur doloribus dentium.

Conducit aduerſum morſus uenenatorum animalium.

Succus cum uino elixus ac potus auxiliatur morbo comitiali.

Auricula muris, Tithymallus, ac Cyminum in uino decocta, & cum modico melle uel Zaccaro permiſta, tormina inteſtinorum diſcutiunt, ſi quis utatur.

Certum experimentum aduerſus Herniam: Radicem cum herba in Maio effodito & ſiccato, puluerem illum cum malua, pueris ruptis eſui dabis in pulte, Adulti uero in cibo ſument, hoc iuuabit.

Aduerſus morbum regium decoque auriculam muris & fragariam in uino, & ex eo potu bibe mane & ueſperi.

AQVA AVRICVLAE MVRIS.

Herba & radix cum tota ſubſtantia circa finem Maij colligenda & diſtillanda erit.

Aqua Auriculæ muris mane & ueſperi ſingulis uicibus duabus aut tribus uncijs pota, ſalubris eſt aduerſus Tabem.

Eadem pota confert ad capitis uertiginem, tum quoq; benè conferunt lintea ea aqua imbuta, & capiti circumdata ac admota.

Conducit etiam pota contra ſputum cruentum.

Saluberrima eſt aduerſus præfocationem uteri, ſi mulier interdiu tot

A diu ter uel quater inde biberit, singulis uicibus quatuor uncias. Itidem conducit uomentibus & tormina uentris habentibus.

Eadem pota salutaris est ad malos & calidos siccosq; affectus corporis, aluum enim lenit, lumbricos necat, discutit tumorem.

Medetur membrorum paralysi cum linteis imposita.

Oculorum ægilopis etiam medetur.

Finis Literæ A.

Sequuntur descriptiones Herbarum Literæ B.

BASILICON.

NOMENCLATVRAE.

Ὠκιμον.

B

Basilicon.
Ocimum.
Ozimum.
Gariophyllatum.

Basilien.

ANNOTATIO IN BASILICON.

CIMVM, uel ut alij scribunt Ozimum, à Latinis Basilicon uocatum, regia herba est, flagrantissimi & uehementissimi odoris, unde nomen accepisse credimus, nempe à Græco uerbo ὄζω, quod significat redoleo, Quidam Ocimum ab ὠκυς dictum putant, hoc est à celeritate nascendi, omnium enim in horto satorum celerrimè prouenire solet, Quodq; uix credat aliquis, feruenti aqua consperſum, celerius prouenire dicitur, uniq; Ocimo meridiana datur aqua, cum cæteris oleribus horæ rigandi matutina atq; uespera, ne inferuescat aqua sole, Mirum quoq; quod Theophrastus prodidit, nempè lætius prouenire si cũ maledictis ac probris seratur, Columella libro Duodecimo præcipit, Ocimum circa Idus Maias serendum esse, & quando semen ter

Cra obrutum est, ipsum diligenter pauicula uel cylindro inculcari debere, Nam si terram suspensam reliquerit olitor, facillimè totū corrumpitur & perit. Gargilius Martialis rem notatu dignā affirmat, quòd modo purpureos, modo albos, modo roseos flores pariat: si ex eo semine frequenter seratur.

Ocimum Chrysippus olim grauiter increpuit, ut Plinius scribit, inutile esse dicens stomacho, urinæ, oculorum quoq; claritati: præterea insaniam facere, & lethargos, & iocineris uitia: ideoq; capras id aspernari, hominibus quoq; fugiendum censuit. Recentiores Græci, qui de re rustica scripserunt, Basilicon & Misodulon appellant Ocimum, tantamq; cum eo fœminæ discordiam inesse prædicant, ut si pultario subiectū sit, nec mulier id sciat, futurum, ut nunquam cibo manus admoliatur, priusquam subductū fuerit. Apud antiquos erat pabuli genus, quod Cato quoq; Ocimum uocat, quo sistebant aluum bubus. Porrò ingens controuersia in Plinio & Dioscoride est, ut alterum ipsorum errare opus sit, Dioscorides enim inquit, si à Scorpione uulnerētur qui Ozimum comedēre, incolumes euadere: econtrariò Plinius li. uigesimo, capite duodecimo. Si quis ea die qua Ozimum comederit à Scorpione pungatur, non posse sanari. Quidam per uarias Ozimi species hanc controuersiam tollere conantur, quæ diuersam habeant naturam.

DESCRIPTIO.

Dcimi duo sunt genera, Crispum scilicet, & longum. Crispum est quod habet strictiora & minora folia & Gariophyllatum appellatur, ab odore Gariophyllorum, in cacumine habet ramulos crispos & flores albos, hoc ab autoribus censetur optimum esse & medicinæ conuenire. Longum autem, caulem habet fermè cubitali altitudine, floribus roseis, semine nigro & odorato, in pinguiore terra libenter nascens.

TEMPERAMENTVM.

De temperamento & natura Ocimi autores non concordant. Nam Auicenna ponit in primo ordine calidum & siccum esse, Galenus uerò & Ægineta secundo calefacientiū ordini assribūt, quodque habeat humiditatem quandam excrementitiā, propter quam neq; utile sit intus assumptum: extrinsecus autem illitum, discutiat & concoquat.

VIRES AC IVVAMENTA.

Basilicon seu Ocimum odore suo cerebrum confortat, qui uerò infirmum cerebrum habuerit, huic non admodum conuenit.

Semen in Iulio colligi debet, tum enim optimum est: folia in aqua elixa & ex ea potione si quis bibat, tollit uertiginem capitis. Conducit similiter si herba per noctem in uino macerata bibatur.

Firg idum

A Frigidum ſtomachum habens hanc herbam in muſto uel uino decoquat, tale uinum fit odoratum, & ſtomachum calefacit, & concoctionem adiuuat.

Ad interiorem rupturam corporis conducit, ſi herba in puluerem trita, cū Acatia octo diebus continuis matutinis horis bibatur.

Matricem mundificat, ut Platearius ſcribit, & menſtrua prouocat decoctio ipſius herbæ in aqua, & ſi fiat ex ea fomentum circa pudenda.

Succus Baſilici à parturientibus mulieribus ſumptus, partū promouet, & poſt partum eas expurgat.

Ad crebram deſidendi cupiditatem, quem morbum Tenaſmon appellant, herba debet in uino & oleo decoqui, hoc decoctum optimè iuuat, ſi adhibeatur.

Contra fluxum uentris ex frigiditate factum ualet, cum modico puluere Acatiæ, & decoctum in aqua pluuiali, & potum.

Semen naribus hauſtum, ſubinde mouet ſternutamenta, Idem cum Atramento ſutorio miſtum, uerrucas tollit. & radicem earum funditus extrahit.

Semen ſumptum uentrem emollit, & flatus diſſoluit. Idem in uino ſumptum mulieribus lactantibus lac prouocat. Eodem modo ſumptum, quibuſcunq; oculorum doloribus medetur.

B Potum Ocimi ſemen mœrores quos atra bilis attulerit, mulcet, animi nubila diſcutit, triſtes exhilarat, atq; timidos animat.

Conducit ſtomacho Ocimum, duros enim cibos concoquit, Iocinori quoq; ſalubre eſt & cordi. Cum farinæ polenta roſaceoq; & Aceto emplaſtri modo impoſitum, pulmonum inflammationibus medetur.

Odor Ocimi confert ad oppilationem cerebri & narium, caput expurgat, & tollit catharrum.

Oculorum caligines abſtergit Ocimi ſuccus, eorumq; deſtillationes exiccat, herba ipſa comeſta idem præſtat.

Ocimum Gariophyllatū refocillat ſpiritus, confortat cerebrum humidum, recreat quos cor defecerit, ſternutamenta mouet, naribus inditum, calefacit uenas frigidas ſi ſucco illinantur, uel cū aqua ex eo diſtillata.

AQVA OCIMI.

Herba cum tota ſua ſubſtantia in Iunio collecta & conciſa, in Balneo Mariæ diſtillanda eſt.

Aqua hæc pota uel cordi applicata, confortat atq; recreat illud.

Eadem iiij. uel vi. uncijs pota conducit ad uermes qui in hominem repſerint uel nati fuerint, eos enim expellit.

DE HERBIS, CAETERISQVE
BETONICA.

NOMENCLATVRA.

Κέστρον.
Ψυχότροφον.

Betonica.
Vetonica.
Serratula.
Radix diuina.

Betonien kraut.
Braun Betonien.

ANNOTATIO IN BETONICAM.

BETONICAM Græci Cestron uocant, uel Psychotrophon, quoniam frigidissimis gaudet locis, Latini ab inuentoribus Betonicam seu Vetonicam appellauerunt, Sunt etiã Vetones, autoribus Geographis cunctis, in Hispania primi Vetonicæ huius inuentores, si Plinio credimus 25. uolumine cap. 8. dicenti: Vetones in Hispania inuenerunt eam, quę Betonica dicitur in Gallia, in Italia autem Serratula, ideoq; Serratula dicta est, quia habet folia in morem serræ per ambitum incisuris diuisa.

DESCRIPTIO.

Betonica herba est, tenuem caulem, & quadrangulum, altitudine cubitali, & aliquando paulò maiorem habens, folia longa & mollia, per ambitum incisuris diuisa, quernis similia, & odorata. Inter quę maiora sunt, quę ad radicem uiuũt. In summo caulium semen est, satureiæ modo spicatum. Radices subsistunt exiles, flores

uerò

A uerò habet purpureos. Betonica duorum generum est, Mas & fœmina. Quę ab officinis rubea uel fusca Betonica appellatur, mas est, Alba uerò Betonica quæ alba habet folia, fœmina est, utraq; celebris & nota.

TEMPERAMENTVM.

Betonica ut inquit Platearius, est calida & sicca in tertio ordine. Habet naturam incidendi, quod ex sapore constat, qui acris & aliquantum amarus est.

VIRES AC IVVAMENTA.

Folia eius carpuntur siccanturq;, ut inquit Dioscor. quorum frequentior usus est, Seruanda trita Betonicæ folia siccata, in fictili sunt.

Dantur folia drachmæ pondere bibenda in dulci aqua aut simplici aqua, conuulsis, ruptis, contra muliebrium locorum affectiones, & strangulatu uuluæ procidentibus.

Aduersus etiam uenena, drachma ex uino pota, conuenit præsumpta ea, si uenenum hauriatur, nihil nocebit. Medetur comicialibus, & insanis, pota ex aqua, & iocineris, lienisq; uicijs drachmæ pondere in aceto mulso. Concoctionem adiuuat, si quis ea fabæ magnitudine secundum cœnam, cum melle cocto deuorarit: modo consimili acidè ructantibus propinatur: per noctem in uino
B macerata & pota, sistit uomitum. Datur febricitantibus in uino elixa, & medetur. Ad aquam intercutem datur binis drachmis ex hydromellee, & multos humores educit.

Regio morbo laborantes emendat: Menses ducit drachmæ pondere cum uino pota.

Betonica in uino decocta & colata, si cum tribus drachmis hierę picræ Galeni permisceatur, leniter aluum purgat.

Facit cum melle ad Tabem, quam Græci phthisin dicunt, & purulentam excreationem.

Datur sanguinē excreantibus tribus obolis cū uini misti cyatho.

Herba Betonica contusa & super capitis ictum posita, ut testatur Apuleius, uulnus mira celeritate conglutinat & sanat, tantamq; habet facultatem, ut ossa fracta consolidet, & ui sua extrahat, sanguinemq; conglobatum dissoluat.

Ad oculos contusos uel ex ictu læsos conducit, si folia contusa emplastri modo oculis imponantur.

Ad dolorem oculorum Betonicæ radices ex aqua ad tertias coquito, & ex ea aqua oculos foueto.

Succus eius cum oleo rosaceo auribus instillatus omnem dolorem tollit, Idem asthmati medetur, si pectori illinatur.

Betonica manducata aciem oculorum clariorem facit.

C Herbam Betonicam ex uino ueteri & aceto ad tertias decoctam gargariza, dolorem dentium discutiet.

Eadem in uino pota uitiosum corporis colorem emendat.

Ex uino decoctam & potui datam, lienosis prodesse experti affirmant.

Ad Tussim, Accipe Betonicę uncias duas ex melle per dies octo.

A Typum Quotidianę, Accipe Betonicę drachmas duas, Arnoglossæ unam ex aqua calida cyathis quatuor bibendum sub accessionę ministra.

Ad Typos Tertianæ atq; Quartanæ, Accipe Betonicæ drachmas tres, mellis attici unciam, aquę calidę cyathos tres in unum miscebis, & ante accessionem potui dabis, mirè sanabitur.

Ad Vesicę dolorem, Accipe Betonicæ drachmas quatuor, Apij radicis scrupulos tres decoquito, radices uero Apij in aquæ sextario ad medium quum decoctæ fuerint, tum demum Betonica admiscenda, potuiq; exhibenda; dolorem ita exterminant, ut postliminio redeat nunquam.

Vesicę malis, contraq; calculos grauissimis cruciatibus auxilio est. Eadem ad strangurias efficacissima. Ad calculos quidam Betonicam & Verbenacam & Millefolium æquis portionibus ex aqua pro singulari remedio bibere suadent. Contra horrores, Betonicę drachmæ duæ ex uino austero, cyathis duobus; item ex aquæ calD dæ pari mensura sub accessione bibere dato.

Ad fistulas, Ex Betonica contusa, & contrita turundulas facito, & pusillum salis inserito, fistulum obligato, expurgat.

Paralysin sanare dicitur. Eadem torpentibus membris prodest.

Betonicæ radices cum foliis coctas ad tertias, & in aqua potas, ipsam quoq; per se tritam & applicatam, mirè dolorem podagræ lenire experti affirmant.

Betonica, ut inquit Ioannes Vigonius, inter herbas quæ capiti conferunt, obtinet principatum. Et folia eius imposita fronti, medentur dolori oculorum, & destillationes retinent.

Tantum gloriæ habet Betonica, ut Plinius scribit, ut domus in qua sata sit, tuta existimetur ab piaculis omnibus.

Tantaq; uis inesse Betonicæ putatur, ut inclusæ circulo eius serpentes, ipsæ sese interimant flagellando.

AQVA BETONICAE.

Tempus colligendi & distillandi Betonicam cum tota substantia, est circa finem Maij.

Aqua Betonicæ, ut testatur Hieronymus Brunsuicensis Herbarius expertissimus, in potu sumpta mane, meridie, & uesperi singulis uicibus ad quatuor uncias, discutit hydropem, Icterum, & quascunq; febres.

Conducit

A Conducit quoq; ad renum, lienis, pulmoniſq; mala, & ad omnes morbos ſuprà enumeratos, pota uel pannis lineis applicata, ſi malum extrinſecus apparuerit.

BARBA IOVIS.

NOMENCLATVRAE.

Αειζωον
Aizoon.
Barba louis.
Sedum maius.
Semperuiuum.

Haußwurtz.
Dunderbar.

ANNOTATIO IN BARBAM IOVIS.

AIZOON Græcis ea herba eſt, quam uulgus Latinorum Barbam Iouis appellat, nomen habens ab æternitate uitæ, uel ut Dioſcor. inquit ab æterna foliorum uiredine, unde & Semperuiuum à Latinis dicitur: Nullo enim
B æſtu, quod mirandum eſt, nulloq; frigore, aut ulla cœli iniuria perit uel moritur, tam hyeme quàm æſtate uirere uidetur, Ob quam cauſam in tanto nominum ambitu ueteribus fuit, non ſolum Græcis, uerum etiam Latinis, Non contenti fuerunt Græci, quòd ab æternitate Aizoon & æonion appellauerint, ſed alijs quoq; multis appellationibus id exornare uoluerunt: quare etiam dicitur ab eis Aithales id eſt ſemper uirens: Ambroſia ab immortalitate: Chryſoſpermon, ab aureo ſeminis colore: Zoophthalmon ab oculorũ in animalibus ſimilitudine: Stergetron ab amore quem creditur conciliare, Et id genus multis alijs nominibus, quæ à Dioſcor. & Plinio recenſentur. Latini quoq; uarijs nominibus appellauerunt, nempe Semperuiuum, Sedum, Barbam Iouis &c. ſolum ob æternitatem & præſtantiã eius. In uetuſtorum parietum ſummitatibus creſcere ſolet uel in fictilibus uaſculis. A quibuſdam autem in tectis domorum ſeritur, in uaſitq; iam pridem uulgi animos uana opinio, non percuti fulmine domum in cuius tegulis uireat ſedum, frigoreq; ſuo plantam cœleſtibus illis ignibus aduerſari, Sed ignaui, nihilq; timendi ignes illi erũt, ſi tam exiguæ plantæ frigore mortalis fiet flammarũ illarum fulgor.

DESCRIPTIO.

Aizoon ſeu Semperuiuum duas ſpecies habet, Maius ſolia lãtiora habet, ſpiſſa & pinguia, pollicari magnitudine, atq; in formam

C gladioli acuminata, alia in terram conuexa, alia in capite stantia, ita ut prædenso cinctu effigiem imitentur oculi. Caulem habet altitudine cubitali, & pinguem, rubentes flores ferentem, Radicem uero paruam & fibratam. Est etiã minus Aizoon, quam uermicularem uocant, de qua inferius dicemus.

TEMPERAMENTVM.

Aizoon refrigerat in tertio ordine, humectat quoq; & astringit, Pollet eadem uirtute qua Acetosa.

VIRES AC IVVAMENTA.

Aizoon refrigerat homines calidos, si succus extrinsecus cum linteo, thoraci imponatur, & quando hoc exiccatum fuerit, tum iterum madefiet.

Si quis surdaster fuerit, Accipe lac mulieris lactantis masculum, quando decem uel duodecim hebdomadæ à partu præterierunt, & admisceat huius herbæ succum, ac tres uel quatuor guttas auribus instillet. quod si sæpius fecerit, auditus redibit.

Si cui struma nascitur, Accipiat Aizoon & seuum ouinum & salem, hæc simul contusa & strumæ imposita, eam discutiunt.

Si cui oculi matutino tẽpore ex ulceribus, uel lippitudine ita operiunt̃, ut ægre possint aperiri, ille succo huius herbę oculos inunget.

Aizoon habet naturam & uim refrigerandi calida apostemata,
D & facit ad sacros ignes, ulcera quæ à serpendo herpetas dicunt, quę itidem pascendo serpunt, oculorum inflammationes, ambusta, podagrasq; in quem usum per se & cum polenta emplastri modo folia imponuntur.

Succus cum oleo rosaceo fronti uel temporibus illitus, capitis doloribus medetur.

Herba aluum sistit, & dysenteriam, & mulierum menstrua.

Eadem in uino decocta & pota, teretes tineas pellit.

Sanguinem sistit in nares inditum, si inde fluat.

Mammarum uitijs Aizoon unicè medetur.

Succus in uellere subditus, fœminarum abundantiam sistit, Oculis lippientibus sanguinis uitio perungitur.

Vigiliarum remedio monstratur Aizoon, si inuolutum panno nigro ignorantis puluino subijciatur.

Aizoi succus cum succo Absinthij decoctus, & foraminibus formicarum insparsus, eas necat.

AQVA AIZOI.

Aizoon in Maio uel Iunio distillari debet in Balneo Mariæ, uel in alia fornace uel meta distillatoria.

Aqua extinguit omnes nocuos calores tam intus quàm foris, sed in corpus modicè sumetur, nisi admixta fuerit alijs remedijs.

Ad pestem

A Ad peſtem ualde ſalubris eſt. Calido iocinori cum molli canna-be impoſita, ipſum refrigerat, oculos ex lippitudine clauſos, iterum aperit. Dolorem oculorum mitigat cum lineo panno impoſita.

Conducit ad phreneſim ex calida intemperie contractam, apti impoſita.

Cum oleo oliuarum decocta & auribus inſtillata, reſtituit auditum.

Sanat ambuſta cum oleo roſarum permiſta & impoſita.

Cum uino mixta & pota ſiſtit aluum & dyſenteriam.

BARBA SILVANA.

B

NOMENCLATVRAE.

Barba ſiluana.
Centumneruia aquatica.
Plantago aquatica. *Matheoli*

Waltsbart.
Froſchlöffel kraut.

ANNOTATIO IN BARBAM SILVANAM.

BARBA ſiluana eſt ſpecies Plantaginis, ut Hieronymus Herbarius indicat, & uocatur Plantago aquatica uel paluſtris, cui rane frequenter inſident, unde & à Germanis **Froſchlöffel kraut** dicitur, Centumneruia etiam appellatur, à multis fibris tanquam neruis per totum folium extenſis, Euritius Cordus in ea eſt opinione quòd Barba ſiluana apud Dioſco.

ſit Aliſ.

C sit Aliſma, ideſt Damaſonium, & rectè quidem ſentit, Nam hiſtoriam eius Barba ſiluana omnino exprimit. Ruellius quoq; affirmat Aliſma eſſe Plantaginem aquaticam.

DESCRIPTIO.

Barba ſiluana ſeu Aliſma eſt herba folia habens Plantagini ſimilia, anguſtiora tantū & in terrā reflexa. Caulis illi eſt gracilis, altitudine cubitum excedente: thyrſo ſimilis, capitula in ſummo habet, flores habet tenues, candidos & quadamtenus pallidos, Radices nigro ueratro ſimiles, graciles, odoratas, acres, modicè pingues, Aquoſa amat loca, Refrigerat in tertio gradu.

Vtilis contra rubetæ ranæ morſus: potum opium, & inteſtinorum tormina, in quem uſum per ſe & cum pari ſyluestris Paſtinacę ſemine bibitur, Conuulſis itidem, muliebrium locorum & præfocationibus accomodata eſt. Siſtit præterea aluum herba, Menſes trahit, & tumores lenit emplaſtri modò impoſita.

BALSAMVM.

NOMENCLATVRAE.

D

Βάλσαμον.

Balſamum.
Opobalſamum.
Xilobalſamum.
Carpobalſamum.

ANNOTATIO IN BALSAMVM.

BALSAMON Romani pariter Græcis Balſamum dicunt. Arbuſcula eſt Balſamū, ut Dioſcorides ſcribit, quę Violę aut Lycij (quod pyxacantha, ideſt buxea ſpina etiam dicitur) magnitudine creſcit, Rutæ folia habet, multo tamen candidiora, perpetuaq; fronde magis uirentia. In Iudęa, eiuſq; conualle quadam tantum, & in Ægypto naſcitur.

Plinius ſcribit Balſamum uni terræ Iudęæ conceſſum, Pauſanias quoq; in Arabia gigni ſcribit, Autores in eius figura diſſentiunt, Dioſcor. folia Rutæ habere cenſet, Plinius uero lib. 12. cap: 25. uiti ſimiliorem eſſe dicit quàm Myrto, Strabo Terebintho ſimilem eſſe dixit.

Omnibus odoribus Balſamū pręfertur, Rependit: ut Dioſco. inquit, quo loco naſcit, duplo ad põdus eius argento. Iuſtinus Trogi Pompeij

Pompeij teſtimonio fretus incredibile tradit, quantum opes Syriæ genti ex tectigalibus opobalſami creuere, quod his tantum regionibus gignitur. Eſt inibi conuallis, quæ continuis montibus tanquam muro cincta, inſtar caſtrorum clauditur, ſpacium loci, ducenta milia iugera, nomine Hierichunta uel Hierico, (quæ olim Vrbs ingens Iudeæ, nunc octo magalijs referta,) dicitur. In ea ſylua eſt, ubertate & amœnitate inſignis: ſi quidem palmeto & opobalſamo diſtinguitur, & arbores opobalſami formam piceis arboribus ſimilem habent, niſi quòd humiliores ſunt, & uinearū modo coluntur. Hæ certo tempore anni Balſamum ſudant: ſed non minor loci opacitas quàm ubertatis admiratio. Sub cane, ut autores tradunt, huius loci incolæ plenū corticem incidunt, hoc eſt ea parte qua turgere uidetur, Id antiquitus ferreo cultro fiebat, uel unguibus ferreis, Inſtrumenta enim erant, unguibus ſimilia, Sed quia uiſum eſt ferro plantam lædi, propterea ad uitrum, lapides oſſeoſue cultros conuerſi ſunt. Sudor è plaga manat æſtate tota. Sarmenta quoq; eius & ſurculi odore præſtantes amputantur, & ueneunt magnò, alioquin grandeſceret arbuſcula niſi ſuccideretur.

Tria autem ſunt, quę ad uſum medicinę ex Balſamo colliguntur, nempè Opobalſamum, Xylobalſamum, & Carpobalſamum.

Opobalſamum eſt ſuccus uel liquor collectus ex arbore, Probatur recens Balſami liquor, ut Dioſcor. inquit, qui firmo & ſyncero odore ſit, nec acido ſapore ſentiatur, qui itidem citiſſimè penetret, leuorem habeat, & linguam leniter adſtringat & erodat. Non eſt uerum Opobalſamum, quod Seplaſiarij paſſim uenditant, ſed adulteratum, neq; magni precij, Quare quibus notis deprehendatur uerus Balſami liquor, qui rariſſimè uel nunquam ad nos adfertur, oſtendere neceſſarium duximus. Primò ſi laneæ ueſti inſtilletur uerum Opobalſamum, maculam aut maculę ueſtigium nō relinquit, adulteratum inhæret & maculam facit. Syncerus ſuccus ſi lacti inſtilletur, coagulat, quod non facit adulteratus. Syncerus præterea lacti aquæue infuſus, diſijcitur quàm primum, & lactis modo albeſcit, Adulteratus olei modo in ſummo fluitat, denſaturq; & ſtellæ modo radiatur, Syncerus uetuſtate craſſeſcit, & bonitatem ſuam amittit. Hi decipiuntur qui putant uerum Balſami liquorem eſſe, ſi proiectus in aquam deſcendit, mox ſparſus emergit: hic autem adulteratus eſt, Quando inuſtum eſt, colorem candidum habet, & oleo craſſiori ſimilis eſt, deinde rubeſcit, poſtea dureſcit, & translucidus fit: optimus lachrimæ color eſt modicè ruffus, Secundus in bonitate candidus, prior uiridis, peſſimus niger.

Xylobalſamum uerò Balſami lignum dicunt, hoc probatur recens, quod gracili ſarmento, rubens & odoratum eſt, exiguoq; li-

quoris

C quoris Balſami odore ſpiret deniq;.

Carpobalſamum eſt ſemen uel fructus Balſami, quod ruffum, plenum, grande, ponderoſum erit, feruidæ in guſtu mordacitatis, mediocri Balſami liquoris odore. Adulteratur Balſami ſemen ſemine hyperico ſimili, quod ex Petra Paleſtinæ oppido affertur, deprehenditurq; quòd grandius, inane, inefficax, & in guſtu ſapore piperis eſt.

TEMPERAMENTVM.

Balſami lignum, ut Ægineta ſcribit, ſiccat & calefacit in ſecundo ordine, ſubtilemq; habet ſubſtantiam, liquor autē multo tenuior eſt, fructus proximè hunc uirtute accedit, ſed minus tenuis eſt.

Vires in tota Balſami natura efficaciſſimos habet liquor, teſte Dioſcoride, egregia ad calefaciendum poteſtate.

VIRES AC IVVAMENTA.

Balſami liquor tantas habet uires, ut ſi quis in manu habuerit, tum ſtatim penetrat. Opobalſami ſcrupulum unum ſi quis in meſuram uini indat, & per noctem reponat, Hoc uinum omnia interiora membra calefacit, & præcipuè conducit mulieribus, nam illis matricem expurgat, & fœtus mortuos expellit, menſeſq; trahit.

Balſami liquor cum oleo oliuarum permiſtus, indeq; ſi fiat peſſarium, & mulierum genitalibus adhibeatur, hoc menſes proritat.

D Idem circa umbilicum inunctus, tollit ſtranguriam.

Morbis ex frigida intemperie prouenientibus quoq; medetur.

Qui frigidum ſtomachū habuerit, accipiat tres uel quatuor guttas Opobalſami, & cum hauſtu uini bibat, auxilium præſtabit.

Non euadet leproſus, quicunq; corpus ſuum foris Balſamo inunxerit.

Medetur Balſami liquor omnibus doloribus capitis ex frigida cauſa prouenientibus, ſi fronti illinatur.

Ad cicatricem ex uulnere relictam, Accipe Balſami liquorem, & ex eo inunge, & tantum ceræ impone, ut poſſit latitudinem cicatricis operire, hoc ſi decem diebus continuis feceris, cutis reddetur æquabilis.

Aduerſus febrem Quartanam, Bibe quatuor uel quinq; guttas Opobalſami cum uino tribus diebus continuis matutino tempore, ea lege ut corpus prius ſit purgatum, hoc præſentaneum erit remedium. Soluit inunctus Balſami liquor in acceſſionibus febrium cum tremore algores.

Contra tinnitus aurium, Inſtilla guttam unam atq; alteram Balſami, & inde ceſſabit.

Conſeruat Balſami liquor corpora mortuorum ne putreſcant, ſi inde inungantur.

A Subuenit cum lacte his qui aconitum biberint, nec minus etiam uenenatorum morsibus.

Prodest Balsami liquor Comitialibus,& ijs qui non nisi recta cer uice spiritum trahunt, orthopnoici Græcis dicuntur, si pectori illinatur.

Suffitus ex Balsami ligno incenso conducit mulieribus, ut medici tradunt,matricis enim mala discutit,& eam expurgat.

Bibitur Balsami semen utiliter in laterali dolore, Cum uino eadem utilitate bibitur pylmonarijs & tussientibus.

Ad partes corporis quæ spasmo contrahuntur, prodest Opobalsamum,si eo illinantur.

Si iuncturis & articulis illinatur, tollit paralysim & articularios morbos,sanguinem calefacit, & neruos confortat.

Facit ad abscessum pulmonis, si extrinsecus illinatur, & cum uino in potu sumatur.

Recentibus uulneribus illitum, plus sanat uno die quàm alia unguenta intra quatuordecim dies.

Balsamum conseruat hominem à malo odore, si semel intra mensem sumatur pondere scrupuli & à multis morbis, qui homini accidere possunt,adeo ut intus putrescere non possit.

Præseruat quoq; hominem à lepra, quare & in illis regionibus
B ubi nascitur Balsamum,non reperiuntur leprosi.

Tempore pestis Balsamo non est utendum, maximè calefacit,& posset pestis inde accendi.

BALAVSTIVM.

NOMENCLATVRAE.

Βαλαυσιον.

Balaustium.
Balaustia.

Granats blumen.

ANNOTATIO IN BALAVSTIVM.

BALAVSTIVM mali punicę syluestris flos est, Galli & Hispani florem mali Granati appellant, In hoc flore apud Græcos & Latinos Autores differentia habetur, quippe Theophrastus, Dioscor.& Paulus, flores

C mali punicæ duobus nominibus appellant. Balauſtium & Cytinum, Cytinus eſt flos domeſticæ & ſatiuæ mali, Balauſtium ſylueſtris. Plinius autem inter Latinos præcipuus cap. 17. lib. 13. Balauſtium mali punicæ florem ſimpliciter nominat, nec inter ſatiuam & ſylueſtrem diſtinctionem facit, quem omnes recentiores medici imitantur, per Balauſtium cuiuſuis mali punicæ florem intelligentes.

Flores colliguntur eo tempore, quando arbor fructum producit, tum enim humeſcunt & decidunt arboribus, qui ſiccati durant duos annos integra uirtute.

TEMPERAMENTVM.

Balauſtium refrigerat & ſiccat in ſecundo gradu. Ægineta inquit Balauſtium ſylueſtris punicæ flos eſt, ualide aſtringens, ſicca & frigida facultate præditum, itaque ſummæ cutis ulcera ad cicatricem perducit, & deſtillationes cohibet.

VIRES AC IVVAMENTA.

Balauſtium habet uim ſiſtendi aluum.

Aduerſus uomitum cholericum, Accipe cortices Balauſtij, & in aceto decoque, & emplaſtri modo ſtomacho impone, hoc poten-
D ter iuuat.

Cortices mali punici uel Granati, eaſdem quas flores præſtant utilitates.

Ad multa proſunt flores, Quicunq; nimium moleſtatur ſtomachi eructatione, Accipiat flores & cortices mali punici, contundat, & in aceto decoquat, ſpongiamq; in eo tinctam pectori ſuperimponat, hoc præſenti erit remedio.

Conducunt Balauſtia ad Teneſmum, ſi quis in cibo utatur. In ore maſticatæ conferunt dentibus & medentur gingiuis ſanguinolentis.

Ita quoq; mobiles dentes firmant & confortant.

Cortice punici ex uino decocti & impoſiti, perniones ſanantur.

Succus ex malis punicis acidis expreſſus coquitur cum melle ad oris, uirilitatis & ſedis uitia, nomas, reduuias, & quæ in ulceribus excreſcunt, & aurium dolores.

Balauſtium in puluerem redactum, poteſt accipi loco Boli armeni.

A

DE BRANCA VRSINA.

NOMENCLATVRAE.

Ἀκανθος.

Branca Vrsina.
Acanthus.
Pes Vrsinus.

Beren klawe.
Beren tap.

ANNOTATIO IN BRANCAM VRSINAM.

B BRANCA Vrsina herba est quæ inter emollientes herbas hodie usurpatur, & à medicis inter quatuor remollitiua, quæ appellant, annumerátur: quibus utuntur in decoctione clysterum. Et est ea herba quam Dioscor. & Plinius Achanton appellant, ut Antonius Musa & alij Autores Herbarum pertissimi tradunt, Ex similitudine, quam eius folium cum anterioribus Vrsorum pedibus habet, uulgus Brancam Vrsinam appellauit. In omnibus autem Dioscoridis Acanthi descriptio Brancæ Vrsinæ conuenit. Et nemi nem mouebit, quòd Acantha spinam significet, quoniam hæc herba spinosa quidem est, sed mollibus spinis, ideo à Vergilio mollis Acanthus dicitur. Topiaria & pulcherrima herba est, quam architecti in columnarum basibus ornandis aut epistylijs posuere.

Branca Vrsina uel Acanthus iuxta Dioscor. folia multò quàm lactuca latiora longioraq; habet, erucæ modo incisuris diuisa, nigrescentia, & cum molli leuore pinguia. Idem & in caule leuor, quem altitudine duorum cubitorum erigit: crassitudine digitali, per interualla sub ipsum usq; uerticem foliolis quibusdam oblongis ueluti nucamentis aculeatis uestitum: ex quibus candidus prodit flos: semen illi est oblongum, & luteum, capitulum thyrsi figura, radices lentore molles, muccosæ, longæ, rubentesq;. In hortis & humentibus locis nascitur.

C

TEMPERAMENTVM.

Branca Vrsina herba est calida & humida in secundo ordine. uirtutem habet molliendi, maturandi & leniendi.

VIRES AC IVVAMENTA.

Folia contusa cum axungia porcina, conducunt ad Apostemata ex frigida & humida causa prouenientia, si emplastri modo imponantur. Eodem modo imposita etiam conferunt ulceribus, quæ sub axillis & circa genitalia nascuntur, leniunt em̃ & benè emolliũt.

Lienosus accipiat Brancam Vrsinam, & oleo immergat, in quo sinat eam quinq; dies macerari, deinde oleum linteo percolet, & lienem in sinistro latere extrinsecus eo inungat, hoc potenter iuuat.

Quando folia adhuc recentia & uirentia sunt, possunt usurpari ad emplastra & unguenta. Aduersus membra indurata & paralytica, & ad lienem inflatum, sequens parabitur unguentum: Accipe Brancæ Vrsinæ contusæ viij. uncias, sabinæ, saluiæ, maluæ, maioranæ, rosmarini, pulegij, Artemisiæ, Absinthij, Abrotani, singulorum manipulos duos, gariophillorum vi. uncias, cynamomi scmiunciam, cymini ij. uncias, galangæ ij. drachmas, thuris, masticis, singulorum iiij. drachmas, ceræ albæ viij. uncias, uini boni & fortis tres libras. Hæc omnia cõmisceto, & lento igne inuicem liquefacito, ut tantisper bulliant dum ũinum in ijs consumatur, postea remouebis ex igne, cæramq; admiscebis, ut inde fiat unguentum, quod ad morbos prædictos conducit.

D

DE BALSAMITA.

NOMENCLATVRAE.

Σισύμβριον.

Balsamita.
Menta Sarracenica.
Sisymbrum.

Balsam kraut.
Balsam Minz.

A

DESCRIPTIO.

BALSAMITA mentæ genus est, quod apud Dioscor. Sisymbrium appellatur, Duę autem eius sunt species, Vna quę folijs est integris & crispis, caule quadrato & uiridi, odore iucundo, & est satiua. Altera etiam caulem habet quadratum & rubentem, folijs acuminatis: hæc syluestris, interdum etiam satiua appellatur.

Est & alia Balsamitæ species, quam mentam nunc uocant aquaticam, quæ circa piscinas, fluuios, & stagna lætissima prouenit, & corollis intorquetur. Alię duæ species nascuntur & plantantur in hortis.

TEMPERAMENTVM.

Balsamita calefacit & desiccat in tertio gradu.

Huius herbæ uirtus maxima est, & ad multa conducens, incidit enim & consumit malos humores in homine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Hæc herba in puluerem redacta & cum aqua Raphani temperata, si quis ieiunus mane bonum haustum inde sumat, tum lumborum dolores & intestinorum tormina pellit.

Eadem in puluerem contrita, & cum farina hordei & modica aqua permista, si inde fiat puls, uentriq; imponatur inter pudenda
B & umbilicū, multos malos humores in uesica & intestinis cōsumit.

Si quis catharro laborauerit ex frigida intemperie, Accipiat Balsamitæ folia & sacculo indat, ac per noctem capiti imponat, hoc catharrum tollit, & caput leuius reddit.

Cum uino elixa & pota, frigido stomacho ualde confert.

Eodem modo facit ad stillicidium uringe.

Emplastrum ex hac herba, uentri impositum inter genitalia & umbilicum, auxiliatur ijs qui urinam continere nequeunt.

Si mulier ex hac herba biberit, tum menses prouocat, partumq; promouet, ac matricem refrigeratam expurgat.

Decocta cum furfure & facies inde lauetur & illinatur, tollit lentigines & alias maculas.

Cum uino decocta & cum lingua ceruina permista, confert ad obstructionem iocineris atq; lienis.

Contusa cum polenta mammarum uitijs medetur.

Succus Balsamitæ cum aceto temperatus sistit fluxum sanguinis narium. Succus cum aceto bibitus, enecat rotundos lumbricos.

Vomitiones, singultus, fastidia, stomachi dissolutiones cohibet, siue in cibo sumatur, siue succo bibatur.

Imposita fronti, capitis dolores mulcet.

Mammas si tendantur, aut lacte turgeant, compescit, si ex succo linantur.

C Cum ſale canum morſibus illinitur.

Linguæ ſcabritiem confricta leuigat, uel cum aqua mulſa tempe rata, & os inde colluatur.

Eodem modo ſumpta conducit aduerſus oris uitia, linguæ tube ra, exulcerationem oris, & ad dolorem gingiuarum.

Curat hæc herba omnes rupturas interiores.

Vlcera & ſcabiem in capite infantium mire ſanat, ſi cum lixiuio inde lauentur.

AQVA BALSAMITAE.

Balſamita cum tota ſubſtantia in medio Maij diſtillatur.

Aqua Balſamitæ pota, & extrinſecus linteis impoſita, omnibus morbis iam ante dictis medetur.

Conducit pota ad ſtomachum, ad oppilationem iocineris atq; ſplenis: & ad ciendam urinam.

Cum uino mixta atq; pota, confortat frigidum ſtomachum. Naribus inſtillata caput purgat.

DE BETA.

D

NOMENCLATVRAE.

Τεῦτλον.

Beta.
Bleta.

Römiſch Kol:
Mangolt.

ANNOTATIO IN BETAM.

BETA olus uulgò notiſſimum, dictum à ſimilitudine, quam habet cum B litera Græca, figuram enim illius literæ cum deprimitur ab olitoribus, refert, ut teſtatur Columella in carmine de hortorum

A torum cultu. Græci Betam modo τεῦτλον, modo σεῦτλον nominant. Capessit Beta culturæ quadam ratione incrementum arboris, nec ulli Hortensium, ut Plinius scribit, latitudo foliorum maior, in binos pedes aliquando se pandunt, soli natura eis consentiente: quibusdam locis amplissimæ Betæ proueniunt.

DESCRIPTIO.

Duplex Betæ species est, ut inquit Dioscor. Nigra altera, quæ cum lente cocta aluū efficacissimè compescit, multoq; magis radix. Candida altera est, quæ bonam facit aluum. Ambæ ob nitrosam quam habent uim, mali succi sunt, ideoq; caput purgat naribus earum succus cum melle instillatus. Nonnulli & tertium genus ponunt, nempe Betam rubram. Alba in omnibus efficacior est, præterquam in astringendo, quo effectu à nigra superatur.

TEMPERAMENTVM.

Betæ omnes frigidam & humidam naturam habent.

VIRES AC IVVAMENTA.

Succus Betæ aluum ciet, si ab aliquo sumatur, uerum stomacho nocet, quem mordicat, & præcipue illis qui sensilem stomachum habent, herba autem elixa magis probatur, quàm succus. Cum sinapi decocta, ualet ad uitiosum lienem. Conducit succus ad sacros
B ignes.

Radix Betæ decocta, si inde tres uel quatuor calidæ guttæ auribus instillentur, tollit dolorem earum.

Succus ex cruda Beta contusus, si glabro capitis loco inungatur, facit ut crines nascantur, & necat pediculos. Quinetiam radicum foliorumq; decocto, furfures & lendes capitis absterguntur.

Fouentur eodem etiam perniones.

Crudis folijs uitiligines, capilli defluuia, quas alopetias dicunt, & quæ pascendo serpunt ulcera, utiliter emplastri modo illinuntur. In uitiliginibus tamen nitro locum antea confricasse oportet: in alopecijs autem unguibus scarificasse.

Beta elixa papularum eruptiones, & ambusta sanat.

Succus Betę cum Cumino uel semine Anethi sumptus, tormina uentris discutit,

Radices in aqua coctæ, prurigines tollunt.

AQVA BETAE.

Distillatur hæc herba & radix cum tota substantia concisa, circa finem Maij.

Aqua Betæ mane & uesperi singulis uicibus duabus uel tribus uncijs pota, & linteum in ea intinctum, fronti applicetur,

C doloribus capitis ex calida causa contractis, medetur.

Eodem modo pota, raucedinem gutturis tollit.

Aqua hæc matutino tempore à ieiuno sæpius naribus attracta, phlegma & distillationes capitis per nares extrahit.

DE BETA ALBA.

NOMENCLATVRAE.

D

Beta alba.

Weiß Kól. Kapskraut.

VIRES AC IVVAMENTA.

BETA alba facultatem habet purgandi & abstergendi omnes malos humores.

Aqua in qua Beta alba decocta fuerit, furfures capitis tollit, si ex ea caput lotum fuerit.

Beta candida cocta & cum allio crudo sumpta, uentris tineas abigit.

Succus fronti illitus, epiphoras sedat.

Eadem Beta contra ulcera quæ serpunt, & in capite manant, illinitur.

Hæc herba crebrius comesta, non conducit hominibus, auget enim malos humores tam in sanis quàm in ægrotis.

AQVA BETAE ALBAE.

Tempus distillandi est in exitu Iunij, tum folia ex caulibus decerpentur & distillabuntur.

Aqua Betæ albæ recens pota mane & uesperi singulis uicibus quatuor uncijs, ualet aduersus calculum, nam illum consumit.

Confat

A Confert quoq; contra lithiaſim lumborum, renes enim & lumbos expurgat.

Morbis articularibus cum pannis lineis impoſita, Dolorem & cruciatum eorum ſedat.

DE BEDEGARI SIVE SPINA ALBA.

NOMENCLATVRAE.

Ακανθὰ λευκὴ.

Bedeguar.
Bedegaris.
Spina alba.
Cardo ſancte Mariæ.
Labrum Veneris.

Weiß Diſtel.
Mergen Diſtel.
Fehe Diſtel.
Stich kraut.

B BEDEGVAR Arabes, Romani uerò Albam ſpinam dicunt. Pharmacopolæ ac iuniores medici, pro alba Spina, quæ illis ignota eſt, utuntur ſpongiola, quam roſa cānina uel ſylueſtris producit, naſciturq; in ſpinis. Nam etſi hæc plurimum in medicinæ uſu differat à Spina alba, non tamen eſt hæc permutatio exitialis, ut teſtatur Campegius in libello de ſimplicibus medicamentis. Spina alba, ut Leonardus Fuchſius opinatur, eſt Carduus Mariæ, quę herba in omnibus conuenit cum deſcriptione Spinæ albæ, apud Dioſcoridem.

DESCRIPTIO.

Bedeguar folia habet albis Carduis ſimilia & ſpinoſa, Spinæ autem ferunt flores purpureos. Semen ſimile eſt carthamo.

Dioſcorides Bedeguar uel Spinam albam hoc modo deſcribit. Naſcitur montibus & ſyluoſis locis, foliis nigro chamæleoni ſimilibus, anguſtioribus tantum candidioribuſq;, aſperis & ſpinoſis, Caulem altitudine ſupra duos cubitos habet, humani pollicis craſſitudine, craſſioremq; aliquando, albeſcentem, intuſq; concauum. In cuius ſummo aculeatum capitulum eſt, marino echino ſimile, oblongius tamen & minus: flores purpureos, in quibus ſemen cnici figura eſt, ſed rotundius.

TEM.

TEMPERAMENTVM.

C Spina longior in Bedegari frigida est in primo ordine cum mediocri humiditate ac siccitate.

Radicem siccantem & modicè astringentem obtinet, ut testatur Ægineta. Semen calidum est ac tenue.

VIRES AC IVVAMENTA.

Bedeguar habet uirtutem resoluendi ac aperiendi oppilationem splenis & iocineris.

Pota Spinæ albę radix, sanguinem expuentibus prodest. Semen potū succurrit conuulsis infantibus, Succurrit & serpentiū morsib.

Semen potum etiam auxiliatur spasmo.

Conducit Spina alba cōtra rubras pustulas quę pueris oboriuntur. Valet item ad sanguinem conglobatum, ad dolorem punctilem, loca cordi uicina relaxat, expurgat, & aperit iecur & splenem, sitim sedat.

Radix quoq; pota, prodest & cibum in stomacho non continentibus, cœliacisq;. Vrinam cit, & contra tumores emplastri modo imponitur.

Colluuntur eiusdem decocto, in dolore dentes. Ferunt etiam facto ex Spina alba amuleto, & ex collo suspenso, fugari uenenata omnia. Corona ex ea imposita, capitis dolorem minuit.

AQVA BEDEGARIS.

D Tempus distillandi est circa finem Maij, tum folia decerpentur ex caulibus, & distillabuntur.

Aqua pota mane & uesperi ac meridie duos uel tres dies, singulis uicibus iij. uel v. uncijs, confert contra punctionem in corpore infantū præcipuè: & contra erysipelaca, & calorem minus naturalē.

Eadem pota salutaris est aduersus sanguinem in grumos concretum, siue ex casu, siue ex plaga.

Relaxat thoracem ac cor, siue sola sumatur, siue uino admisceat.

Conducit item pota ad pulmonem & splenem.

Aqua hæc pota ut suprà dictum est, saluberrima est, quando inflammatio ipsum iecur occupauerit. & ad alios calores conducit, si linea in ea intincta, superimponantur. Sitim quoq; pota sedat.

DE BEHEM ET BEN.

NOMENCLATVRAE.

Behem.
Behenum.
Ein Wurtzel inn der Apotecken.

ANNO.

A

ANNOTATIO IN BEHEM.

BEHEM est ex illis simplicibus, quæ ex Arabibus medicis celebrantur. Extat autem in officinis duplex Behem, Albū scilicet & Rubrum. Deportantur radices ex Armenia, suaui odore, glutinoso scatentes humore quæ genituram adaugere creduntur.

TEMPERAMENTVM.

Behem est calidum & humidum in secundo gradu.

Herbę in medicina nullus est usus. Radix conducit aduersus Melancholiam, excitat lætitiam. Ea uero radix optima censetur quæ densa fuerit & non foraminosa.

VIRES AC IVVAMENTA.

Behem cor confortat, ac tremorem tollit. Duos annos durat integra uirtute.

Ben autem uel Been apud Arabes est granum anguloſum, magnum ut auellana. Dioscorides quarto libro, Balanū myrepsicem, Latini uerò glandem unguentariam appellāt. Plinius uno nomine myrobalanum uocat. Hoc Ben calidum in tertio ordine, siccum uerò est in secundo. Ex hoc semine exprimitur oleum, quod confert ad faciem immunda lepra decoloratam.

B Si quis ex semine crebrò bibat, tum facit ad lienem induratum.

DE BERBERI.

NOMENCLATVRAE.

ὀξυακάνθα.

Berberis.
Oxyacantha.
Versich.
Saurauch.
Versiltz.
Erbsal.

ANNOTATIO IN BERBERIM.

BERBERIS apud Arabes est arbor, quæ Græco nomine Oxyacantha, idest acuta spina à Dioscoride dicitur. Berberim uerò cū Oxyacantha idem esse, manifestè aliquis deprehendet, qui Serapionem cum Dioscoride

C Dioſcoride contulerit, facilis cognitu & inuentu Oxyacantha hęc, tam certę eius notę ſunt, & tam multis locis naſcitur, ſyluis, ſepibus, frutetis, campeſtribus montaniſq;: & ſiccis & aquoſis locis. Græci à ſpinarum acuminatis cuſpidibus, Oxyacanthan dixerunt, meminitq; pluribus locis eius Theophraſtus, qui & genere maſculino Oxyacanthum ſemper eam appellat.

DESCRIPTIO.

Oxyacantha ut Dioſcor. inquit arbor eſt ſimilis agreſti piro, minor tantum, magiſq; ſpinoſa, fructum fert myrti baccis æqualem, conferctum, rubentem, fragilem, nucleos intus habentem, multifidam radicem, & altius deſcendentem.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat atq; deſiccat in ſecundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Succus potus antiquas fluctiones fœminarum tollit & expurgat eas. Siſtit fluores alui, quos diarrhœam uocant, potus & in cibo ſumptus fructus eius.

Radix trita & illita extrahit infixa corpori, ueluti ſagittas, ſpiculą, haſtulas, ſurculos, ſpinas, Idem præſtat & fructus eius, tritus & illitus.

Berberis ſudorem prouocat, ſi quis uentrem ex ea inunxerit: fœ-
D tum mortuum expellit, uentre prægnantis inde inuncto.

Sitim ſedat Berberis ſi quis utatur, ſtomachum & iecur firmat atq; confortat.

Facit etiam ad calidos abſceſſus, tam intus quàm foris exiſtentes, remouet enim calorem.

Aufert omnes morbos ex nimia fluctione ſanguinis prouenientes, maximas uires cordi præbet, & appetentiam præſtat.

Ex fructu Berberis facito Syrupum, qui cum aqua decoctus, deinde percolatus & cum Zaccaro edulcatus, ualet contra febrem & calidam intemperiem iocineris.

Fructus cum Solano permiſtus, & iocineri impoſitus, ipſum refrigerat.

Succus cum aqua expreſſus medetur dolori capitis, ſi quis mane eo uſus fuerit.

AQVA BERBERIS.

Fructus Berberis diſtillari debent, quando benè ſunt maturi, ut in Octobri.

Aqua hęc reſtinguit malum calorem in homine, mane & ueſperi tribus unciis pota, Salubris quoq; eſt aqua hæc pota aduerſum calidum iecur, uel ſi quis lintea uel mollem lanam in ea madefactam in dextro latere illis imponat.

Sitim

A Sitim quoq; ſedat, & ualet aduerſus tumorem & eructationem atq; ciborum faſtidium, appetentiamq; reducit.

Aqua confert aduerſus fluctiones nimias fœminarum, cum rubris corallis permiſta & pota.

DE BITVMINE.

NOMENCLATVRAE.

Ασφάλτος.

Bitumen.
Bitumen Iudaicum.

Juden Leim.

ANNOTATIO IN BITVMEN.

B ASPHALTON Romani Bitumen dicunt: Bitumen omne, inquit Dioſcorides, antecedit Iudaicum, probatur quod purpuræ modo ſplendet, ponderoſumq; & firmo odore eſt, damnaturq; cõtrà quod nigro colore ſordet, Adulteratur enim admiſta pice. Naſcitur in Phœnice, Sidone & Babilone, Iudaicumq; hoc Bitumen, ideo omnibus alijs à Dioſcoride præfertur, quòd efficaciſſima omnium aliorum ui & natura ſit, idq; indicio eſſe poteſt, quòd ut Strabo in deſcriptione Iudeæ teſtatur, ex interuallo ui ſua ſolidiſſimis metallis, & auro, rubiginem & aſperitatem inducat: Neq; credendum eſt, ut Campegius indicat, uerum Bitumen Iudaicum ad nos adferri, uel ſi adfertur, tanti pretij exiſtit, ut totius Antidoti pretium peruertat. Galenus & Dioſcorides uarijs id adulterari modis queruntur.

TEMPERAMENTVM.

Bitumen Iudaicum eſt calidum in fine tertij ordinis, & ſiccum in quarto.

VIRES AC IVVAMENTA.

Tumorem tollit cum aceto mixtum & illitum. Cum caſtoreo permixtum, atq; ſuffitus inde fiat, mulieribus menſes trahit.

Fumus inde naribus attractus, pellit catharrum.

Bitumen Iudaicum in ore retentum, medetur abſq; dubio doloribus dentium.

DE HERBIS, CAETERISQVE DE BORAGINE.

NOMENCLATVRAE.

Εὐφρόσυνος.

Borago.

Borrich.
Burris.
Boretsch.

D

ANNOTATIO IN BORAGINEM.

BORAGO herba est, cuius floribus cæruleis utimur in acetarijs delicatioribus, habentq; flores etiam in conditura & medicina peculiarem quandam gratiam. Quæ autem hodie Borago ob Empiricis, & tota neothericorum schola uocatur, uerum est Buglossum antiquorum, Nam & foliorum habitus, & flos, & tota uirtus Buglossi cum Borragine omnino conuenit. E contrario quę ab Empiricis & Herbarijs iam Buglossum appellatur, Borago est, & apud Dioscoridem Cirsion uocatur, adeo duarum Herbarum appellationes inuicem commutatę & confusę sunt. In hac opinione sunt omnes recentiores medici, utputa Nicolaus Leonicenus Manardus, Marcellus Vergilius, Fuchsius, Brunsfelsius, & alij multi, quorum iudicia de his duabus herbis quilibet legere poterit. prudenter igitur facient medici, item & pharmacopolę, nisi omnino uelint obstinatè in suo errore persistere, si quando Buglossum in medicum usum adhibere uelint, ut pro illo Boraginem nostram potius, quàm illam quę uulgò Buglossa appellatur, accipiant quod si fecerint, sentient & secuturas quas illi adscribunt antiqui facultates.

DESCRI-

A

DESCRIPTIO VVLGARIS BORAGINIS.

Borago uulgaris naſcitur ſeſqui cubitali altitudine, uiridi colore floribus cęruleis, in quibus capitulum eſt purpureum, in alba ſtella uel circulo. Radix eſt albicans, herba uero hirſuta, cum craſſo & pingui caule, ramulis ſe propagat, ubi ſemel plantatur, deinceps ſua ſponte creſcit, Semen nigrum fert, quod quum maturum eſt, erumpit & exilit, per hyemem in terra perit: folia hirſuta ſunt, quorum uſus in medicinis eſt, quum adhuc recentia & uiridia ſunt, & non ſiccata.

TEMPERAMENTVM.

Borago quæ à Galeno & Dioſcoride Bugloſſum appellatur, calida & humida eſt in primo ordine. Quod & Galenus teſtatur in quiens: Bugloſſum humidæ calidæq; temperiei eſt, itaq; uinis iniectum, letitiæ hilaritatiſq; cauſa eſſe creditum eſt. Hinc & εὐφρόσυνον Græci dixerunt, quaſi lætificantem.

VIRES AC IVVAMENTA.

Borago decocta cum uino & bibita, bonum generat ſanguinem. Qui laborant uertigine capitis, accipiant ſuccum huius herbæ & commixtum cum Zaccaro bibant, tum optimè iuuat.

Aduerſus tremorem & palpitationem cordis, Accipe Syrupum ex ſucco Boraginis, & admiſce Zaccarū, pulueremq; ex oſſibus de

B corde cerui, remedium præſtat, ſi utaris.

Succus cum ſena ſi Syrupo de Boragine admixtus fuerit, & mane ac ueſperi potus, auget ſenſus, & diſcutit Melancholiam.

Flores crudi comeſti, bonum reddunt ſanguinem, cohibent cordis tremorem, idem quoq; præſtant, ſi quis in uino ex eis bibat.

Syrupus Boraginis uſurpatur aduerſus morbum regium, flores ſiccati & per annum ſeruati, conferunt omnibus, quibus ipſa herba confert.

Flores oleo oliuarum impoſiti, & cordi ſtomachoq; illiti, maximè confortant.

Syrupi de Boragine & Bugloſſo uſus eſt in medicina ad omnia quæ confortant.

AQVA BORAGINIS.

Tempus diſtillandi Boraginem eſt circa finem Maij, quando flores fert, tum radix ac herba cum tota ſubſtantia conciſa ac contuſa in Balneo Mariæ diſtillari debet.

Aqua hæc mane & ueſperi pota ſingulis uicibus duabus uel tribus uncijs, pellit tormina & tumores uentris, medetur dyſenteriæ, atq; difficultati ſpirandi.

Eadem pota cor & cerebrum confortat, uires præbet memoriæ & ingenio, malum ſanguinem purgat, & arcet phreneſim.

C Cum linteolis impoſita loco alicui, ubi Aranea uel Apis hominem pupugit, tollit dolorem.

Eadem cum rubro ſerico panno oculis impoſita, dolorem eorum pellit, claritatē inducit, auribus & collo impoſita, tinnitus & dolores aurium diſcutit.

Aqua florum Boraginis pota, in omnibus eodem modo in potu ſumenda eſt, quo ipſius herbæ aqua, niſi quòd ea prętecioſior eſt. purgat ſanguinem, pellit Melancholiam, & mirè cor confortat.

Conducit ad omnem deſtillationem capitis, ſingulis ueſpertinis horis duabus uncijs pota.

Aduerſum febres ardentes, & icterum prodeſt, iecur refrigerat, pota uel linteis impoſita.

DE BVGLOSSO.

D

NOMENCLATVRAE.

Βαυγλωσσον.

Bugloſſum.
Bugloſſa.

Ochſenzung.

BVGLOSSVM Romani bouis linguam aut bubulam linguã appellant, folia habet in terram decidua, & hirſuta, bubulæ linguæ ſimilia, Quamuis inter medicos controuerſia eſt de nominibus, tamen eadem uirtute eſſe prędita Boraginẽ & Bugloſſum teſtant

TEM

A

TEMPERAMENTVM.

Vtraq; calida & humida est in primo.

VIRES AC IVVAMENTA.

Bugloſſum in uino ſumptum confert pulmonarijs, & ſicca tuſſi laborantibus.

Coctum in mulſa, ut Galenus inquit, congruit ob gutturis aſperitatem tuſſientibus.

In uino maceratum & temperatum cum mellicrato, & potum, facit hilaritatem.

In uino frequenter ſumptum purgat Choleram rubeam ex nimio feruore prouenientem.

Eodem modo medetur cardiacæ. Etiam nocuos humores pulmonis ita ſumptum detrahit.

Succus cum calida aqua bibitus, tumorem pedum tollit.

Vinum quo Bugloſſum fuerit maceratum, potum, ſeruat bonam memoriam.

Idem cum uino ſumptum cor ualde confortat, & bonum generat ſanguinem.

B

AQVA BVGLOSSI.

Bugloſſum diſtillatur in principio Iunij.

Hæc aqua propinabitur omnibus qui dyſenteria, aſthmate, & animi defectione laborant, præterea triſtibus & perturbatis, illiſq; qui debili ſunt cerebro, pondere duarum uel trium unciarum, & mane ac veſperi cum Zaccaro ſumetur.

Confert quoq; aduerſus omnes calidos morbos, ad febres, pulmonis uitia, ad iecur & lienem, purgat ſanguinem, punctionem circa cor & thoracem diſcutit.

Aqua Bugloſſi diſſipat ictericiam, mundificat leprã & ſcabiem, & fluxiones capitis mitigat.

Capitis dolorem & feruorem oculorum ſedat, lineis pannis capiti uel oculis applicata. eodem modo tinnitus aurium tollit.

Flores Bugloſſi in Balneo Mariæ diſtillati, præbent precioſiſſimam aquam ad confortandum cor & cerebrum, cum contuſis margaritis uel cum confectione manus Chriſti ex margaritis, propinata.

DE BOMBACE.

NOMENCLATVRAE.

Gossipion.
Xylon.
Bombax.
Coton.
Cotum.

Baumwoll.

ANNOTATIO IN BOMBACEM.

BOMBAX & Cotum barbara sunt nomina, Latini autem Gossipion uel Xylon dicunt, ut Ruellius Autor est.

Gossipion frutex est exiguus laniger, palmæ folio, similem barbatæ nuci gignens fructum, cuius in exteriori Bombyce lanugo netur in linum candidissimum mollissimumq;. de hoc Plinius lib. 19. cap. 1. in hunc modum scribit: Superior pars Ægypti in Arabiam uergens gignit fruticem, quem aliqui Gossipion uocant, plures Xylon, & ideo lina inde facta Xylina: paruulus est, similemq; barbatę nucis defert fructum, cuius ex interiore Bombyce lanugo netur, nec ullum lini genus est, quod huic candore & mollitia præferatur.

In floribus huius fruticis semen continetur cuius usus est in medicinis. In Sicilia quoq; nasci hunc fruticem quidam scribunt, & similem esse persico.

Folia & semina multa pollent uirtute, & sunt humidæ naturæ.

VIRES AC IVVAMENTA.

Foliorum succus medetur infantium torminibus.

Semen potum cum aqua fœniculi medetur tussi & uitijs pectoris. Oleo eius emaculantur lentigines.

DE BRYONIA. NOMEN.

A

NOMENCLATVRAE.

Ἀμπέλος λευκη.
Βρυώνια.

Bryonia.
Vitis alba.
Viticella.

Stickwurtz.
Raßwurtzel.
Hunds kürbſen.
Weiß weinreb.

ANNOTATIO IN BRYONIAM.

B BRYONIAM Græci & ampeloleucem dicunt, Latini uerò albam uitem appellant, quòd folia & corymbos ac capreolos Vitis habeat:ea demq; folia alba gerat, præſertim dum grandiora ſunt, A Latinis etiam plylotrum hoc eſt quaſi depilatorium dicitur, quia ex ipſius acinis pelles confici poſſint, & depilari:uel etiam quia depilatoria unguenta ingreditur, imò ipſa per ſe ſola, & ſapone (ægre autem) depilat. Viticella etiam dicitur ob ſimilitudinem quam cum Vite habet. Duæ autem ſunt huius Vitis ſpecies, alba ſcilicet & nigra.

DESCRIPTIO.

Bryonia uel Vitis alba eſt radix cum herba naſcens plerunq; inter ſepes, caulem oblongum & herbaceum acquirit, ſepibus, frutici bus qui ſunt in proximo, paſſim ſe innectit, ſuiſq; complectitur clauiculis, albos flores producit, eius corymbi primum uirides, deinde uero rubentes fiunt, qui intus acinos ut uua habent. Radix eſt candida & longa, in profunda terra hærens.

TEMPERAMENTVM, VIRES AC IVVAMENTA.

Bryoniæ germina, ut Ægineta inquit, ceu ſtomacho grata edun tur, urinæq; ciendæ ſunt: radix abſtergit, tenuis natura & mediocri ter calida.

Radix abigit ſerpentes & bufones, ſi in igne toſtæ minutim concidatur, tum enim uaporem ac ódorem emittit, quem ſi ſerpentes uel quæcunq; alia animalia uenenata olfecerint, ſtatim læduntur, & moriuntur.

G Idem odor & fumus lædit hominem, nisi prius rutam comederit.

Habent folia, fructus & radix acrimoniam, quapropter Chironijs & in gangrænã phagedænamq; transeuntibus, & putrescentibus tibiarum ulceribus, cũ sale utiliter emplastri modo imponunt.

Herba in aqua decocta etiam tibijs exulceratis calida imponitur.

Bryonia cum Carduo panis, quem uulgò Eberwurtz dicimus, pari pondere in puluerem redacta, & cum aqua pluuiali permista, mulieribus dissoluit secundas, si in potu sumant.

Fœminarum locis etiam apposita, fœtus & secundas trahit. Decoquitur eadem, decoctoq; illo insidentium fœminarum loci purgantur, & eiectione exinaniuntur.

Aduersus pestem in corpore exortam, Accipe Bryoniæ drachmam unam, diagridij granum unum, & cum succo Chelidoniæ commisce, & bibe ex eo sesquidrachmam, & pestem pellet: postq; autem ægrotus sudauerit, corpus intus purgabit hoc modo, Accipe Diasiniconis iij. drachmas, electuarij de succo rosarum, & Diaturbit singulorum drachmam unam, & simul permisce cum modica aqua Acetosæ, uel cum iure pysorum non salito: postq; hoc sumpseris, tres horas manebis ieiunus, & tollet omnem malorum humorum illuuiem ex eo potu in corpore collectam.

Radix è collo suspensa sanat laborantes spasmo aut epilepsia.

D Si quis sumat in potu bonum haustum ex succo foliorum, tum medetur dysenteriæ, Similiter & sanguinẽ excreantibus conducit.

Folia decocta & cum melle permista, ac pota gargarizataq;, conferunt ad omnes dolores gutturis.

Accipe succum & tantum uini admisce, ac septem dies ad potandum præbe illis qui contrita ac fracta ossa uel membra habuerint, & sanabuntur. Accipe succum ex fructu, & cum radice mori decoque, indeq; para gargarismum, quo mane & uesperi os collue, facit ad omnes dolores dentium, confortatq; eos, neq; finit decidere. Radix uitia cutis in facie, uarosq; & lentigines, & sugillata emendat, & cicetrices, si in modum rapæ tosta & contusa fuerit, ac faciei imposita. Idem prestat decocta in oleo.

Radix cum aceto decocta, & emplastri modo sinistro lateri imposita, tollit punctionem ac dolorem ipsius lateris. Idem membris tumidis impositum, ut genitalibus uirorum, tollit tumorem. Radix decocta cũ aqua mulsa & modico aceti admixto, si hoc per totum annum quis biberit, medetur morbo comitiali. Idem præstat puluis cũ Oximelle sumptus, Fit ex ea etiam addito melle ecclegma, spiritus prefocationibus, suspiriosis & tussientibus utile.

Radix trita & emplastri modo imposita fracta extrahit ossa. Quinetiam ex uino emplastri modo imposita, inflammationes discutit,

A ſcutit, & abſceſſus rumpit. Semine ad ſcabiem & lepram utiliter in unguntur. Idem emplaſtri modo imponitur. Facit lactis abundantiam ſuccus eius cum tritici decocto potus.

AQVA RADICIS BRYONIAE.

Radix Bryoniæ conciſa diſtillatur in fine Maij.

Hæc aqua quatuor uncijs pota adiuuat concoctionem, tollit pituitam ex gutture ſi inde tam à foris quàm intus fricetur.

Si pedes ex ea fricentur, confert ad podagram, Quatuor uncijs à ieiuno pota, conducit malo ſtomacho, octo uero uncijs pota laxat aluum. Reſtinguit ſacros ignes, pellit malas maculas, neuos & lentigines, ac rubentem leproſamq; faciem, ſi ſæpius ex ea lauetur.

Valet ad currentem paralyſim, & ad tumorem & morbum regium linteis impoſita.

DE NIGRA VITE, VEL BRYONIA.

NOMENCLATVRAE.

B Ἄμπελος μελαινα.

Bryonia nigra.
Vitis nigra.
Vua Taminia.

Schwartz Stickwurtz.
Schwartz Weinreben.

BRYONIA nigra folia hederæ ſimilia habet, ut inquit Dioſcor. ad ſmilacis tamen hederę folia magis accedentia, cui & caules habet etiam ſimiles, maiora tamen eius folia quàm illius ſunt. Clauiculis & hæc nititur, apprehenditq; propinquas arbores. fructus illi racemoſus eſt, à principio uiridis, cum maturuit deinde niger. Radix foris nigra, buxei coloris intus.

VIRES AC IVVAMENTA.

Huius etiam caules in prima germinatione olerum modo in uſu ſunt, menſes & urinam trahentes. Minuunt ijdem lienes. Comitialibus, uertiginoſis, & reſolutis accomodati ſunt. Habet nigræ

huius

c huius Bryoniæ radix albæ similes uires, & ijsdem accomodatas, minus tamen efficaces. faciunt ad iumentorum ceruices cum exulceratæ fuerint, nigrę Bryoniæ folia: in quem usum emplastri modo imponuntur. Quinetiam luxatis eodem modo imponuntur.

DE BRVSCO.

NOMENCLATVRAE.

Μύρσινη ἄγρια.

Ruscus.
Bruscus.
Sylvestris Myrtus.

Heydelber.

D

ANNOTATIO IN BRVSCVM.

BRVSCVS officinarum, ut Antonius Musa & Ruellius indicant, est apud antiquos & Dioscoridem, Ruscus & Oxymyrsine, idest sylvestris myrtus. Barbari uocabulum corrupere, & Bruscum pro Rusco dicunt. Ex hoc frutice acuminato & spinoso aliquibus locis scopę ad purganda pauimenta fiunt. Pueri etiam rubentes baccas ex folijs eius decerpentes, ceu corallijs per ludum se illis ornant. Rustica postremō plebs in carnario suspendit, tueturq; eo à murium iniurijs pernas: & casei sui fiscellas, neq; enim acumina ta in cuspidem foliorum eius cacumina penetrare animalia illa audent, quam ob causam myacantham, idest murinam spinam à Dioscoride dictam esse credendum est.

DESCRIPTIO.

Bruscum hodie officinæ uocant humilem herbam, fruticosam, folijs

A folijs acutis, & mucrone rigentibus, dependentibus à medio baccis, quę per maturitatem rubescunt, osseo intus nucleo, ramulis cubitalibus, uitilium modo lentis, folioſis, fractu contumacibus, radice graminis acerba, subamara.

TEMPERAMENTVM.

Fructus & folia, temperato calore sunt prædita.

VIRES AC IVVAMENTA.

Bibuntur in uino folia fructusq; ad ciendas urinas: ducendos menses, & frangendos in uesica calculos: prosunt eadem fellis suffusionibus, urinæ stillicidio, & capitis doloribus, Nascitur asperis locis & præruptis rupibus.

Succus ex folijs in ore retentus, tollit putredinem & statim sanat. Idem succus cum lacte temperatus, & circa aures inunctus, omnia mala ex eis tollit, & clarum reddit uisum, Idem cum Zaccaro bibitus, excreationem sanguinis aufert, & frangit calculum lumborum.

Succus decoctus & potus, uuluas mulierum purgat, & mouet menstrua.

B Puluis ex radice uulneribus insperſus, erodit gangrænam, & statim sanat.

Ad tumida uirilia facito emplastrum ex folijs cum oleo rosaceo permistis, & superimpone, tumor pellitur absq; incommodo.

Ad uirilia quoq; cauliculis eius in uino & aceto tritis, nihil utilius putant.

Accipe radicem Bruſci, Anisum & fœniculum æquali pondere, ac in puluerem contunde, & Zaccarum admisce, huius puluerís unum cochlear ieiunus sume, & flatus in corpore & tormina intestinorum discutiet.

DE BVRSA PASTORIS.

NOMEN.

NOMENCLATVRAE.

Burſa paſtoris.
Sanguinaria.
Pera paſtoris.
Criſpula.
Herba cancri.

Teſchel kraut.
Hirten ſeckel.
Blůt kraut.

ANNOTATIO IN BVRSAM PASTORIS.

BVRSA Paſtoris multis nominibus à recentioribus medicis donata eſt: num autem apud Græcos & antiquos hæc herba cognita fuerit, nemo adhuc certò demonſtrare potuit. Burſam paſtoris uulgus appellat, à folliculis in exiguæ uulgæ ſimilitudinem compreſſis, turbinata cordis effigie. Proinde & Germani **Teſchel kraut**, id eſt herbam marſupij appellant. Sanguinaria etiam dicitur, quia miram in ſiſtendo ſanguine poteſtatem habet, Sunt autem plures Sanguinariæ, ſed hæc uirtute præpollet.

DESCRIPTIO.

Burſæ paſtoris duo inueniuntur genera. Maior ſcilicet & Minor, Maior cenſetur melior, Vtraq; habet folliculos dependentes marſupij figuram repręſentantes, in quibus continetur ſemen minutum, Flores uero albos, & radicem candidã & numeroſam habet.

TEMPERAMENTVM.

Vis illis tribuitur aſtringendi & refrigerandi.

VIRES

A VIRES AC IVVAMENTA.

Burſa paſtoris confert illis quibus ſtomachus æſtuat, ſi extrinſecus imponatur.

Trita ex aceto collectionum inflammationes refrigerat, ac eo defluentes humores cohibet.

Medetur dyſentericis, ſanguinem excreantibus, necp̃ non muliebri profluuio, ſuccus in potu ſumptus.

Ad nimiam fluxionem ſanguinis narium, uel alterius membri, Accipe ſuccum huius herbæ, & cum eo nares uel membrum inunge, tum ſanguinem ſiſtet, & uenas æſtuantes refrigerabit.

Herba in manibus ſi contineatur, ualde adſtringit ſanguinem è naribus fluentem.

Auribus purulentis ſuccum calidum inſtilla, pus ipſum ac fluxum earum tollit.

Burſa paſtoris decocta cum uino & melle, & recentibus uulneribus impoſita, citõ ſanat.

Cruenta quoq; uulnera facile ſanat.

Succus cum Semperuiuo in aceto permiſtus, imponitur utiliter ſacris ignibus.

Herba cũ uino decocta, confert aduerſus morſum uenenatorũ.

Vtramq; Burſam paſtoris ſanguinem uehementius adſtringere, B quàm ullam herbam, medici affirmant.

AQVA BVRSAE PASTORIS.

Ad diſtillationem herba cum tota ſubſtantia colligenda eſt, & minutim concidenda circa finem Maij, uel circa principium Junij.

Aqua Burſæ paſtoris, mane & ueſperi ſingulis uicibus tribus uncijs pota, ſaluberrima eſt contra omnem fluxum uentris. Eodem modo pota mulieribus ſiſtit menſtrua. Item omnia uulnera mitigat & curat, ſi inde lauentur.

Eadem ſiſtit fluxũ ſanguinis ex naribus, ſi peſſulus factus ex Goſſipio, in ea aqua maceratus, naribus immittatur. Idem prẽſtat ſi cum linteolo fronti imponatur.

Eadem vi. aut vij. uncijs pota ſiſtit ſanguinem uulnerum.

DE BVXO.

NOMENCLATVRAE.

Buxus.

Buchsbaum.

ANNOTATIO IN BVXVM.

C BVXVS siue Buxum, utrunq; enim dici potest, est una illarum arborum, quæ topiario operi accomodatissimæ sunt, & tonsiles ac flexiles, perpetuoq; uirore commendabiles: quales sunt Cupressus, & Iuniperus. Buxus autem arbor est satis nota, ligni pallore & duritia commendabilis, ut inquit Plinius, immortali coma uiret, nec ei decidunt folia, Spissima ac grauissima ex omni materie, ideoq; in aquis non fluitat, neq; cariem neq; uetustatem sentit. Pyrenæis & Cytoro montibus plurima, ac Berecynthio tractu. Huius autem tria genera facit Plinius lib. 16. cap. 16. Gallicum, quod procerum est: Oleastrinum, in omni usu damnatum ob grauem odorem: & nostrate siue syluestre, omnium minimum, sed diffusius, & densitate parietum uirens semper ac tonsile.

TEMPERAMENTVM.

Buxi lignum ualde bonum est, singulari pollet uirtute, & in quatuor qualitatibus temperatum.

VIRES AC IVVAMENTA.

Serpentes quando uulnerati sunt, eduntradicem Buxi, & statim reualescunt.

Folia Buxi siccata & in puluerem trita, cumq; aqua Lauendulæ
D in potu sumpta, phrenesim tollunt. Sub Buxo dormire aut quiescere, minuit ac lædit mentem, nam odor illius naturæ aduersatur.

Lignum aufert libidinem.

Ligni rasura subtilis (cum sit frigida & sicca, ut Vitalis testatur,) in aqua pura decocta atq; bibita, fluxum uentris restringit.

Buxus si in lixiuio uel aqua decoquatur, & ex tali decocto caput sæpius lauetur, crines facit ruffos atq; flauos.

DE BVTYRO.

NOMENCLATVRAE.

Βούτυρον.

Butyrum.

Butter.
Ancken.

ANNOTATIO IN BVTYRVM.

BVTYRVM Romani pariter Græcis dicunt, E lacte fit & Butyrum, ut Plinius inquit, Barbararū gentiū laudatissimus cibus, & qui

A & qui diuites à plebe discernat, quoniam autem plurimum è bubulo fit, à boue nomen inuenit, alioqui ex omni lactè fieri posse & Dioscor. & Plinius testati sunt, quod antiquiores aliqui negauerunt, nomen magis quàm rei naturam contemplati.

TEMPERAMENTVM.

Butyrum calefacit atq; humectat in primo ordine. Habet naturam maturandi purgandi & digerendi mediocriter in teneris corporibus, quod etiam Ægineta testatur.

Oleosum natura Butyrum est, & lactis naturam sequitur.

VIRES AC IVVAMENTA.

Butyrum maturat parotidas, si eo inungantur: infantiũ dentitiones adiuuat, admixto melle Butyrũ: in quem usum gingiuę eo sunt confricandę, prodest & ante dentitionem gingiuarum pruritibus. Prodest & oris ulceribus in eadem ętate, quas aphtas dicunt.

Conducit etiam ut membra & lumbi eo inungantur, dolorem enim in ĩs mitigat.

Butyrum cum melle permistum & ita in cibo sumptum conducit ad Apostema pectoris.

Eodem modo discutit abscessus pulmonis, unde solet prouenire tabes. Præterea etiam lenit & purgat omnia ulcera in genitalibus.

B Butyrum in cibo sumptum lenit omnia interiora membra, propterea etiam in illis regionibus ubi homines quotidie Butyro uictitant, perraro calculo obnoxij sunt, nam crassi uiscosiq; humores ex quibus calculus creari solet, ex Butyro digeruntur & purgantur per urinam & sedes.

Butyro si quis usus fuerit tam foris quàm intus facit hominem per sputum eijcere uiscosos humores pectoris.

Præterea, ut Æginęta inquit, humores ex inflammatione pectori infarctos, Butyrum linctum concoquit.

Infunditur clystere contra intestinorum tormina Butyrum, & crassioris intestini, quod colan dicunt, exulcerationem.

Finis literæ B.

Sequuntur Herbarum descriptiones quę à litera C. incipiunt.

DE CHAMOMILLA.

C

NOMENCLATVRAE.

Ἀνθέμις.
Χαμαιμήλον.

Anthemis.
Chamæmelon:
Chamomilla.
Cotula fœtida.

Camillen blumen.
Magdblum.
Krotten dill.

D

ANNOTATIO IN CHAMOMILLAM.

HAMOMILLA uulgò ab officinis & Herbarijs uocatur, quæ à Dioscoride Anthemis & Chamæmelon dicitur. Eranthemon aliqui appellant, quoniam uere floreat, Chamęmelon uerò, quia odorem mali habeat, sic nonnulli Leucanthemon à colore albo, aut Chrysanthemon Chrysocomenue à flauo auri colore, eam indicauerunt.

DESCRIPTIO CHAMOMILLAE, ET eius Genera.

Chamomillæ tria inueniuntur genera. Primum, ipsa uera Chamomilla, quę ubiq; in segetibus nascitur, & locis cultis, duorum palmorum altitudine, foliȷs fœniculo, floribus uerò Matricariæ similibus, odore iucundo, capitello intus luteo, quod per ambitum circumdatur flore candido, in modum coronæ. Alterum genus uocatur Cotula, quæ adeo similis est Chamomillæ, ut frequenter etiam Herbarios decipiat: cum foliȷs & floribus nihil penitus differre uideat, odore tamen est tetriore, & uocatur syluestris Chamomilla.

Tertium

A Tertium uerò genus est Cotula foetida, Germani eam Caninam, siue florem caninum appellant, hęc ultra modum pessimè olet: utraque Cotula amat loca inculta, & semitas.

TEMPERAMENTVM.

Chamomilla ut Galenus inquit, calefacit siccatq; in primo ordine, præterea uirtute tenui discussoria, laxanti, & odorata constat.

VIRES AC IVVAMENTA.

Florũ magnus usus est in medicinis, & colligendi sunt circa finem Maij, uel in principio Iunij. Habent uirtutẽ molliendi & leniendi.

Chamomilla in aqua decocta, & duris apostematibus imposita, emollit ac dolorem lenit, expellit purulentiam.

Vinum in quo per noctem flores Chamomillæ fuerint macerati, bibitum, neruos confirmat, & paralysim aufert, flores contusi & cum melle permixti ac sumpti, aluum laxant, multosq; uiscosos humores per inferiora expellunt, ac intestina hominis expurgant. Flores Chamomillę cerebrũ confortant, & educunt malos humores in eo ex frigiditate collectos, si caput lixiuio ex illis parato lotũ fuerit.

Chamomilla in aqua elixa curat ulcera oris, si os inde collutum fuerit. Ad stillicidium urinæ conducit, si quis ex ea bibat. In uino elixa tollit tumorem stomachi, & adiuuat concoctionem.

Eodem modo medetur asthmati & euacuat pectus. Confert
B etiam iocinori affecto. Fœtus mortuos educit, si mulier inde biberit, uel decocto eius insederit.

Si quis calculo obnoxius fuerit, ille lauet ter uel quater cum Chamomilla, & leniter liberabitur.

Inter omnes herbas quibus in Balneis aduersus calculũ utimur, Chamomilla maiorem habet efficaciam.

Si quis pedes lauerit in decocto Chamomillæ, multas ægritudines corporis repellet.

Aqua in qua Chamomilla elixa fuerit, emollit lumbos & uesicam, expellitq; materiam ex qua calculus generatur. Eadem ualde confortat membra, & ex eis repellit paralysim, qua uirtute præcipue pollet oleum Chamomillæ.

Chamomilla lenem & mollem reddit cutem, si quis ex ea lauet: multos malos humores expellit, si quis inde biberit.

Emplastrum inde factum & scabiei impositum, uel maculis in corpore, hoc quàm primum medetur. Flores Chamomillæ in aqua elixi & capiti impositi, ualde ei conferunt, dolores quoq; capitis tollunt, si inde lauetur. Ad interiorem tumorem corporis & ad iecur affectum prosunt, si quis inde bibat.

Ad calculum lumborum, floribus Chamomillæ te in calido loco inunges circa lumbos & sub umbilico, & præcipue à Balneo, hoc

C remedium adferet, fellis ſuffuſiones emendant. Sanant quoq; emplaſtri modo impoſiti flores, omnes oculorum fiſtulas, quas ægilopas uocant.

Chamomilla præ alijs herbis proprietatem habet mitigandi dolorem uentris, ut inquit Auerrois.

Oleum eius uocatur oleum benedictũ, ut inquit Vigonius, quia reſoluit ſine attractione, & in leniendis doloribus non habet ſui ſimile.

AQVA CHAMOMILLAE.

Chamomilla colligetur in fine Maij uel in principio Iunij, & diſtillabitur.

Aqua Chamomillæ pota mane & ueſperi ſingulis uicibus duabus aut tribus uncijs, mitigat dolorem uentris & tormina inteſtinorum.

Eadem pota felle ſuffuſis medetur, ciet urinam, frangit calculum renum & ueſicæ.

Mulieribus mouet menſtrua, mortuum fœtum in utero, ſi habuerit mulier, eum expellit, & præterea omnem uiſcoſum humorem matricis.

Aqua hæc pota, ut ſuprà dictum eſt, minuit febrem, aperit lienẽ obſtructum, diſcutit tumorem ſtomachi, quem etiam confortat ac
D calefacit, ſiſtit alui fluxum, quem lienteriam nominant.

Eodem modo facit ad abſceſſus pulmonis, emendat lepram. Cum linteis exulceratis pudendis impoſita, calorem extinguit, & minuit dolorẽ. Sanat morſus ſerpentũ, pota & cum linteis impoſita.

Confert quoq; ad medullam uel oſſa, ſi refrigerata fuerint, ſi ſæpius inde lauentur & fricentur. Cerebrum confortat, ſedat dolorem capitis ex frigida cauſa ortum, & frigidos fluxus aurium, ſi caput cum ea friatum fuerit.

DE CALAMO AROMATICO.

NOMENCLATVRAE.

Κάλαμος ἀρωματικός.

Calamus aromaticus.
Calamus odoratus.

Calmus.

ANNOTATIO IN CALAMVM AROMATICVM.

CALAMVS aromaticus ut Dioſcorides inquit, in India naſcitur, eſtq; in eo probatiſſimus, qui colore ruffo, & crebris geniculis eſt

A culis est, qui confractus in multas assulas dissilit, fistulis aranearum plenis albescens, & in cõmanducando glutinosi lentoris astricto sapore, nec adeo acri. De hoc Calamo inter medicos magna est dissensio, Manardus enim hoc tempore Calamum aromaticum putat ignotum: quod enim (inquit) uulgus eo nomine uocat Calamũ aromaticum: radix est non Calamus, nec ut arbitror (inquit) Calami illius radix, sed uel Acorus est, ut etiam suspicari Hermolaus quodam loco uisus est: uel alia quædam res nobis incognita. Porrò in Mæotide odoratum nasci Calamum produnt, ut scribit Ruellius, radice subalbida, sine fistulis, intus plena & amara, specie Acori, de quo & falsi quidam sunt, acorum ipsam putantes: quanto autem amarior tanto & calidior Indico. Vtrunq; tamen genus Acorum odore superat, Quanquam autem uulgaris Calamus cum descriptione Dioscoridis non quadrat, credendum tamen est à uiribus ueri Calami non multum discrepare. Recentiores medici, ut supra etiam in Acoro dictum est, fermè omnes iudicant, nostrum uulgarem Calamum, esse radicem ueri Acori apud Dioscoridem.

TEMPERAMENTVM.

Calamus aromaticus, ut Ægineta inquit, in secundo ordine calefacit atq; siccat, inest ei quippiam & subtile & astringens.

VIRES AC IVVAMENTA.

B Calamus aromaticus mirum in modum confortat, præcipuè stomachum, concoctionem quoq; adiuuat.

Ad frigidum stomachum, accipe tres drachmas Calami, & cum succo Absinthij commisce, ac cum calido uino bibe.

Si stomachus cibum concoquere non ualuerit, Accipe Calami in puluerem redacti drachmam unam, & cynamomi in puluerem contriti drachmas duas, & cõmisce, ex hoc matutino tempore bonum haustum cum uino sume, & proderit.

Ad tremorem cordis, Accipe integrum Calamum aromaticum, & in aqua rosacea decoque, uesperiq; bibe.

Calamum aromaticũ macerant aqua, & postea condiunt ut Zinziber, qui confert ad stomachi frigiditatem, & concoctionem adiuuat, hominemq; à febribus præseruat.

Calamus in puluerẽ redactus, & cum succo Taxi barbati permistus, ad anum prominentem conducit, si quis imponat.

Est illi uis & natura urinã ciere, ut Dioscorides inquit, eamq; ob causam cũ gramine aut Apij semine decoctus, contra cutẽ subeuntes aquas, renum cũ urinæ malo aliquo dolores, uesicæ stillicidiũ & rupta, utiliter bibit. Ducit idem menses, potus & appositus. Tussi per se & cũ terebinthina resina suffitu medetur, fumo in os per fistulam attracto. Decoquitur præterea fœminis ad insidendum. Quinetiam clystere infunditur.

DE HERBIS, CAETERISQVE DE CALENDVLA.

NOMENCLATVRAE.

Calendula.
Charamos.

Ringelblumen.

ANNOTATIO IN CALENDVLAM.

DALENDVLA uulgò dicta est, quòd quibuslibet Calendis, & quolibet mense sponte renascatur, & florere deprehendatur tam hyeme quàm æstate, ideoq; Itali florem omnium mensium appellant, quidam solarem aut solisequium aut heliotropion appellant. An tamen reuera ita appellari debeat, nondum satis constat: nam ut hæc quidem herba cum sole sese circumagere uidetur, ita permultos habet eius proprietatis flores sibi similes. Heliotropion Dioscoridis à paucis medicis cognoscitur, habet enim in summo candidum florem, purpurascentem, scorpionum caudæ modo inflexum: flores uerò Calendulæ crocei sunt, & in patentem amplitudinem dehiscunt.

Singulare genus herbæ Calendula est, seritur in hortis pro ornamento, & ad coronamenta & serta puellarum. Adhuc incertum est, quo nomine apud Græcos medicos & antiquos Latinos, appellata sit. Matthęus Syluaticus uocat eam Charamos, nonnulli etiam Caput monachi appellant.

DESCRIPTIO.

Calendula est flos duorum palmorum altitudine, luteo colore, & graui odore, ferme similis flori, quem appellant florem S. Ioannis.

VIRES

A

VIRES AC IVVAMENTA.

Flores Calendulę aceto & sale macerandi sunt, & reponendi, sic duos annos uires suas retinent.

Stomachum confortant, appetentiam ciborum excitant, Humores stomachi consumunt, calefaciuntq; stomachum frigidum.

Cortex Calendulæ penetrat & digerit malos humores, Qui in uino coctus & potus, medetur iocinerosis.

Puluis ex Cortice permistus cum succo fœniculi, & uino, modicoq; oleo, & decoctus usq; ad crassitudinem, parumq; ceræ si admixtum fuerit, fiet unguentum, quod lieni uel frigido stomacho foris illitum, maximè prodest.

Succus ex folijs expressus, auribus instillatus, necat uermes.

Cortices in puluerem redacti, maligniſq; pustulis impositi, eas sanant.

Succus herbæ & radicis clystere infusus, auxiliatur membris paralyticis.

Mulieribus quibus mamillæ fuerint inflatæ, ob menstruorum suppressionem, dentur flores Calendulæ cum spica & uino: quia tumorem sedant & menstrua prouocant, ut testatur Mattheus Syluaticus.

B Ad sanguinis mictum, Accipe flores Calendulæ & decoque, si in de biberis fluxum sistit.

Singulare experimentum ad expellendum secundas à partu mulieris. Flores & folia exiccata in usum repone, si uerò muliere liberata secundæ sequi noluerint, hanc herbam & flores exiccatos cerco accende, & suffitum infernè facito, hoc experimentum est certum ut scribit Brunsfelsius.

AQVA CALENDVLAE.

Hieronymus expertissimus Herbarius inquit, aquam ex floribus Calendulæ distillatam, mederi omnibus uicijs oculorum, siue ex calore, siue ex frigore contractis, oculosq; claros reddere, præterea etiam omnes capitis dolores discutere.

DE CANNABI SATIVA ET SYLVESTRI.

NOMEN.

NOMENCLATVRAE.

Κάνναβις ἥμερος.
Κάνναβις ἄγρια.

Cannabis satina.
Cannabis syluestris.

Hanff.

ANNOTATIO IN CANNABIM.

CANNABIS, ut inquit Dioscorides, multæ utilitatis uitæ hominum, texendis ualidissimis ex ea funibus planta est, unde & à Græcis schœnostrophon dicta est. Varro, Gellius, & Palladius Cannabum non Cannabim appellant. Duas species habet. Syluestrem & satiuam, ex ambabus semina pharmacopolæ habebunt, ex syluestri autem speciatim radices. Syluestris Cannabis nascitur in syluis, uirgulas Althęę fundens nigriores, asperioresq;, ac minores, cubitali altitudine, Folia habet satiuæ similia, asperiora tantum & nigriora, flores uerò rubentes. Semen & radices Althææ.

DESCRIPTIO.

Cannabis satiua folia malo similia habet, & ingrati odoris, Caules longos inanesq;, Semen rotundum. Ea ferulacei generis est, graui odore, simplici, adolescit caule in tantam plęrunq; proceritatem, ut arborum æquet fastigia. Cannabis satiua solum pingue stercoratumq;, & riguum uel planum, atq; humidum & alte subactum deposcit. Semen eius cum est maturum, ab æquinoctio autumnali defringitur, & sole & uento aut fumo siccatur. Ipsa Cannabis uellitur post uindemiam. In quadratum pedem seruntur grana sex eius seminis arcturo exoriente, quod est ultimo mense Februario, circa sextum aut quintũ Calendas Martias. Si sit pluuius cœli status, improbè seritur.

A

TEMPERAMENTVM.

Canabis calefacit & exiccat in ſecundo ordine, Quare & flatus in uentre diſſoluit & diſcutit.

VIRES AC IVVAMENTA.

Ex ea uiridi expreſſus ſuccus contra aurium dolores utiliter inſtillatur. Idem præſtat ſuccus ex ſemine expreſſus.

Si quis habuerit aures fluidas, oleum ex ſemine Cannabis auribus calidum inſtillet, hoc opem præſtat. Herba ipſa auget dolorem capitis aſſidue uteritibus, inducitq; phreneſim.

Huius ſemen, ut Autor eſt Galenus, magno negotio concoquitur, ſtomacho & capiti aduerſatur, prauos creat humores. Sunt tamen qui hoc quoq; toſtum tuſimq; cũ bellarijs, quæ ſecundis menſis præbentur, uſurpent. Admodum excalefacit, & caput æſtuoſo halitu ſurſum miſſo tentat. Semen Cannabis extinguere genituram uirorum dicitur. Succus ex eo uermiculos aurium necat, & quodcunq; intrauerit, eijcit, ſed cum dolore capitis.

Antonius Muſa ſcribit, gallinas hoc ſemine paſtas per totam hyemen oua parere, quod & urticæ ſemen facere certum eſt.

Succo tanta uis eſt, ut aquæ infuſus, coagulare eam dicatur, & ideo iumentorum aluo ſuccurrit in aqua potus.

B

Radix contractos articulos emollit in aqua cocta: item podagras, & ſimiles impetus. Ambuſtis cruda illinitur, ſed ſæpius mutatur priuſquam inareſcat.

Accipe ſucci ex cortice iuglandis unciam unam, ſucci ex Eupatorio ſemiunciam, ſucci ex ruta iij. drachmas, ſucci hyſſopi iij. uncias, ſucci Cannabini iiij. uncias. Hoc ſimul permiſce, indeq; accipe ſemiunciam, & miſce cum ſemidrachma Mumiæ, & ſemiuncia ſacchari candi, drachmaq; una ſacchari roſacei, ex hoc potionem para, quam ueſperi quando iturus es cubitum, bibes, & ſtragulis benè opertus cubabis, tum ea potio omnes humores in homine, unde peſtis creari ſolet, expellit. Eadem potio hydropi auxiliatur, eodemq; modo ſumpta, hominem ab huiuſmodi morbis præſeruat.

Radix ſylueſtris Cannabis, ut inquit Dioſcor. elixa lenit inflammationes, tumores diſcutit: lapidoſas durities, quas Græci poros dicunt, diſijcit, emplaſtri modo impoſita.

AQVA CANNABIS.

Tempus diſtillandi conueniens eſt, ut cacumina ex Cannabe adhuc tenera & uiridi conciſa, diſtillentur.

Aqua Cannabis magnopere confert doloribus capitis ex caliditate creatis, ſi caput, frons & tempora ſæpius ex ea illinantur.

Conducit etiã aduerſus omnem calorem in quacunq; parte corporis fuerit, ſi linteola in ea intincta, imponant, & hoc p hyemem bis in die, per æſtatem uerò ter fiet.

CAPPA.

DE HERBIS, CAETERISQVE
DE CAPPARI.

NOMENCLATVRAE.

Κάππαρις.

Capparis.
Cynosbatos.
Persicum Sinapi.

Cappern.
Cappern blumen.
Cappern Rinden vnd Wurtzel.

ANNOTATIO IN CAPPARIM.

DCAPPARIS uulgaris quotidianiq; usus cum suo fructu est,& medicinæ tamen magis familiaris, quàm cibo,ut testatur Galenus. Capparim autem à cunctis rei rusticæ scriptoribus appellari notum est: unde uerò Persicum Sinapi à Romanis uocari Dioscorides dixerit,negat Marcellus rationem posse inueniri. A nonnullis cynosbatos dicta est Capparis,hoc est sentis caninus, ob hamatos quos habet rubo illi similes aculeos,quemadmodum & phyllostaphylon,quòd inter folia fructum quasi uuam fert,dicitur.

DESCRIPTIO.

Capparis,ut Dioscor. inquit,Spinosus frutex est, in gyrum per terram stratus,Hamatas habet rubi modo spinas,folia rotunda,cotonci mali foliis similia,fructum Oliuę figura: qui dehiscens candidum,pfert florem:eoq; defloreſcente supereſt ueluti oblonga glans: quæ dehiscens,grana punicę modo intra se ostendit exigua rubentiaq;.Habet Capparis radices multas,lignosas & grandes,nascitur asperis plerunq; locis:& tenui solo domorumq; areis.

TEMPERAMENTVM.

Capparis calefacit atq; desiccat in tertio ordine. Iuxta Auicennam uerò in secundo ordine calida est & sicca, habetq; naturam acuim extenuandi & purgandi stomachum à superfluis humoribus, & aperiendi obstructionem iocineris atq; splenis. In Cypro, ut Galenus inquit lib. 2. de aliment. facultа. Capparis plurimum prouenit, parum alimoniæ uescentibus præbet,quòd partium tenuitate polleat,

A polleat, fructus ſale conſperſus aduerſatur, alioqui citò corruptionem ſentit. Recens ſalem non expertus plus alit quàm eodem inueteratus, aluum tamen magis mouet. Elutus & tantiſper maceratus, dum omnem ſalis naturam deponat, minimè quidem enutrit, ſed elangueſcentem appetentiam mutat, faſtidia ciborum diſcutit: pituitam quæ in uentre coierat deijcit, lienis ac iocinen is obſtruentes inferctus expedit: uerum ad hos uſus præſtandos, ex aceto mulſo, aut oleo & aceto cæteris dapibus præponi debet. Eadem de Capparí idem Autor ſcribit, lib. 7. de ſimplic. medicamen. faculta. & Paulus Ægineta lib. primo.

Capparis radix teſte Ægineta extergit, probè purgat, incidit, diſcutitq;, tum amaritudine, tum acrimonia: acerbitate contrahit, ſtringit & denſat, quapropter lienes induratos & pota & extrinſecus impoſita, iuuat. Folia autem & fructus ſimilem quidem, ſed imbecilliorem uim poſſident.

Folia, flores, cortices atq; radices in medicina uſurpantur, ſed corticū radice maior uſus eſt, qui in principio ueris colligendi ſunt, & in umbroſo loco deſiccandi. Hic autem cortex magis laudatur, qui fractus non præbet puluerem. Idem quinq; annis ſuis uiribus conſeruatur.

VIRES AC IVVAMENTA.

B Capparis cum ſale & oleo ſaporis eſt optimi: & acetarij uice per hyemen in pleriſq; locis editur.

Semen Capparis minuit lienem, quadraginta diebus pondere drachmarum duarum cum uino potum.

Succurrit idem ſemen potum coxendicis doloribus, reſolutiſq;, nec minus ruptis conuulſiſq;.

Menſes idem trahit, & capitis pituitas per os purgat, Coquitur ſemen eius, colluunturq; decocto illo utiliter in dolore dentes. Siccatus radicis cortex contra prædicta omnia itidem ualet, repurgatq; uetuſta omnia ſordida, & in callum durata ulcera.

Mordetur radix eadem, ſuccurritq; dentium dolori. Vitiligines albas trita ex aceto exterit. Diſcutiunt conciſa folia & radices, durities & ſtrumas. Neq; paralyſi periclitari eos ferunt, ut Platina inquit, qui Cappari quotidie utuntur, non lienis doloribus, non epate, cum fibras uitalium & precordiorum aperiat, humoreſq; glutinoſos ac Melancholicos inprimis à ſplene abigat, urinam ciet, lumbricos interficiat, uenerem excitet, ac contra uenenum theriacæ uim obtineat.

Verminoſas aures inſtillatus radicis ſuccus, enectis uermibus, ſanat.

Aduerſus uerrucas & duras glandulas in corpore, quas ſcrophu

C las uel ſtrumas appellant, quæ plerunq; in collo, gutture, & ſub alis naſcuntur, & cuti ſunt conformes, creanturq; ex malis humoribus, utputa ex Phlegmate craſſo & uiſcoſo, & ex Melancholia. Deco- que corticem & radicem Capparis, atq; eo decocto quatuordecim dies uerrucas atq; ſtrumas laua, tum diſſipantur abſq; ullo periculo. Deinde para hoc unguentum, quo eas inunges, Accipe anguem mortuum, eiuſq; caput & caudam amputa, reliquam partem in ollam foraminoſam conijcito, & hanc ollam in aliam ponito, ſuperiorem q; ollam gypſo uel argilla benè obturato, ſimiliter quoq; aliam, inferiorem q; ollam feruenti aquę imponito, in qua tantiſper ſtabit, dum oleum ex ſuperiore olla deſtillaſſe tibi uideatur, anguis uerò conſumitur uapore inferioris ollæ. Ex hac pinguedine anguis, & ex puluere radicis Capparis, ſi inuicem permiſta fuerint, ſtrumas curare potes intra octiduum, ſi inde unxeris.

DE CAPILLO VENERIS.

D

NOMENCLATVRAE.

Ἀδίαντον.
Γολύτριχον.
Τριχόμανες.

Capillus Veneris.
Coriandrum putei.
Capillus porcinus.

Maur rauten.
Steyn ruten.

ANNOTATIO IN CAPILLVM VENERIS.

CAPILLVS Veneris herba eſt, quæ à Dioſcoride Adianton appellatur, hoc eſt non madeſcens, quod ſemper ſiccum inueniatur, etiam ſi ipſam herbam aqua immerſeris, quod ſi madeſcat, ſtatim quidem ſiccatur. Quod & Theophraſtus teſtatur lib. 7. capite 13. cum inquit: Adianti, ideſt Capilli Veneris folium in aqua nunquam madeſcit, nec quicquam adhæſiſſe humoris conſtat: unde & nomen herba accepit. Omnium Græcorum & Latinorum eadem in nominis origine ratio & ſententia eſt, Vox ipſa etiam indicat, neq; enim Adianton aliud eſt, quàm quod οὐ δίαινεται, ideſt non madeſcit, A uarijs effectibus diuerſa nomina ei ſunt impoſita, quod

& Pli-

A & Plinius teſtatur, Polytrichon enim appellatur, quia capilli defluuia explet. Callitrichon autem, quia eos tingit, & ſpecioſiores reddit. Apud quoſdam dicitur Capillus fontium, ab alijs uerò Coriandrum putei, Germani Capillum Veneris, murariam rutam appellant, quum tamen ea potius ſit Saxifragiæ ſpecies, ut Otto Brunsfelſius & Hieroymus Herbarius indicant. Videmus etiam ueterum deſcriptionem non conuenire cum ea Muraria ruta, quam hodie appellant officinæ Capillum Veneris: utendum tamen ea eſt, quum uiribus par ſit, dum ueram diſcamus agnoſcere. Nam & Plinius teſtatur Adiantum ſaxifragum dici, non tam quia naſcitur in Saxis, quàm quòd calculos mirè frangit. Eſt & alia Saxifragæ ſpecies, ut Brunsfelſius ſcribit, quam etiam Capillum Veneris appellant Herbarij, cauliculos uel pediculos habens, ad modum capilli ruffi uel aurei coloris, & Germanice **Der gulden Widerthon**, ab illis dicitur, putantq; eſſe amuletum contra faſcinationes.

DESCRIPTIO.

Capillus Veneris ſeu Adianton, duo habet genera, candidū ſcilicet & nigrum. Candidum propriè Adianton dicitur, quod folia magis alba, & Coriandro ſimilia habet, exigua & in extremitatibus inciſuris diuiſa. Coliculos quibus ex ea exeunt nigros, extremę gracilitatis, dodrantales, nitenteſq;. Non caulem, nō florem, nō ſemen
B fert. Radix illi inutilis eſt.

Nigrum alterum Trichomanes appellatur à Dioſcoride, folia habet filici ſimilia, tenuia, nigriora primo & breuiora. Hoc propriè Callitricon dicitur, extricarum pulchritudine quam facit, Romani capillarem herbam, ſiue filiculam uocant, à quibuſdam Germanis **Frauwen har** dicitur, ac ſi dixeris Fœminę crinis. Creditur hoc ante dicto eadem omnia poſſe.

Hieronymus Herbarius inquit, quatuor eſſe genera Capilli Veneris, ſcilicet Adianthon, Polytrichon, Capillum Veneris, & Callitrichon, quem multi Pharmacopolæ ſecuti, etiam iuxta diuerſa nomina, quatuor diuerſas herbas falſō oſtendunt, quum duę tantum ſint herbæ, quæ antedictis nominibus appellantur, & eaſdem uires habent. Naſcitur Capillus Veneris umbroſis, paluſtribuſq; locis, humentibus muris, & propè fontes.

TEMPERAMENTVM.

Capillus Veneris, ut Ioannes Viconius inquit, eſt frigidæ & ſiccę temperatæ naturæ, Habet uirtutem diureticam, confertq; ſplenecis, & hepaticis. Paulus Ægineta autem inquit: Adiantum ſiccat, extenuat, & modicè diſcutit, calore ac frigiditate medium eſt. Alopetijs igitur medetur, tumores digerit, calculos potu cōfringit, reiecti ones pulmonis deſiccat, alui profluuium ſiſtit.

C Capillus Veneris, ut Mesue testatur, educit ex homine Choleram & Phlegma, crassosq; humores, sanguinem mundificat, & bonum inducit homini colorem, bonumq; reddit anhelitum: stomachum expurgat, & uentrem & hepar ac lienem, & confert dolori eorum, si quis ex ea herba bibat.

Eodem modo sumpta discutit calculum uesicæ & lumborum.

In aqua uel lixiuio cocta, si inde caput lotum fuerit; facit crines nasci, Capilli defluuia, quas Alopetias uocant, explet.

Cum Ladano, ut inquit Dioscorides, myrteoue, & lilino oleo, uel hyssopo etiam, addito & uino, capillū fluentem compescit, furfures & manantia capitis ulcera, cum lixiuio exterit. facit etiam ad omnes capitis & reliqui corporis furfures, decoctum eius cum lixiuio & uino, in quem usum eo absterguntur.

Cinis Capilli Veneris, ut Serapion scribit, sanat fistulas, si inspergatur. Idem uitia in pudendis mulierum purgat.

Decoctum herbę potum, prodest spirandi difficultati, suspiriosis, lieni & felle suffusis, urinæ angustijs, Calculos frangit, aluum sistit, Serpentium morsibus auxilio est. Contra serpentium morsus etiam crudum illinitur. Quinetiam menses, & quæ à puerperio purgantur, decoctum trahit.

D Herba ipsa gallos pugnaciores reddit, cibarijs eorum admixta.

Succus eius, ut Viconius inquit, cum succo Abrotani, & Althęę, & mucilagine nasturtij permistus schrophulas resoluit.

Corona ex Capillo Veneris sedat capitis dolores. Horus Apollo scribit upupam auem, uuæ morbo tentatam, Adiantum ori inditum obuersare, quapropter Ægyptij hominem sese sanantem hoc figurarum inuolucro designant, upupam & Adiantum herbam appingentes.

AQVA CAPILLI VENERIS.

Herba ipsa cū tota sua substantia distillari debet in medio Maij uel à Iulio usq; ad Septembrem.

Aqua Capilli Veneris conducit ad iecur affectum, ipsum enim refrigerat, si quis mane & uesperi tribus uncijs bibat.

Eodem modo bibita prodest iocinori putrescenti.

Confert quoq; omnibus morbis suprà dictis.

DE CAPRIFOLIO.

NOMEN.

A

NOMENCLATVRAE.

Περικλύμενος.

Caprifolium.
Matersylua.
Splenaria.
Inuolucrum maius.

Geyßblat.
Walt meyster.
Speck Lilien.

ANNOTATIO IN CAPRIFOLIVM.

B CAPRIFOLIVM herba est quę apud Dioscoridem Periclymenon dicitur, ut herbarum pertissimi tradunt, Vulgò Matersylua, uel Matersyluia appellatur, Romani Inuolucrum maius appellant. Splenion uel Splenaria etiam dicitur, ut Pandectarius inquit.

DESCRIPTIO.

Caprifolium seu Periclymenon, breuis & simplex frutex est, ut inquit Dioscorides, folia per interualla habet eũ uestientia, albido colore, hederę figura. Habet & secus folia germinationes quasdam, in quibus semen hederæ simile: flores candidos, fabarum floribus æquales, modicè rotundos, foliis ueluti superpositos. Semen durum, & quod difficile uellatur. Radicem crassam rotundamq;. Nascitur in aruis ac sepibus, propinquis fruticibus se aduoluens.

Pandectarius in hunc modum describit: Caprifolium inquit herba est cuius folia sunt ex altero laterum subalbida, & ex altero uiridia, adherens, & aduolens se sepibus. Cuius fructus sunt magnitudine Cubebarum, in principio uirides, & quum maturuerunt citrini coloris, tendentes ad rubedinem, positi iuxta ordinem, & conclusi in duobus foliis simul coniunctis, existentibus in capitibus stipitum iuxta eum.

TEMPERAMENTVM.

C Periclymeni folia & semen, ut Ægineta scribit, incidendi simul & calefaciendi uires obtinent, quapropter urinam cruentam excernunt, ad quatuor dies pota. Competens potionis mensura est, drachmæ unius cum uino. Porrò desiccat quoq; semen. Et quidam aiunt, si copiosius bibatur, sterilitatem bibentibus afferre.

VIRES AC IVVAMENTA.

Herbæ huius folia, semina, & radices, contunduntur & decoquuntur in aqua dulcis radicis usq; ad crassiciem mellis.

Hoc decoctum omnia corporis manantia ulcera exiccat, ualdeq; conuenit malignis pustulis, ut cancro & phagedænę, si illinatur.

Ex succo Caprifolij etiam paratur medicamentum quod lycium appellant, quod cum Myrrha & melle permistum, medetur putridis uulneribus.

Hæc herba ut quidam uolunt, extra corpus tantum adhibetur, propterea quòd contraria facultate, nempe calida & frigida prædita sit. Semen in uino bibitum, prodest ad dolorem & obstructionem lienis.

Semen quoq;, ut Dioscor. inquit, cum maturuit lectum & in umbra siccatum, ad minuendos lienes drachmæ pondere quadraginta diebus in uino bibitur. Prodest in spiritus difficultate non nisi recta ceruice spirantibus. prodest & singultientibus. Partum quoq;
D adiuuat, & ducit menstrua. Cruentam à sexto die urinam trahit.

Habent eadem uires & folia, quæ in circularibus febribus ex oleo inuncta, earum horroribus opem ferunt.

DE AQVA CAPRIFOLII.

Tempus distillationi conueniens est, ut primum flores in principio Iunij distillentur.

Aqua Caprifolij octo uel decem dies mane & uesperi pota subuenit Cardiacæ & orthopnęæ.

Eodem modo pota medetur hydropi: opitulatur suspiriosis, respirationemq; reddit longam, & thoracem expurgat. Itidem quoque confert ad calculum lumborum, & purgat renes.

Salubris quoq; illis est, qui sibi à lepra metuunt, sanguinem enim emundat: facit etiam ad rubentes in facie pustulas, nævos pellit, & faciem puram reddit, si ex ea lauetur.

Efficax est ad membra paralytica quę exaruerunt & extabuerũt, si cum ea quotidie fricentur.

Prodest ueteribus & recentibus uulneribus mane & uesperi inde lotis.

Prodest etiam ut uetera ulcera crurum inde lauentur. Medetur quibusuis tumoribus illita, uel mane ac uesperi singulis uicibus tribus un-

A bus uncijs pota. Eadem attonitis quoq; remedio est, pota, uel membris ex ea friatis.

Ambusta igni uel aqua sanat, si ex ea lota fuerint, uel linteolis imponatur.

Cancrum oris sanat, si sæpius inde lauetur, & gingiuam exulcerationemq; oris,

Cancer mane ac uesperi ex ea lotus curatur, uel si linei panni in ea madefacti, superimponantur. Oculis indita eos claros reddit.

Eadem fistulas sanat, pellit papulas & pruritum ac mentagram, si cum ea lauentur.

DE CARDAMOMO.

NOMENCLATVRAE.

Καρδάμωμον.

Cardamomum.
Cordumeni.
Caros agreste.
Cardamömlin.

B

ANNOTATIO IN CARDAMOMVM.

CARDAMOMVM à Dioscoride appellatur, quod à Serapione & Arabibus Cardumeni uel Cordumeni dicitur: hoc clarum est, Dioscoridi Serapionem comparanti, inquit enim Serapio, melius est ex eo, quod difficile frangitur, plenum, coniunctum, durum & graue, & extensæ superficici, cuius sapor est acutus parum: quod autem ex eo non est tale, est malum. Dioscorides eodem ferè modo scribit: Eligito quod frangenti contumax repugnet, quod plenum, præclusumq; sit: quod enim tale non erit, uetustate exoleuit, & bonitatem amisit. Quod in officinis habetur non est uerum Cardamomum, ut à Dioscoride describitur, quia amarum non est, nec frangenti contumax, ut etiam indicat doctissimus Medicus Ioannes Manardus lib. 3. epistola quarta. Officinæ duo semina pro Cardamomo ostendunt, quorum alterum est paruum, rugosum, & oblongum, & appellatur Cardamomum maius, Alterum magis exiguum est, & triangulare, utrunq; tamen acri sapore est, & apud recentiores medicos in magno usu est, magnaq; ui præditum esse propter acrimoniam censendum est, inquit Brunsfelsius: & quia longo usu iam probatum est, non reijciendum est, donec ueri Cardamomi copia nobis facta fuerit, quod ex Armenia, Bosphoro, India, uel Arabia afferri debet.

DESCRIPTIO VVLGARIS CARDAMOMI.

C Cardamomum est fructus cuiusdam arboris, cuius grana sunt similia seminibus rutę, tenues paruosq; cortices uel folliculos habens, in quibus semen uel fructus concluſus est, Duoq; eius genera sunt, Alterum Cardamomum satiuum, alterū uerò agreste: uel alterum Maius, alterum uerò Minus, quorum satiuum uel maius est melius & magis odoratum, colorem habens subrussum, acremq; saporem dulcedine temperatum. Agreste minus odoratum est, neq; habet tantas uires ut satiuum. Vtendum est in medicina satiuo tantum; quando autem quis uti uoluerit, tum prius lapillos ex eo colliget, & puluerem abijciet.

TEMPERAMENTVM.

Cardamomum est calidum & siccum in secundo ordine. Durat decem annos nihil de sua bonitate amittens.

Cardamomum illis salubre est, qui ob magnam imbecillitatem cordis, syncope premuntur.

Vertiginosis præterea maximè conducit, si ex eo bibant, uel ex puluere eius iure aliquo temperato.

Eodem modo sumptum, stomachum roborat, & adiuuat concoctionem.

In puluerem redactum & lignum aloes admixtum pari pondere
D si fuerit, & hoc cum bono uino potum, discutit stomachi eructationem & uomitum.

Aduersus Cardiacam, Accipe puluueris illius drachmam unam, & in uino uel iure aliquo bibe, hoc absq; dubio opitulatur.

Cardamomum cum Aniso permistum, & cū uino bibitum, excitat ciborum appetentiam. In omnibus morbis interioribus ex frigida intemperie prouenientibus, Cardamomo uti licebit, quibus maximè conducit, ac præcipuè mulieribus.

Pellit idem, ut Dioscorides inquit, latos uentris lumbricos, & cū uino potum, renum cū urinę malo aliquo doloribus, quos nephritim Græce dicunt. Vrinæ angustijs, scorpionum morsibus, cunctisque alijs quæ ictu aut morsu uenenum relinquunt, opitulatur. Calculos præterea disijcit cum lauri radicis cortice potum drachmæ pondere. Fœtus in utero suffitu necat. Scabies pellit ex aceto inunctum.

DE CARDIACA.

NOMEN.

A

NOMENCLATVRAE.

Cardiaca.

Hertzgespan.

B

ANNOTATIO IN CARDIACAM.

CARDIACA herba est à recentioribus Medicis & Herbarijs inuenta, ac in usum medicinæ recepta. an ueteribus fuerit cognita, nondum constat, Euritius, Cordus Medicus doctissimus, Herbarumq; pertissimus, putat speciem esse Marrubij uel Melissophylli, quia non aliter quàm melissophyllon apibus gratissima sit, scribitq; se propterea ipsam ad alucaria plantasse, neque credi posse, quanto examine, quàm sonoro murmure circum hanc florentem densæ apes susurrarent. Cardiaca autem inde appellatur quòd cordis tremoribus & doloribus uehementer opitulatur.

DESCRIPTIO.

Cardiaca herba est incisuris diuisa, altis caulibus, floribus rubentibus, graui odore, radice inferius subflaua, nascitur fere circa Sepes, aliquando etiam in hortis.

TEMPERAMENTVM.

Cardiaca calefacit ac desiccat in secundo gradu. Habetq; uirtutem corpus intrinsecus purgandi ac emolliendi. Herbæ tantum in medicina usus est.

VIRES AC IVVAMENTA.

Hæc herba elixa cum Beta, ac comesta, lenit stomachum, & concoctionem roborat.

Succus

C Succus ex herba contusa expressus ac sumptus, pellit dolorem cordis, bonumq; sanguinem cordi generat.

Succus confectus cum saccharo, facit ad tremorem cordis, si à ieiuno sumatur.

Herba cum radice contusa, & pectori imposita tollit cardiacen.

Eodem modo sumpta expurgat pectus, Qui spasmo obnoxius est, utatur hac herba cum aqua mulsa.

Contusa & membro alicui imposita, quod spasmus occupauit, ipsum tollit absq; dubio: facit quoq; ad membra paralytica, si inde lauentur, & succus illinatur.

DE CARDVO BENEDICTO.

D

NOMENCLATVRA.

Carduus benedictus.

Cardo Benedict.
Bonnwurtz.
Edel Distel.
Kleyn Creutzwurtz.

ANNOTATIO IN CARDVVM BENEDICTVM.

CARDVVS Benedictus herba est uulgaris, & notissima, magniq; usus in medicina, summamq; efficaciam habens contra uenena, pestem, & cordis affectus. Nomen atq; ipsa figura herbæ indicant speciem esse Cardui: uerum quia uaria sunt genera Carduorum, magni nominis medici, hic grauiter lapsi sunt, quorũ quidam hanc herbam per Scholymon, id est Carduum apud Dioscoridem significari uoluerunt, quidam Sonchionem & Erygeron esse statuerunt, alij uero Crassulam mediam, nonnulli Chamæleontis speciem fecerunt, à quibus herbis multis partibus discrepat. Ruellius censuit Carduum benedictum esse speciem Attractylidis, cuius duæ sunt species, ut Theophrastus scribit. Vna mitior & cneco satiuo similior, caule rectiore, at rigido, exili: itaq; pro colu antiquę mulieres utebantur, semine candido, grandi, amaro.

A amaro. Hanc officinæ ſyluestrem Cartamum dicunt. Altera Hirſutior, toroſiore caule, foliorumq; mollitia, humi penè ſerpens, radice fulua, tenui, ſuperuacua, tubere acanaceo, in quo lutea ſtamina prominent, molli intus lanugine ſemen operiente. Hanc bene dictum Carduum officinæ appellant. Ruellius uidetur exactius & melius de hac herba iudicaſſe, & ueritatem magis attigiſſe, quare eius iudicio potius ſubſcribendum eſſe cenſeo.

DESCRIPTIO.

Carduus benedictus caulem habet craſſum & ſpinoſum ad modum endiuię, cum aſperis & criſpis foliis, luteiſq; floribus, pingues amat hortos.

VIRES AC IVVAMENTA.

Naturam & facultatem habet aperiendi obſtructionem membrorum, penetrandi, & ciendi urinam.

Hæc herba eſu medetur omnibus doloribus capitis, & pulmonis, bonumq; reddit auditum.

Acuit ingenium & memoriam, uertiginemq; diſcutit. Cerebrum atq; uiſum confortat, non modò ſi edatur, uerum etiam ſi oculi inde inungantur. Quum uero ſuccus haberi non poteſt, tum puluis, uel herba ipſa ſiccata in aqua macerantur, quia oculi la-
B uantur.

Succus oculis inſtillatus, ſanguinem inde tollit.

Sunguinem quoq; narium uel oris reſtringit, ſi adhibeatur loco unde fluit.

Idem puluis purgat uuulam, fauces, & guttur, facitq; ut quis facilius expuat pituitam & craſſos humores.

Medetur ſtomacho debilitato, excitatq; ciborum appetentiam, atq; cor emollit. Malum ſanguinem conſumit, bonumq; generat.

Vinum cum hac herba elixum, & bibitum, prouocat ſudorem.

Cum aqua uerò ſi herba decocta fuerit & pota, malos humores conſumit, bonoſq; ſeruat.

Eadem comeſa, roborat paralytica membra, pulmonemq; exulceratum ſanat.

Calculum frangit, decocta uel cruda cum uino pota.

Cum lotio ſani alicuius infantis maſculi decocta ac pota, ſanat hydropicos, ac peſtem, omniaq; apoſtemata rumpit, cancrum ac morbum comitialem pellit.

Puluis ex hac herba ante duodecim horas pondere unius drachmæ potus, ſanat & pellit peſtem.

Lanugo ex floribus proueniens, uulneribus impoſita, curat ſine ullo dolore.

Herba

C Herba in ore masticata, curat fœtorem anhelitus.

Carbunculos sanat contusa & imposita.

Locorum muliebrium uitia sanat.

Omnem ustionem curat ac pustulas inde ortas, herba siccata ac cum succo suo permista & imposita.

Eadem cum uino albo pota, colicam sanat, scabiemq; pellit.

Puluis cum farina permistus, indeq; ex aceto calido emplastrum factum, pustulas pestis sanat, si imponatur.

Herba mulierum menstrua mouet.

Cum succo uel aqua decocta, uenenatorum animalium morsibus medetur.

Cum uino decocta ac calida in potu sumpta, circa quartam partem horæ ante febris accessionem, deinde ægrotus uestibus benè operiatur, omnes febres tum frigidas tum calidas sanat. Vel accipe puluerem cum calido uino, uel aquam inde distillatam, uel tres bolos ex uiridi herba omni mane: & homo breui reualescet.

Aduersus omne uenenum per os sumptum prodest, quandocunque hoc accidit, puluerem ac herbam, aut succum aut aquam in potu sume: ac uestibus te operi, ut benè sudes ad spacium triũ horarũ.

Puluis comestus aut bibitus, facit aduersus morbum lateralem.

Vinũ ex Carduo benedicto in autumno confectum: & suo tem-
D pore bibitum, contra omnes morbos iam enumeratos optimè conducit.

AQVA CARDVI BENEDICTI.

Tempus distillationis eius est, ut herba sola circa finem Maij distilletur.

Aqua Cardui benedicti, mane & uesperi ij. uel iij. uncijs pota, discutit dolorem capitis, confortat memoriam, pellit uertiginem capitis, conducitq; maximè ad omnes affectus oculorum, etiamq; si ex ea lauentur.

Eodem modo prodest ad tabem in corpore.

Aqua hæc pota calculum frangit, curat omnem adustionem, linteolis in ea maceratis, & imposita.

Confert quoq; pota contra febrem quartanam, & uenena, sanat cancrum & carbunculum, & omnia inueterata ulcera. In summa, non satis potest laudibus efferri, propter eximias & uarias suas uirtutes.

DE CARDVO FVLLONVM.

NOMEN.

A

NOMENCLATVRAE.

Δίψακος.

Carduus fullonum.
Virga paſtoris.
Labrum Veneris.
Lauacrum Veneris.

Karten Diſtel.
Weber Karten.
Buben ſtrel.
Fraw Venus bad.

B

ANNOTATIO IN CARDVVM FVLLONVM.

CARDVVS fullonum apud Dioſcoridem,& antiquos Græcos Dipſacos eſt. Romani Labrum Veneris aut Lauacrum Veneris appellant. Herbarij uerò Virgam paſtoris nuncupant, Quanq; autem Carduus fullonum & Virga paſtoris eadem omnino herba eſt, tamen ita differunt, quòd Carduus fullonum ſeritur, Virga paſtoris ſyluestris eſt, & ſponte prouenit. Hæc planta Carduus fullonius ideo dicitur, quòd ea rudes pannos uelut echino quodam expoliunt, detractis floccis fimbrijſq;, quas uocant crocidas, concinnant. Vulgò quoq; pectorius cardo dicitur, quòd lanificia uncinatis uerticibus aculeorum pectantur, Græci à ſiti δίψακον eam dixerunt: quoniam humorem contra eam paratum ſemper habet, uel quæ ex natura magis cauſa uidetur, quòd ſecus fontes, aquarum ſcatebras, aquoſos limites, & foſſas naſcitur, & alijs locis rarò inuenitur. Virga paſtoris fortaſſe inde dicta eſt, quòd paſtores fortè unã ex illis longis uirgis quibus Cardui ad poliendos pannos inſident, ſumentes, & aculeis nudantes, ea parte qua poſſit manu capi, reli-

C qua aculeata parte gregem ducant. Cur autem Labrum uel Lauacrum Veneris ſpina hæc quondam dicta ſit, cauſa adhuc latet, ut Vergilius Marcellus indicat.

DESCRIPTIO.

Carduus fullonum, ſeu, ut Græci dicunt, σίφαξ, planta eſt, in genere aculeatarum exiſtens, ut Dioſcor. inquit, caulem habet excelſum, ſpinoſum, folia lactucæ prælonga, aculeis armata, in dorſi medio tubercula ceu bullas intus & extra ſpinoſas, genicula eius binis foliis amplectentibus, concauo alarum ſinu, in quo ros, aut pluuius humor ſubſiſtit. In cacumine ſingulis ſurculis capitula ſunt echinata ſpinis longiuſcula, quæ cum aruerunt, candido colore fiunt. Habent & capitula illa per longitudinem diuiſa, uermiculos in medulla quoſdam.

Duo à quibuſdam huius herbę genera ponuntur, quorum Mas alterum appellatur, alterum uero fœmina, Mas ipſe Carduus fullonum eſt, Fœmina autem Sanguinaria uel Cauda uulpis, uel Centũ nodia dicitur, & habet caulem cubitali altitudine & rotundum cũ geniculis.

TEMPERAMENTVM.

Carduus fullonum ſeu Virga paſtoris refrigerat in tertio ordine. Radix, ut Ægineta inquit, in ſecundo ordine deſiccat, nonnullam quoq; abſtergendi uim ſimul obtinet.

D

VIRES AC IVVAMENTA.

Herba in puluerem redacta, & in iure piſorum ſumpta, ſiſtit uiolentam fluctionem, & præcipuè mulierum.

Eadem decocta & capiti impoſita, tollit phrenẽſin.

Succus auribus inſtillatus, uermes in eis necat, tollitq; fluxũ earũ.

Folia in aceto & oui albumine elixa, & uentri impoſita, ſiſtunt dyſenteriam. Stomachi quoq; tumorem emplaſtri modo impoſita tollunt, Sic etiam menſtrua mulierum reſtringunt.

Radix rimis fiſtuliſq; ſedis medetur, ut Dioſcorides inquit, in uino decocta, tum tuſa, & ulcꝰ dum ſit ceræ craſſitudo ſubacta, & deinde impoſita: oportetq; in ęnea pyxide ſeruari medicamentũ hoc. ferunt præterea uerrucis & quas formicas uocant, mederi, feruntur itidem uermiculi in capitulo labri Veneris inuenti, in aluta clauſi, tum collo brachioue hominis adalligati, quartanas finire febres. Marcellus ſcribit ſe multum obſeruaſſe illos uermiculos in echinis naſcentes, ſed inuenire non potuiſſe. Verum Antonius Muſa inquit, quòd nullus errare poſſit, quin Autumno inueniat, quum exicari incipit, ſi per medium echinis aperiatur, uermiculus albus eſt, qui per cauitatem echini dimouetur, & in caudicem tranſit, hyeme etiam uidere licebit, antequam præ frigore moriatur.

Aqua

A Aqua quæ in foliis huius herbæ inuenitur, præcipuè confert ad claritatem oculorum, emundat quoq; faciem, si ea lauetur: puellæ & pulchræ mulierculæ plurimum ea utuntur.

Eadem flauas maculas ex ægritudine obortas pellit, siquis à balneo sæpius se ea lauerit.

Aqua ex hac herbā distillata confert ad exulcerationem oris.

DE CASSIA FISTVLA.



NOMENCLATVRA.

Cassia fistula.

ANNOTATIO IN CASSIAM FISTVLAM.

CASSIA fistula noua & peculiaris medicina est, qua recentiores medici utuntur ad aluum leniendam, hanc Arabibus acceptam referimus, antiquis penitus incognita fuit, uel si cognita fuit, certe eam in medicinæ usu non probauerunt. Cæterum scire oportet, si quando Cassiam syringa, hoc est fistulam, in antiquis autori-
B bus legere contigerit, non pro ea capiendam esse quæ nunc Cassia fistula dicatur, sed pro lignea siue aromatica, cuius una quoq; species ab ipso Dioscoride πλατεῖα συριγξ, id est lata fistula nuncupari cernitur. Actuarius nostram Cassiam fistulam, nigram Cassiam appellat: ab aliquibus Calamos, id est arundo, seu potius Indica canna nominatur.

DESCRIPTIO.

Cassia fistula, magnas cannas habet, quæ intus humores & grana ad modum Pæoniæ habent, laminis intus ac parietibus, quibus grana sunt separata. Cannæ ponderosæ sunt meliores, & colore nigricantes, Leues autem & quæ sonitum reddunt quando concutiuntur, nondum bonę sunt, quia humor in eis exaruit.

Hermolaus Barbarus hoc modo describit: Cassia fistula arbor est, quę partim in India, partim in Ægypto nascitur, folio iuglandis. Siliquas habet prælongas ac teretes, utrinq; fastigiatas, duos ferè pedes proceras, carne intus nigra, gustu prædulci, sed planè medicato, ligneis distinguentibus membranis, & ossibus siliquarum intercursantibus. Deligere oportet ponderosam, collucentem, perplenam, quam si concusseris, inclusa intus grana non obstrepant.

C TEMPERAMENTVM.

Hanc, ut idem Hermolaus inquit, recentiores Græci, calidam & humidam abscessu primo perhibent. Duos annos in sua bonitate durare potest, Humor cannarum & grana in usu medicinę habent.

VIRES AC IVVAMENTA.

Dari audacter & intrepidè potest his, ut Actuarius inquit, qui ob teneram ætatem, aut aliam quamuis causam deficientia aluum medicamenta respuunt, præbetur pueris, & fœminis uentrem ferentibus, comoditate quadam & necessitate urgente, quibus potentius aliud medicamentum sumi denegatum est, item quibus reliquorum medicaminum usus incandescens febris aspernatur.

Cum aqua rosacea duabus uncijs sumpta, leniter subdicit aluũ, in omnibus morbis benè operatur, Sanguinem purgat, sitim, stomachũ quoq; erpurgat, expellit Choleram adustam, maloſq; Phlegmaticos humores.

Anginis medetur, pectorisq; uitijs subuenit, calculumq; lumborum & uesicę repellit, Hoc totum intelligendum est, de Cassia fistula extracta, quemadmodum in officinis habetur.

Conducit contra acutas febres, leniter enim subducit aluum.

DE CASSIA LIGNEA.

D

Cassia lignea.

Rinden oder Holtz von Cassia.

CASSIA lignea odorem rosarum repręsentat, duo eius sunt genera. Alterum colore Cinnamano est simile, Alterum uerò rubicundius est, quę duo bonitate probantur. Inueniuntur & plura genera: quoddam enim nigrum est, quoddam ruffum, aliud uerò albicans, quę omnia reprobantur. Decem annos Cassia lignea suam bonitatem retinet. Dioscorides ueram Cassiam ligneam scribit amabili coloris bonitate esse rubicundam, corallio lapidi similem, item angustissimam, longam crassamq;, & fistulis plenis, quę in gustu erodat, & cum feruore aliquo adstringat, quę aromatum modo odorata sit, simulq; uini odorem referat.

Hęc descriptio satis declarat, Cassiam illam qua officinę nunc passim utuntur, ligneamq; uocant, cum uera Cassia penitus nihil commune habere: est enim tetra, nullumq; habens odorem, & prorsus aspernabilis, imò nihil habens quare Cassia putari debeat, ut

Dioſco-

A Dioſcoridem & Plinium legenti, remq; ipſam in manu habenti, facile conſtabit, De hac re legito libellum Leonardi Fuchſij de errori bus medicorum, pręterea Leonicenum & Manardum. Deniq; error quorundam recentium medicorum hic ſilentio non eſt prętereundus, qui in ſuis receptulis ad prouocanda menſtrua, in quibus ſcriptum eſt Caſſia, ipſi corticem Caſſię noſtrę uulgaris & arabicę ſumunt, quum Caſſiam ligneam Gręcorū potius ad eundem uſum recipere debuiſſent, ex Dioſcoridis aliorumq; Gręcorum medicorum autoritate.

TEMPERAMENTVM.

Caſſia lignea calida & ſicca eſt in ſecundo ordine. Ægineta inquit, quòd calefacit & ſiccat in tertio ferè abſceſſu, tenuis abunde, acris, & modice aſtringens, incidit igitur & diſcutit, roburq; inſtrumentis adijcit, poſtremò & menſes euocat.

VIRES AC IVVAMENTA.

Caſſia lignea facit ad catharrum ex frigida intemperie ortum, puluerem ex ea carbonibus ignitis injice, ac fumum inde naribus attrahe.

Auxiliatur contra morbum comitialem, ſi ex hoc puluere pillulę formentur, & permiſceantur cum Laudano atq; ſucco Abſinthij
B ita ut acquirant pondus unius drachmæ.

Ad imbecillitatem ſtomachi ex frigiditate contractam, Accipe pulueris Caſſiæ ligneæ, maſticis, ſeminis fœniculi, æquales partes, & cum ſucco Abſinthij ieiunus bibe, hoc opem præſtabit.

Oculorum medicinę, ut inquit Dioſcor. ad claritatem uiſus, accomodata eſt, Lentigines tollit ex melle inuncta, Menſes commouet: renum doloribus, contractionibuſq; uuluæ ſuffitu inſeſſuque ſubuenit. Ciet urinam, uiperarum ictibus pota reſiſtit. In ſumma uis eadem ferè, quæ cynamomo cum quo ſubinde naſcitur quod; ſi defuerit, uicaria pro eo ſuccedit, duplicato pondere.

DE CASEO.

NOMENCLATVRAE.

Τύρος.

Caſeus.

Keſe.

ANNOTATIO IN CASEVM.

C CASEVM Romani, Græci autem Tyron dicunt, dicitur uerò Caseus, ut Varro inquit, à lacte coacto, nam fit lacte coagulato, hœdino in primis uitulorumue coagulo. Caseus infumatus laudabatur à ueteribus, nec hodie contemnitur, Omnis porrò Caseus senectute fit salsus, sed in musteum redit saporem aceto è thymo maceratus. Salitus Caseus in locum fumo aliquantulum obnoxium reponatur, ubi salem conceperit, & ætatis aliquid adeptus erit, esui non incongrue dabitur. Caseus Oxygalactieus commendatur à Galeno, diciturq; quasi acetosum lac.

NOCVMENTA CASEI VETERIS.

Caseus concoctu difficilis est, inducitq; ingens malum, quibus hepar & Splen induratus est, cuius nimius & frequens usus calculum generat, hoc tamen de omni Caseo non est intelligendum, est enim discrimen habendum inter Caseos, sed tantũ de ueteri Caseo, nam uetus, ut inquit Platina, difficilè concoquitur, parum nutrit, stomacho ac uentri aduersatur, bilem facit, podagram, dolorem laterum, harenulas & calculos generat.

VIRES AC IVVAMENTA CASEI RECENTIS.

Nutrit in cibo Caseus sine sale recens, ut Dioscor. ait, stomacho utilis est, facillimeq; digeritur, corpus auget, aluum leniter mollit, Ipse à se ipso ex lactis quo confectus est, natura differt, Minus ma-
D lus est Caseus lacti uicinus.

Paulus Ægineta in sanitatis usu probauit tantum recentem Caseum, fungosum, mollem, dulcem & mediocriter salsum.

Caseo dignitas à locis & pecoribus accessit, à lacte animalis unde conficitur, propè uim suam ac naturam retinet.

Qualitas Casei ex ętate deprehenditur. Recens algidus est & humectus: salitus & durus, calidus & siccus, Caseus recẽs & mollis, ut Ægineta inquit, repellendi uim obtinet, leuiter refrigerans, quare & uulnera impositus conglutinat, at qui Oxygalactinus dicitur, præter hanc facultatem etiam discussoriam modicam possidet, magisq; uulnera conglutinat, uetustusisq; pinguis discutiendi uirtutem præ se fert, qua articulariorum quoq; tophis accomodatus est, præsertim cum suillæ carnis & salsæ & pinguis decocto.

Elixus Caseus & ab elixatione statim sepositus, mox massatus, aluum compescit. Prodest oculorum inflammationibus, sugillatisq; illitus Caseus.

Recens Caseus super morsum rabidi canis impositus, uenenum extrahit, facit idem contra Anthracem & alia apostemata uenenosa, impositus uel manducatus.

Sigillare stomachum Casei præduri & ueteris modicum putatur, &

A tur, & prohibere quo minus exhalationes cibi antè ſumpti, ex ſtomacho caput & cerebrum petant: unde & uſus inualuit, ut Caſeus poſtremò poſt omnia ălia fercula apponatur, & edatur.

Caſeus nimium ſalitus facit ut homini uarij accidant morbi: primò calculum generat, & ſtillicidium urinæ, deinde faſtidium ſtomacho inducit, deſtillationes capitis parit, quare ab eſu talium Caſeorum abſtinendum eſt. Serum Caſei ægrotis ualde conuenit, nam laxat & emollit aluum, atq; confortat.

Hoc ſerum ex optimis Caſeis ouillis, qui haberi poſſunt, conficietur. Eſt quoq; Caſei ſerum, nutriendis canibus accomodatum.

DE CASTANEA.

NOMENCLATVRA.

Διὸς βάλανος.

Caſtanea.

B

ANNOTATIO IN CASTANEAM.

CASTANEA Græcis Διὸς βάλανος, hoceſt Iouis glans uocatur, cum tamen iuglandis appellatio nucibus tuntum regijs dicata ſit à noſtris, ut Hermolaus Barbarus teſtatur. Nuces uocamus & Caſtaneas, quanq; propiores glandium generi Vergilius inter nuces numerat in carmine, quum inquit, Caſtaneæq; nuces mea quas Amaryllis amabat. Photion Caſtaneas primò dictas ſcribit, quòd ab oppido Magneſię quod Caſtanon dicatur, aduectæ ſint. Caſtanea tam fructum, quàm ipſam arborem ſignificat.

DESCRIPTIO.

Caſtanea arbor eſt uulgò nota, iuglandi haud quaq; abſimilis, folio tantum uenoſiore & ſimbriato, nuce intus ſolida & plurimū plana, triplici tegminis ambitu ſepta, membrana primum amara, mox lento cortice, demum echinato calice.

Hæc arbor miram habet naturam, uiribus enim ſuis deſtituitur, neq; fructum producit ubicunq; ſola naſcitur, delectatur montibus perrarò in locis planis proueniens, Fructus eius includitur echinato calici, ut fagi fructus.

C Castanea ineunte Vere germinat, seriusque Vergiliarum obitu fructificat.

TEMPERAMENTVM.

Castanea est frigida & sicca in primo gradu.

Exterior cortex ex fructu in puluerem redactus, & eodem pondere cum Reupontica permistus, fastidium & eructationem stomachi pellit.

VIRES AC IVVAMENTA.

Castaneæ siccatæ & in puluerem contritæ, ac cum puluere ex oculis cancrorum & aqua Apij sumptæ, cienturinam.

Pulmonarijs nocumentum inferunt Castaneæ, & pariunt dolores capitis, eo quòd tardius concoquuntur. Si comedantur tostæ uel elixæ, thoracem obstruunt, asthma generant, & inducunt letales morbos, si quis plurimum ijs utatur. Castaneæ crudæ manducatæ facilioris sunt concoctionis quàm glandes, quamuis eiusdem ferè sint naturæ. Quicunq; crudis Castaneis plurimum uescuntur, multum pediculorum in corpore & uestibus acquirunt, quos si iterum expellere uolueris, comede contusos flores lauendulæ, & uestibus eos insere.

Castaneę uehementer sistunt uentris & stomachi fluxiones, sanguinem excreantibus prosunt, carnes alunt, Sed capitis dolores creD ant, inflationes pariunt, concoctu difficiles, tostæ tamen crudis innocentiores sunt. Arefactæ multum noxæ remittunt: tritæ cum melle & sale, rabiosorum canum morsibus imponuntur. Mammarum duritias discutiunt, cum hordeaceo polline & aceto impositę, ijsq; uino maceratis, & cum farina subactis pessi uice utuntur, ad supprimendos menses. Item earum cortices foliaq; usta, & in puluerem trita atq; cum uino temperata, & emplastri modo capiti imposita, capillos augent, eorumq; defluuia prohibent.

Castaneæ ut Platina scribit, ex omnibus quæ esui dantur, robur & uim in membris generant, sed difficillime concoquuntur, maximè uerò à Phlegmaticis, nisi cū saccharo & melle fuerint in cibum sumptæ. Elixę uerò & adhuc calidæ, mane ante cibum cum melle datę tussientibus prosunt. Torrentur item ad flammam in patella perforata, nec eius suauitatis sunt, nec nutrimenti, cuius habentur sub carbonibus lento igne decoctæ. Has suauius edemus cum caseo in tertia mensa. Meliores item, ut idem inquit, habentur, inter prunas & cineres coctæ, quàm quæ elixæ: nimia enim eius turgiditas & stiptica uis decoquitur.

Interior Castaneæ membrana quæ corticem fructumq; disterminat ad tertias in aqua decocta ac potui oblata, mirè aluum fluentem sistit.

Membrana

A Membrana illa proxima corpori & in ijs & in nucibus, saporem, ni detrahatur, infestat.

Molitura, ut ait Plinius, Castaneæ prestant, ieiunio fœminarum quandam imaginem panis, & ubicunq; aliæ fruges deficiunt, ut in Bergomatis agri montanis.

Castaneæ priusquam cineribus credantur, ferrò uulnerari debent, ut plagæ hiatu spiritus igne citatus euadat, alioqui flagrantes flamma magno cum crepitu prosiliunt, assidentium periculo, flatus itaq; ijs angustijs elisus, à noxa uindicabit, impetu in sibilum abeunte.

Castaneæ seruantur uel in cratibus dispositę, uel intra sabulum, ne inuicem tangantur, immersæ, uel in uasculis fictilibus nouis conditæ & loco sicciore defossæ, uel hordei paleis immundissimis obrutę. Sunt qui filo transfixas cumulatim, & igni detostas adseruent.

DE CATAPVTIA.

B

NOMENCLATVRAE.

λαθυρὶς.

Cataputia.
Tithymalus.
Granum regis.
Sponsa solis.

Spinck körner.
Scheiß körner.
Wundelbaum.

ANNOTATIO IN CATAPVTIAM.

CATAPVTIA herba est quæ à Dioscoride & Plinio Lathyris appellatur, alij Tithymalum appellant, eamq; Tithymalorum numero adscribunt, sunt enim uariæ species Tithymalorum, quas Dioscor. lib. 4. Plinius lib. 17. describunt. Cataputiam inde dictam uolunt, quòd eius granis soluendæ aluo pro Catapotijs, id est pillulis utantur. Vulgus & mendici plerunq; aluum purgare Cataputię granis solent. DESCRI-

DESCRIPTIO.

C Cataputiæ duæ ſunt ſpecies, eſt enim Maior & Minor, Maior habet folia ad modum oleæ, ſed maiora tantum, Caulem uero habet concauum, in cuius ſummo pendent uuæ, ex quibus exprimitur oleum quod officinæ uocant cicinum, Minor caulem emittit cubiti altitudine, foliis gracilibus, digiti longitudine, in cacumine triangularibus. Semen foris nigrum eſt, intus uero album, quod quum maturuerit, è ſuis folliculis exilit.

TEMPERAMENTVM.

Cataputia calefacit tertio ordine, humectat autem in primo. Virtutem habet purgandi Phlegma, Choleram & Melancholiam.

Si quis uomitum prouocare uoluerit, accipiat oleum ex huius fructu paratum, hoc enim multum malorum humorum ex ſtomacho pellit.

VIRES AC IVVAMENTA.

Contra quamuis febrem quotidianam, Accipe bonam partem huius fructus, & cũ Beta inuolue, & ſimul in olla benè decoquito, poſtea oleũ inde exprimito, quod tam ſanis quã ægrotis conuenit.

Oleum Cataputiæ aduerſus paralyſim conducit. Semina eius, ut Dioſcor. inquit, numero ſeptem aut octo deuorata, purgant aluum, aut in cibo ſumpta, pota ue cum caricis aut palmulis, frigida
D ſuper pota aqua ducunt quocunq; modo ſumpta, pituitam, bilem & aquas. Coquuntur præterea cum gallinaceo oleribusue in eundem uſum folia eius.

Cataputiæ grana uicena in aqua purâ, aut mulſa pota, hydropicos ſanant, Qui uehementius purgari uolunt, cum folliculis ipſis ſumunt ea, nam ſtomachum lædunt, itaq; inuentum eſt, ut cum piſce aut iure gallinacei ſumerentur.

AQVA CATAPVTIAE.

Tempus diſtillationi conueniens eſt, ut caules & folia dum perfecte excreuerunt, diſtillentur.

Aqua Cataputiæ habet uim purgandi & ſoluendi, purgat bilem & ſuperfluos humores Phlegmaticos iij. uncijs una uice ſumpta.

Prouocat uomitum, iij. uncijs pota, expellit lumbricos, prodeſt ad ſcabiem humidam & ulcera capitis, ſi ex ea lauentur.

Puſtulas immundas tollit, curat exanthemata, ſerpiginem & ſcabiem ſiccam, ſi ſæpius inde lauentur.

Aqua Cataputiæ & omniũ Tithymalorũ, intra corpus ſumpta, nocumentum infert pulmoni, ſtomacho, & iocinori, unde uarij morbi prouenire poſſunt. De hac aqua infrà uide plura in capitulo de Tithymalo.

DE CENTAVRIO.

NOMEN-

A

NOMENCLATVRAE.

Κενταυριον.

Centaurium.
Centaurea.
Chironia.
Fel terræ.

Tausent gulden Kraut.
Feber kraut.

ANNOTATIO IN CENTAVRIVM.

CENTAVRIVM, ut Plinius indicat nomen, sortitũ est à Chirone Centauro, quia ea herba Chiron curatus sit, cum Herculis excepti hospicio pertractanti arma, sagitta excidisset in pedem, unde & Chironiõ
B appellatur. Sed mirabilius nomen à Germanis ei tribuitur, hi enim arbitrantes Centaurium non à Chirone Centauro, sed à centum aureis dictum, uocant ipsum, nomine à mille aureis dicto, **Tausent Gulden kraut.** Magnum dubium magnaq; controuersia est de hac herba, quidam uolunt eam penitus hodie esse ignotam, & præcipue maiorem: quidam putant matricariam esse: aliũ uerò Reupon ticum, De hac re legito Leonicenum & Leonardum Fuchsium de erroribus medicorum.

DESCRIPTIO MAIORIS CENTAVRII.

Centaurij duo genera sunt, Maius scilicet & Minus. Maius iuglandis nucis folia habet, oblonga, colore ut in brassica uiridi, serrę modo per ambitum incisuris secta. Caulem profert duorum triumue aliquando cubitorum altitudine, multis à radice adnatis, in quibus papauerum modo capita sunt, in rotundo oblonga. Radix illi est uasta, ponderosa, dura, longitudine ad bina cubita, succo plena, sapore acri cum adstrictione dulcedineq; aliqua rubescens, succum quoq; sanguineum mittit. Hæc est quæ nunc à uulgo & officinis Rhaponticum falsò nominatur, ut Ruellius testatur. Idem sentit Campegius inquiens: omnia quę à Dioscoride in Centaurea describuntur, ita herbę & radici uulgò uocatę Rhaponticum, quadrant, ut hanc esse ueram Centauream nemo nisi ab ortu naturæ cœcus

non

C non agnoſcat, Herbarij noſtri nulla ueterum autoritate nixi, aliud Centaurij maioris cognomine demonſtrant, flore luteo, foliis per interualla binis, auerſa parte candicantibus, interna uirentibus, ſalice maioribus & connexis.

DESCRIPTIO CENTAVRII MINORIS.

Centaurium minus herba eſt origano ſimilis, & aquoſa amat loca, Caulem habet altitudine ſupra dodrantē, florem purpureum. Radicem paruam, nullius uſus, guſtu amaram. Latini ob ſummam amaritudinem minus Centaurium fel terræ appellarunt.

TEMPERAMENTVM.

Vtrumq; Centaurium calefacit ac deſiccat in ſecundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Centaurea menſes mulierum promouet ſubdita. Sanguinem reijcientibus auxilio eſt.

Contra omnes febres, Accipe ſemiunciam Centaureæ in puluerem redactę, & in uino cum ſaccharo temperato: tribus diebus mane ieiunus bibe, hoc auxilium præſtat. Accipe manipulum unum Centaureæ & eam in aqua elixam bibe, tum aſthmati medetur. Eodem modo ſumpta, antiquam tuſſim remouet.

Succus ex radice aſſumptus, purgat ſtomachum, aluumq; ſubducit.

D Centaurea colligenda eſt, quando incipit florere, & poſtea ſuſpendenda in loco obſcuro neq; ſoli expoſito, acita ſiccanda, poſt annum etiam conducit ea uti, & in primis maiori.

In uino elixa & cum ſaccharo permiſta, ualde prodeſt ad oppilationem iocinoris, lumborum, ſplenis atq; ueſicæ. Cum uino decocta & oleo oliuarum permiſta, & uentri ſub umbilico impoſita, magnum dolorem lumborum tollit, aperitq; lienem obſtructum. Vnguentum confectum ex ſucco cum oleo & cera, benè prodeſt lieni, ſi inde illinatur à foris.

Ad iecur & lienem induratum conficies Syrupum hoc modo. Accipe ſuccum Centaureæ, radicem Apij, radicem fœniculi, pari pondere, & in ſucco bullire ſinas, deinde percola, & humorem benè exprime, & ſaccharum admiſce, quantum lubet, iuxta quantitatem Syrupi. Hæc potio etiam felle ſuffuſis opitulatur, mane & ueſperi ſumpta.

Succus ex radice Centaureæ expreſſus, & ad ſemiunciam cum oleo oliuarum ſumptus, multos malos humores ex homine pellit.

Centaurea permiſta cum ſanguine upupæ, & modico mellis, & noctu intra laternā in qua candela ardet, poſita, facit ut aſtantibus uideatur quaſi multæ in ea currant ſtellæ. Eadem in aqua decocta & pota curat antiqua ulcera. Choleram & craſſos humores per in-

ferna

A ferna trahit ac exigit. Infuſo eiuſdem decocto coxendicum dolores leuantur, trahit enim ſanguinem.

Succus oculorum medicamentis perquàm utilis.

Cum melle caliginem oculorum, & ea quæ obſtant claritati, diſcutit.

Succus bibitus uel ſubditus fœminis, menſes trahit & fœtus.

Idem ad omnia uulnera tum recentia, tum antiqua efficax eſt. Fiſtulis quæ omni parte ſerpunt, auxilio eſt unguentum ex ſucco, & melle confectum, neruos confortat, & eos uulneratos curat.

Ei qui uenenum ſumpſerit, Centaureum minorem ex aceto tritam dato: bibat, mox diſcutit uenenum.

Succus Centaureę quomodo excipiendus & conficiendus ſit, Galenus priuatim in quodam libello docet, eſt enim aurea & præſtans medicina ad innumerabiles morbos, quos Galenus ibidem enumerat.

AQVA CENTAVREAE.

Tempus cremandi & diſtillandi Centaureã eſt circa exitũ Iunij, tũ caules, folia, & flores minutim inuicẽ concidi & diſtillari debẽt.

Aqua Centaureæ mane & ueſperi ſingulis uicibus iij. uel iiij. unciis pota, illis ſalutaris eſt, qui crudum & frigidum ſtomachum habent, nam omne quod malum & noxium in eo eſt, conſumit.

B A puero duabus unciis, ab hoĩe uerò adulto quatuor unciis mane à ieiunis pota, lumbricos uentris expellit. Eadẽ pota febrẽ pellit.

A muliere bibita, fœtum mortuum ex utero eiicit. Saluberrima quoq; eſt ad nauſeam & ſingultum ſtomachi, appetentiam ciborum excitat, purgat & expellit craſſos humores, unde chiragra, podagra, icteros, coxendicum dolores, & id genus alia, oriri ſolent.

Eadem pota facit ad iecur & lienem, atq; ad eorum duritiam. Prodeſt ad colicam paſſionem & tormina inteſtinorum. Curat recentia uulnera, ſi ex ea lauentur, uel linteolis imponatur, cicatrices & maculas ueterum uulnerum remouet. Ad crus fractum conducit, ſi linteolis calida imponatur uel ſuperligetur. Sanguinem excreantibus medetur.

DE CAEPA.

NOMENCLATVRAE.

Κρομμυ.
Cæpa.
Cæpe.
Zwibelen.
Zybelen.

ANNOTATIO IN CAEPAM.

C CAEPA Cæpę, siue Cępe indeclinabile in neutro genere, à capitis magnitudine dictum uolunt, lachrymosum olus est, & oculos mordet, unde à Græcis nomen impositum κρεμμυ, quòd oculi pupillã comprimi cogat, ut Aristoteles in problematis tradit, nam oculos uellicando expressis subinde lachrymis contrahi pupillas oculorum certum est. Cæparum plura sunt genera, quę Plinius libro 19. omnia recenset. Nobilissima Ascalonia, ab oppido Iudęę, Nam ut refert Strabo lib. 16. Ascalonensium regio præcipuè fert Cæpas, Ruffa Cępa acrior est quàm candida, sicca quàm uiridis, & cruda quàm cocta. Cępę frigida, humida, ac sabulosa amant loca. Seruantur benè ad fumum suspensæ, optimè paleis. Incorruptæ etiam durabunt, si in calidam aquam demersæ, mox insolatę donec penitus siccescant, paleis hordeaceis recondantur, ita compositæ ut nulla ex parte sese contingant. Seruntur in Martio ac Aprili. Id mirandum in Cæpis est, quòd adolescente Luna marcescunt & minuuntur, contrà autẽ decedente luna reuiresçunt & augentur, ut Plutarchus testatur.

DESCRIPTIO.

Cæpe duplices sunt, Ruffæ scilicet & candidę, Quando florent, caulem concauum in medio acquirunt, in cacumine uerò albos flores cum capitello uel nodo, in quo semen continetur nigricans, si caulis desecatur, ab inferiori parte regerminat. Cum herba in terram deprimitur, Cæpa fit maior.

D

TEMPERAMENTVM.

Cæpa ex quarto ordine calefacientium habetur, substantię crassioris, ut Galenus testatur.

VIRES AC IVVAMENTA.

Cæpę crudæ comestæ asperum reddunt guttur, & stomachum inflant. Cum melle permistæ, tollunt dolorem mali stomachi. Membris nocent si edantur, nimium enim exiccant humiditatem corporis. Hemorrhoidas aperiunt cũ aceto temperatæ & impositę.

Fricantur cum succo eius capillorum defluuia, quas alopetias uocant, & in loco glabro citò capillum prouocat. Cæpę molliunt aluum, & mouent sitim. Inungitur ad claritatem oculorum cum melle Cæparum succus, prodest albuginibus, oculorum nubeculis, & incipientibus eorum suffusionibus.

Ad dolores pectoris, Accipe Cæpas in carbonibus ignitis leniter tostas, indeq; mane & uesperi comede, hoc facilem humorum crassorum excreationem reddit, pectusq; laxat. Eodem modo pellit tumorem, & stomachum purgat. Cæpę cum sale & melle permistæ, & uerrucis impositę, eas funditus curant. Cum aceto con-

tusæ

A tuſæ, ſi inde ſcabioſa cutis lauetur, eam puram reddunt.

Stomacho non conducunt, faſtidium enim faciunt.

Oris fœtorem manducatæ tollunt.

Succus naribus inſtillatus purgat caput. Contra rabidorum canum morſus, ſuccus additus ruta, ſale, & melle, ac inuicem contuſis, inungitur. Idem auribus purulentis inſtillatum prodeſt. Cholericis plurimum nocet Cæparum uſus, inde enim calidiores & ſiccriores redduntur. Phlegmaticis autem ſemper conueniunt, incidunt enim ac conſumunt in eis ſuperfluos humores.

Inunguntur utiliter cum ſucco atq; gallinaceo adipe à calceis facti attritus pedum.

DE AQVA CAEPARVM.

Tempus electiſſimum ad diſtillandum Cæpas eſt in primo menſe Autumni, tum radix concidetur & diſtillabitur.

Aqua hæc quater uel quinquies ſingulis uicibus duabus unciis pota, ſubuenit ex animalis morſu obmutescentibus.

Naribus inſtillata, pellit grauedinem capitis.

Auxiliatur doloribus dentium, ſi inde fricentur uel colluantur.

Facit capillos naſci in caluo capite, ſi ea fricetur. Lumbricos pellit, in potu ſumpta.

B

DE CERASIS.

NOMENCLATVRAE.

Κέρασος.
Κεράσιον.

Ceraſus.
Ceraſum.
Ceraſium.

Kirßbaum.
Kirßen.

ANNOTATIO IN CERASVM.

CERASVS arbor nota, à Ceraſunte Ponti ciuitate ſic dicta, ut Athenæus inquit, quam Lucullus debellato Mithridate, primus in Italiam intulit, & à ciuitate illa Ceraſum appellauit. Hæc arbor iam ubiq; in omnibus regionibus frequens eſt & uulgaris. Seritur Ceraſus malorum & pyrorum more. Inſitione præſertim lętatur, nec unquam bonum dulcemq; dabit fructum, niſi prius in-

C sita. Cerasos præcoces facit, cogitque matureſcere calx admota.
Poma ſine oſſibus enaſci Martialis rei ruſticæ prudens promittit, ſi teneram arborem ad binos pedes reſciſſam uſque ad radicem findas, abraſaq; ferro partis utriuſq; medulla, ſtatimq; ſeiunctas parteis uinculo perſtringas, & ſummam partem, & diuſuras laterum oblinas ſimo: poſt annum ducta cicatrice diuortia coaleſcunt. Hanc arborem ſurculis, qui fructum adhuc non tulerunt, inſeris, & ſine oſſibus Poma (ut aſſerit) naſcentur. Democritus eſt Autor, ſi quis tenellum cerasi caudicem radice tenus ſcindat, non uulnerata parte ima, medullamq; auriſcalpio eruat, deinde lachrymam cyrenaicam aqua dilutam, uſq; dum ſapæ craſſitudinem referat, infundat: & humente charta diligenter obligatum adminiculo fulciat, ne lachryma effluat, octauo die eadem lachryma perfundi præcipit, ut germina citet, ſic exos & enucleatus fructus exibit. Si Cerasus concepto humore putreſcit, in trunco foramen excauetur quo poſſit ſanies educi. Si formicas patitur, ſuccum portulacæ debebis infundere cum aceto media parte permiſtum. Inter Cerasa principatum obtinent duracina, ut inquit Plinius. Aproniana maximè rubent, Actia nigerrima ſunt, Iuliana tenerrima. Cerasum, ut idem ſcribit, ſiccatur ſole, conditurq; ut oliua, cadis. Ratio hęc à Florentino rei ruſticæ autore ſic tradita eſt. Cerasia ante ſolis exortum arbore ſua
D decerpta, in uas ſubſtrata in fundo ſatureia conſ̃ciuntur, dein Cerasia ſuperponuntur, iterumq; alternis ſatureia, adijcitur nonnihil acidi mellis aliquantum dulceſcentis. Seruantur itidem interiectis arundinum folijs, & in eundem modum alternatim diſpoſitis in cado. In candenti ſole uſq; ad rugas ſiccata, diu ſeruantur, item molliuſculo ignis feruore paſſa.

Cerasiorum quædam ſunt acida, quędam auſtera, & quædam dulcia. Auſtera uentrem conſtringunt, ſtomachum exaſperant. Acida pituitam incidunt, flauam bilem reprimunt, ſitim extinguũt, & deſiderium edendi inducunt. Dulcia ſtomacho aduerſa, lumbricos & putridos humores in uentre generant. Deuorata mane dum recentia ſunt, cum ſuis nucleis, urinam & uentrem mouent.

VIRES AC IVVAMENTA.

Nuclei cerasorum calculo obnoxijs ſubueniunt. Bonam faciunt aluum, ut Dioſcor. inquit, recentia Cerasia: ſiccata ſiſtunt.

Gummi Cerasorum in diluta uini potione hauſtum, utile eſt contra diutinam tuſſim. Cutis colorem commendat: facit ad claritatem oculorum: & appetentiam cibi excitat: prodeſt & calculoſis in uino potum.

Ex Cerasis etiam paratur conditum quo per annum uti licet: Accipe Auſtera Cerasia, quæ in melle & ſaccharo inuicem commixta,

ſinito

A finito quatuordecim diebus macerari. Deinde cerasijs iterum exemptis, coquito potionem ex hyssopo, Rosis, uiolis, & dulciradice, inspergito quantum uolueris de Cynamomo, Cariophilis, & mace. hoc cum optimo uino commisceto, & iterum quatuordecim diebus Cerasa in eo finito. Postea apud solem Cerasa siccanda sunt. Licet etiam sicca uel humida mensæ apponere.

AQVA CERASORVM.

Cerasa magna, rubentia, atq; austera cum breuibus pediculis, quum matura fuerint decerpuntur, & duos dies sparguntur super pannum, & postea in balneo Mariæ distillantur.

Hæc aqua bis aut ter singulis uicibus iiij. uncijs pota, menstrua, dysenteriam & alios alui fluxus restringit.

Eodem modo salubris est ad calorem iocinoris & stomachi, atq; cor confortat.

Aqua ex floribus Cerasorum oculis instillata uesperi, quando cubitum itur, pellit albugines & nubeculas oculorum. Similiter & ruborem & lachrymas oculorum discutit, si bis aut ter ita sumpta fuerit.

Nigra Cerasia eodem modo distillantur.

Aqua ex nigris Cerasijs quotidie bis singulis uicibus tribus uncijs pota, medetur hydropi. Oportetq; ægrotum interim ab alio potu

B abstinere. Eodem modo in potu sumpta, Apoplexiam & paralysim membrorum remouet, quæ etiam ex ea lauari & fricari debent & deinde per se siccari. Qui illis morbis obnoxius est, quotidie eam aquam duabus uncijs ieiunus bibat. facit quoq; ad tumorem, & ciet urinam.

DE CEREFOLIO.

NOMENCLATVRAE.

Cerefolium.
Cerephyllum.

Kerbelen.
Kerbelkraut.

ANNOTATIO IN CEREFOLIVM.

C CEREFOLIVM olus hortense: alio nomine etiam dicitur Cerephyllum, ita uerò nominatum Ruellius scribit, quòd largo grandiq; foliatu gaudeat, breui caule contentum, & uelut herba paria secum faciente, quæ quod à cauliculo dempserit, luxuriosa foliorum ubertate compensat, mediocri tamen proceritate sustollitur. Nondum adhuc certum est, quo nomine apud Dioscor. & alios medicos Græcos appelletur, Ottho Brunsfelsius putat eam herbam esse, quę à Dioscoride Myrrhis uocatur. Cæterum Ruellius scribit, quòd potius eorum sententiæ accedendum sit, qui interprætantur Cerefolium esse Gingidion Dioscoridis, nam erraticæ pastinacæ, quam daucum aliqui uocant, folium ęmulatur, aliquanto tenuius, radicula candicante, subamara. Apud omnes manditur & crudum ex aceto, & iuribus incoctum. Apud Galenum & Paulum Æginetam maior aliquanto amaritudo tribuitur Gingidio, quàm in nostro Cerefolio possit inueniri, uerum hoc forsitan fieri potest ex longo transmigratu, inuentoq; dulciore solo, quòd bonam partem amaroris exuerit, nam quędam stirpes propter mutationes locorum à qualitate sua discesserunt, ita ut dignosci non possint.

DESCRIPTIO.

D Cerefolium est olus ad modum Petroselini, nisi quòd multo mollius est, & semen caulemq; rubicundum producit, albos habet flores, radicemq; candicantem, longissimum caulem, & folia Coriandro similia.

TEMPERAMENTVM.

Cerefolium calefacit in tertio gradu, & desiccat in secundo.

VIRES AC IVVAMENTA.

Hęc herba urinam ciet, & menstrua pellit, in potu sumpta. Cum uino trita & hausta, lateris dolores mitigat.

Ex aqua mulsa bibita, Pituitam resoluit. Tormina uentris quoq; discutit, & parit flatus.

Succus Cerefolij cum aceto sumptus, necat lumbricos.

Cerefolium contritum in puluerem, & cum melle permistum, cancrum sanat, si imponatur.

Cum uino potum coxendicum dolores sedat.

Herbam cum sua substantia elixam, si cum aceto misceas, & caput inde laues, furfures capitis tollit.

Eodem modo phagadænas sanat.

Morsum rabidi canis sanat, si quis ex semine biberit, & uulnus inde lauerit. Radix Cerefolij elixa cum Saxifraga & pota, frangit calculum uesicæ, & prouocat urinam.

A Cerefolium in uino elixum & potum ſanguinem in grumos con cretum diſſoluit.

Tritum cum Cera & axungia parotidas ſoluit.

DE AQVA CEREFOLII.

Tempus electum ad diſtillandum Cerefolium eſt, ut herba & ra dix cum tota ſua ſubſtantia minutim concidatur, & diſtilletur in medio Maij.

Aqua Cerefolij mane & ueſperi ſingulis uicibus quatuor uncijs pota, opitulatur ruptis hominibus, & ex graui caſu læſis, & reſoluit ſanguinem in grumos concretum.

Eadem pota prodeſt ad calculum renum. una uice plurimum po ta aluum laxat.

Bonum reddit ſtomachum, confirmat atq; confortat cor, pellit horrorem febris, ſalutaris eſt capiti, & confortat ſenſus. Pota ut ſuprà dictum eſt, pellit maximos dolores & punctiones, opitulatur pulmoni & eius affectibus.

DE CERVI BOLETO.

B

NOMENCLATVRAE.

Cerui boletus.
Ceruibolitus.
Hirtz Schwam.
Pfifferling.
Engerling.

TEMPERAMENTVM.

CERVI boletus frigidæ naturę exiſtit, & tam hominibus quàm pecoribus manducatus nocumentum infert.

VIRES AC IVVAMENTA.

Maſticatus & impoſitus prodeſt ad ictum aranearum. Inflammationibus cuiuſcunq; generis impoſitus educit magnos calores.

Fatigatus ex itinere edat ex eo, & laſſitudinem non ſentiet. Caliginem oculorum emendat, ſi à ieiuno edatur. Dentibus commi nutus, & tumidis genitalibus impoſitus, tumorem inde tollit.

Ad difficultatem pariendi, Mulier accipiet Cerui bolitum, ad magnitudinem unius piſi, & dimidiam partem mandet, & alia parte umbilicum oblinet, tum ſtatim abſq; ullo labore pariet. Vſus Ceruiboliti, non cuiuis conuenit, & maximè mulieribus grauidis. Nam ſi imprudenter & abſq; ratione eo utantur, magnum malu m eis inde oriri poſſet, quamobrem grauidæ eo non utentur, niſi in tempore partus, quando neceſſitas poſtulat.

AQVA CERVIBOLETI.

C Optimum tempus ad distillandum Ceruiboletos est, quando plene maturuerunt, tum circa Maium in balneo Mariæ distillandi sunt.

Aqua Ceruiboleti conducit ad phthisim, si membra mane, meridie, & uesperi ea illinantur, & deinde per se iterum siccentur.

Non est melior aqua ad rubentes pustulas faciei, si inde illinatur & per se siccentur. Linteis imposita quascunq; in corpore inflammationes extinguit, facit ad podagram & alios affectus pedum, madidis linteolis imposita. Salutaris est ad erysipelaca per diem bis linteolis imposita.

Talem facultatem & naturam fere habent omnes boleti distillati, & modo iam prædicto corpori foris applicati.

DE CHAMAEPITHY.

D

NOMENCLATVRAE.

Χαμαιπίτυς.

Chamæpithys.
Aiuga.
Chamæphithyos.
Iua moschata.
Cupressina.
Amarum dulce.

Je lenger je lieber.

ANNOTATIO IN CHAMAE PITHYM.

CHAMAE PITHYS nomen accepit ab odore quem habet Piceæ uel Pinus, unde Chamæpithys dicitur, quasi parua uel humilis Picea. Latine Aiuga autore Plinio appellatur, quidam cupressinam nuncuparunt, Officinæ simul & Herbarij corrupto uocabulo, Iuam appellarunt, cognomento Moschatam, forsitan ab odore quem habet, Recentiores etiam Genitiuo pro recto utuntur, Chamæpithyos dicentes. Chamæpithys quam Pharmacopolæ & Herbarij ostendunt, descriptioni Dioscoridis prorsus repugnat, unde suspitio oritur, eos ueram Chamæpithym non agnoscere.

A

DESCRIPTIO.

Chamæpithys alta & ramosa planta est, floribus luteis & colore uiolaceo, granis rubentibus. Radix in os sumpta, quanto diutius manditur, eo fit dulcior, unde & herba nomen à Germanis fortita est, qui eam appellant. Je lenger ie lieber/ Amat ripas fluminum & uetustas atq; cauas arbores.

TEMPERAMENTVM, VIRES AC remedia.

Chamæpithys, ut Ægineta inquit, secundo gradu calefacit, tertio desiccat, quam ob causam & purgare & abstergere uiscera, potissimum iecur, potest, tum pota tum apposita cum melle: item urinas menses q; trahit, magna uulnera conglutinat, putredinem expertis medetur, duritias discutit, decoctum ipsius etiam coxendicum doloribus salutate est.

Malignis pustulis & ulceribus, mamillis q; tumidis & purulentis conducit, si herba cum semine in aqua elixa, & emplastri modo imposita fuerit.

Succus ex herba contusa expressus, & cum Cassia fistula permistus, ac sex drachmarū pondere sumptus, leniter subducit aluum,
B expellit ex homine terrestres humores.

Radix ictēris medetur, septenis diebus in potu sumpta, folia quoque, ut Dioscoridi placet, septenis diebus in uino pota morbum regium discutiunt: & quadragenis in aqua mulsa ischiadicis medēt.

Chamæpithys decem diebus in uino maceratur, usque dum in eo putrescat, deinde uinum probè ebulliet quo ad fermē consumptum sit, & herba ut nigrum ius ex pipere per pannum transmittetur, quem liquorem transmissum cum oleo oliuarum & cera permiscebis, & inde unguentum conficies, quod ad uiciatum iecur & splenem, foris illitum prodest.

Eadem cum melle à ieiuno sumpta lumbricos uentris necat.

Cum lingua ceruina in uino elixa, facit ad opilationem iocineris & splenis, morbum regium & calculum renum atq; uesicæ discutit.

Mortuos partus ex aceto cocta, potaq; ejicere dicitur.

Sanguinem densatum trahit pota.

DE CHAMAEDRY.

NOMEN.

C

NOMENCLATVRAE.

Χαμαίδρυς.

Chamædrys.
Chamædryos.
Gamandræa.
Quercula minor.
Trixago.

Gamenderlin.
Blawmenderlin.

ANNOTATIO IN CHAMAEDRYM.

CHAMAEDRYS herba eſt, quę à Latinis Quercula minor di-
citur, nihil enim aliud Chamædrys quàm humilem & terre-
D ſtrem Quercum ſignificat, A Plinio etiam & Dioſcoride Trixago Latine dicitur. Vulgus uocat Gamandrȩam, Barbari corrupte Cha mædryos pro Chamædrys dicunt, Genitiuo pro Nominatiuo utentes.

DESCRIPTIO.

Chamædrys breuis frutex eſt, ut Dioſcorides inquit, altitudine quantum à ſummo pollice ad extremum minimum digitum patet explicita hominis manus, foliis paruis, figura diuiſuriſq; quernis ſimilia, guſtu amaris, purpuraſcente flore, & ipſo etiam exiguo. Naſcitur aſperis & petroſis locis, aliquando etiam in hortis, Carpenda eſt ſuo ſemine prægnans herba.

TEMPERAMENTVM.

Eſt illi calefaciendi uis, ſimul & ſiccandi, uſq; in tertium gradum, ut inquit Galenus & Macer, nã in qualitate eius diſſonant ſcriptores. Colligenda erit circa finem Maij, tum enim herba unà cum floribus extat.

VIRES AC IVVAMENTA.

Tollit duritiam ſplenis, ciet urinã, & mouet menſtrua, Hydropicis opitulatur, ſi in morbi principio per diem ter cum uino ex ea bibatur. Herba ipſa cum ſuis floribus, optimè confert membris contuſis, ſi ex ea lauentur, uel ſi inde quis bibat.

Contuſa

A Contusa & fistulis oculorum imposita, itidem si oleum inde confectum instilletur, eas statim sanat, si modo homo fuerit frigidæ & humidæ complexionis, tum maximè iuuat. Calida uerò & sicca complexione præditis, non conducit. Cum uino elixa & pota, discutit morbum regium.

Chamædrys cum semine fœniculi & sene in uino elixa, salutaris est ad obstructionem iocineris atq; splenis: si uerò semen Apij additum fuerit, subuenit stranguriæ & calculo.

Cum uino elixa & membris, quæ paralysis obsedit, imposita, opem præstat.

Contusa & cum oleo oliuarum uulneribus imposita, ea sanat.

Prodest etiã ad inueterata ulcera. semen bilem expellit. Ad dolorem oculorum herbam itidem ut prædictum est, contusam oculis impones, & auxiliabitur. Herba ipsa uiridis elixa in aqua fontana, spasmo & paralysi obnoxijs, pota medetur. Tussientibus itidem pota duratis lienibus, uringę angustijs, & cutem incipientibus subire aquis auxiliatur. Menses eadem trahit & fœtus. In uino elixa bibitur contra uenena: potest idem emplastri modo imposita contra morsus uenenatorum animalium. Ad splenem herba cum uino & aceto coquenda est: ad ueterem tussim & uetera ulcera cum melle

E permiscenda est & bibenda. In uino itidem decocta & pota, ruptis medetur, & mitigat podagram. In aqua elixa, ita ut mulier uaporem inferne excipiat, alba menstrua pellit: auxiliatur quoq; si herba calida, genitalia eius foueantur. Puluis eius cum melle datus, lumbricos occidit. Contra Catharrum ponantur pulueres calidi in sacculo, & capiti superponatur, optimum remedium est: prodest ad exulcerationem oris, si per diem os inde ter colluatur.

Prodest ad scabiem minutam, si cũ uetere axungia inde ungnentum confeceris, & cutem eo inungas. Ad furfures capitis, uel barbæ cum farina lupinorum, herba ipsa decoquatur in aqua salsa, addito aceto, deinde per pannum colabis, & inde caput lauetur.

Foliorum succus cum oleo, caliginem oculorum discutit.

AQVA CHAMAEDRYOS.

Tempus distillationis est in medio Maij, tum herba cũ tota sua substantia minutim concisa, distillanda erit.

Aqua Chamędryos iiij. uncijs pota fœtum mortuum expellit.

Ad interiorem rupturam salutaris est, si sępius iiij. uncijs singulis uicibus bibatur.

Item quotidie mane & uesperi ad tres uncias pota, purgat & bonum creat sanguinem, lætificat cor, & iecur recreat refrigeratque, præcipuè si cum floribus distillata fuerit: facit ad exulcerationem oris, si os sæpius inde colluatur.

DE CHE-

DE HERBIS, CAETERISQVE DE CHELIDONIA.

NOMENCLATVRAE.

Χελιδόνιον.
Γαλόνια.

Chelidonium, siue Chelidonia.
Hirundinaria herba.

Schelwurtz.
Schwalben kraut.
Goldtwurtz.

ANNOTATIO IN CHELIDONIAM.

D CHELIDONIA herba, ut Dioscorides & Plinius scribunt, nomen habet in Græca & Latina lingua, ab Hirundinibus, propterea quòd hirundinum aduentu ex terra prodit: discedentibus uero ijsdem, marcescit: uel quia Hirundines hac herba oculis pullorum in nido restituunt uisum, etiam crutis oculis: unde etiam cognitum est, quòd oculis hominum medeatur, Hieronymus nobilis Herbarius hanc herbam cœleste donũ hominibus esse ait, ob summam facultatem & præstantiam qua prædita est. Chelidonia Latine dicitur Hirundinaria herba, Græci enim Hirundinem χελιδόνα uocant.

DESCRIPTIO.

Chelidonia duplex est, Maior scilicet & Minor. Maior ut Dioscor. inquit, cubitalem caulem, & aliquando maiorem, gracilem & surculosum, folia habet ranunculo herbæ similia, teneriora tantum & cum cœruleo colore aliquo: iuxta quę singula folia florem uiolæ similem. In ea succus croti est, mordax, acris, & aliquantulum subamarus. Radix superne singularis, in multa crocea capillamenta fibratur. Nascitur in opacis & parietinis, lapidumq; cumulis. Minor Chelidonia parua herba est, sine caule, folijs hederæ, rotundioribus minoribusq;, pediculis quibusdam à radice dependentibus, item teneris & aliquatenus pinguibus. Hæc Pharmacopolis in usu non est. Ruellius hanc putat esse herbam quam Herbarij uocant Scrofulariam, quæ huic descriptioni omnino quadrat, & miratur

quòd

A quòd hęc à nullis medicis uel Herbarijs oſtendatur, cum nulla uerno tempore frequentior occurrat, præſertim Hirundinum aduentu, & marginibus aquoſis inueniatur.

TEMPERAMENTVM.

Chelidonia calida eſt in principio quarti gradus, & ſicca in tertio. Platearius inquit, quòd calida & ſicca eſt in quarto gradu.

Quatuor ex hac herba ſeruanda ſunt, folia cum caule, radices, ſemina, & ſuccus.

VIRES AC REMEDIA.

Succus in æreo uaſe cum melle prunis decoctus, oculis claritatem adfert, & caligines eorum diſcutit. Cum ſale armoniaco ſuccus commixtus, & oculis inſtillatus, albuginem tollit, & claritatem præſtat. Chelidoniam florentem contunde, & in aqua decoque, & aquam illam decoctam in ollam infunde, & iterum igni adhibe, & eam benè deſpuma: quando autẽ ebullire incipit, per linteolum eam cola, & ad uſum ſerua, oculis enim illita caliginem diſcutit.

Succus radicis lepram tollit, ſi quis illinat, & deinde per nouem ex ordine dies mane & ueſperi, Syrupum de fumo terrę aſſumat, abſq; dubio opitulatur.

Succus in Maio eſt excipiendus, tum enim ex radicibus, foliis atque floribus, ſimul contuſis exprimendus eſt.

B Radix cum Aniſo in albo uino decocta & pota, arquatos obſtructione liberat.

Impoſita cum uino, aut manducata, dentium dolorem ſedat.

Sanat itidem ulcera quæ à ſerpendo herpetas uocant, ex uino emplaſtri modo impoſita.

Contra colicam paſſionem herba trita, ut inquit Platearius, & in uino cocta ſuperponatur, uel ſpongia intincta in eo decocto.

Puluis eius uulneribus atque ulceribus inſperſus ea purgat & ſanat.

Ad cancrum oris uel oſſis, uel neruorum, puluis radicis eius cum pulnere roſarum conficiatur cum aceto, & decoquatur uſq; ad mediocrem ſpiſſitudinem ad modum ſinapis, & inungantur partes cancroſæ, multum confert. Ad menſtrua prouocanda, & matricem mundificandam, fiat fomentum ſæpius ex aqua decoctionis eius.

DE AQVA CHELIDONIAE.

Tempus colligendi & diſtillandi Chelidoniam eſt, ut cum tota ſua ſubſtantia minutim conciſa, in medio Maij diſtilletur.

Aqua Chelidoniæ mane & ueſperi pota ſingulis uicibus iiij. unciis, morbum regium pellit. Itidem pota contra uentris tormina auxiliatur.

C Eodem modo pota, febrem mitigat, facit ad ſcabiem ex frigore contractam, ſi inde illinatur. Per diem bis aut ter ſingulis uicibus duabus uncijs pota, prodeſt ad obſtructionē iocineris atq; ſplenis.

Oculis illita, albugines & maculas corrigit, rubedinem eorum diſcutit, & uiſum acutum reddit.

Si os inde colluatur, ſedat dolorem dentium, pellit maculas faciei, ſi facies inde lauetur.

Cancrum ſiccat & ſanat, tum etiam fiſtulas, pellit puſtulas peſtilentiales, ſi linteum in ea maceratum, per diem bis aut ter ſuperimponatur.

DE ALNO.

D

NOMENCLATVRAE.

Αἴγειρος.

Alnus.

Erlinbaum.

ALNVS genus eſt arboris fluuialis, ex qua primum factæ ſunt lyntres: dicta quòd amne alatur. Naſcitur enim iuxta fluuios, aptaq; eſt nauigijs, quòd aquis obruta, ut inquit Vitruuius, diu non corrumpitur.

DESCRIPTIO.

Eſt autem Alnus ſterilis arbos, caudice recto, ligno medullaque molli, adeò ut graciliores uirgæ concauentur, folio piri, ſed ampliore ac neruoſiore, quadantenus orbiculato uirgatoq;: cortice ſquaroſo, foris albicāte, intus ruſo, qua de cauſa coria tingit, fructu nullo, cum nihilo minus floreat. Radice ſumma, nec quàm laurus maiore, tenui. Alnus in plana deſcendit, aquoſiſq; gaudet, quanquam anc ipitem agat uitam. Alnum quandam fructiferam, aliam ſterilem prodidit Theophraſtus: utranq; tamen floreſcere fatetur. Ariſtoteles inter naturæ miracula retulit Alnos in ſola Creta, non eſſe ſteriles. Alij Alnum duntaxat ſcopis naſcentem, nullum ferre fructum prodiderunt: quare infelicem exiſtimari, damnatamq; religione.

VIRES

A VIRES AC IVVAMENTA.

Quantum ad medicinam attinet, folia suppurationes discutere tradunt. Eadem contra tumores & tubera quidam cum calida aqua imponunt.

DE BARBA HIRCINA.

NOMENCLATVRAE.

Τραγοπώγων.

Barba hirci.
Coma.

Bocksbart.

BARBA Hirci, quę Græcis Tragapogon appellatur, & à Plinio Coma dicitur, hac facie repręsentatur à Theophrasto: Radix longa, dulcis, folium croci longius, caule paruo super quem calyx latus & barbula, quæ summo uertice incana, & prolixa funditur, unde nomen accipit, Describitur à Dioscoride caule breui, folijs croco similibus, radice oblonga, dulci, supina, magno supra scapum calyce, è cuius summo nigrum semen pendet. Crescit in aruis sua sponte, Crescit & altilis etiam in hortis pastinato altiusq; subacto solo. Radices in altum agit, quæ hybernis diebus acetaria dulcedine sua commendant: utraq; cum carpitur manat lacte, sed quę nascitur in asperis, magna ex parte luteo flore nitet. A plurimis nūc Romana consuetudine dicitur Petrę herba, quòd asperis locis quasi è medijs saxis uideatur erumpere. Gerontopogon eadem esse creditur permultis, sic dicta quòd nascatur promissa Barba, folijs longis instar capillorum.

DE HERBIS, CAETERISQVE TEMPERAMENTVM.

Barba hirci calidæ est complexionis, magnam præbet utilitatem, si quis intrò sumat.

C

DE AQVA BARBAE HIRCI.

Herba unà cum radice distillatur in Maio.

Aqua ea ualde præciosa est contra punctionem, & Apostemata lateris.

DE CAPITE MONACHI.

NOMENCLATVRAE.

Caput Monachi.
Buphthalmon.

Pfaffen stil.
Pfaffen blatt.
Ringel Blümen.
S. Johans Blüm.

D CAPVT Monachi herba est, ut generosus Comes à Neuenare scribit, quæ apud nostrates à quibusdam Flos Sancti Ioannis dicitur, & à Dioscoride Buphthalmon, eò quòd similitudine oculū bouis referat. Quidam etiam uernaculo idiomate florem orbicularem siue annularem, hoc est **Ringel blümen** appellant, propter rotunditatem qua oculo assimilatur. Intus flores lutei sunt, in ambitu albi, quemadmodum Anthemis, siue Parthenion, id est Chamomilla: nascitur apud nos frequentius in pratis, & aggeribus propè riuulos. Ottho Brunsfelsius & Hieronymus Bock, Caput monachi aiunt esse, eam herbam, quam Barbari uocant Calendulam, de qua re quisq; legat ipsorum Herbaria.

VIRES AC IVVAMENTA.

Herba ad uarios morbos est efficax, ut tradit Comes à Neuenare, quanquam rarò ea utantur empirici nostri temporis. Valet ad tineam & serpiginem corporis, tam pota ex uino quàm foris illita.

Apostemata etiam rumpit potui data, uel tanquam Cataplasma superposita. Cum radice & floribus eam carpere utilissimum est.

DE CHEIRI

A

DE CHEIRI, IDEST VIO. LA LVTEA.

NOMENCLATVRAE.

Λευκοΐου.
Μήλινον.

Viola Lutea, ſeu Citrina Cheiri.

Geel Violen.

B

ANNOTATIO IN CHEIRIN.

CHEIRI ab officinis Arabico nomine, appellatur ea herba quę à Græcis Leucoion, à Latinis uerò Viola lutea dicitur. Et ſi Leucoïj nomine Viola ſignificetur candida, id enim Græca dictio ſonare uidetur λευκοΐου, tamen etiam pro Lutea Viola, cuius præcipuus eſt in medicina uſus, ut Dioſcorides inquit, & pro cœrulea & purpurea ſolet uſurpari.

DESCRIPTIO.

Cheiri herba eſt uario colore & ſpecie, & præcipuè in floribus, qui quatuor continent folia. Differentia enim generis in flore eſt, qui in aliquibus candidus, in aliquibus luteus, in aliquibus cœraleus, in aliquibus purpureus uidetur. Sed quæ luteo eſt colore, in medicina præfertur. Semen foliaceum tenuibus ſiliquis continetur. Violę etiam odore diſcernuntur, quædam enim de die bonum odorem reddunt, quædam de nocte. Sic Violæ quę uocantur Cheiri noctu tantum ſunt odoratę. Hæ primo uere inter flores emicant, tepidioribus locis ante exactam hyemen uer nunciantes.

C

TEMPERAMENTVM.

Cheiri uirtutem habet calefaciendi, ſiccandi & extenuandi: flores in medicina magis probantur.

VIRES AC IVVAMENTA.

Flores in aqua decocti, ſecundas pellunt, ſi ea potione quis utatur. Itidem & fœtus mortuos expellunt.

Grauidæ mulieres ex his floribus non bibent, niſi in difficultate partus, quem promouere, & menſes trahere ſolent. Ducit præterea menſes, ſecundas, & fœtus, ut Dioſcor. ait, ſemen pondere duarum drachmarum cum uino potum, aut ex melle appoſitum. Eius ſiccati flores decoquuntur: facitq; decoctum id ad muliebres locos: ducunturq; inſidentibus in eo fœminis menſes, & eorum locorum inflammationes curantur: flores contuſi & ſuccus ex eis oculis inſtillatus, tollit maculas eorum. Succus huius herbę cum melle permiſtus, ſanat oris ulcera, quas aphthas dicunt. Oleum Cheiri cum oleo lini temperatum, dolorem lienis mitigat, & duritiem eius minuit atq; emollit. Quinetiam lienem minuunt, & podagris proſunt, radices ex aceto emplaſtri modo impoſitę.

DE AQVA CHEIRI.

Caules & folia diſtillari debent, quando maturuerunt circa finem Maij.

D

Aqua Cheiri mane & ueſperi una uice duabus uncijs pota, phreneticis medetur, atq; confortat cerebrum. Itidem pota iecur corroborat, & renes: mulieres reddit fœcũdas, eaſq; à partu expurgat.

Eodem modo bibita calefacit, atq; confortat cor infrigidatum, acuit ſenſus & rationem, animum lætificat, purgat atq; confirmat ſanguinem corruptũ, calefacit oſſium medullam, frigidoſq; fluxus expellit.

Apoplexia uel linguæ paralyſi laborantibus ſalutaris eſt, aut ſi latera hoc malo fuerint affecta, tum optimè iuuat, ſi quis bibat, uel membra inde fricet. Tremorem manuum pellit, ſi inde fricentur: idem præſtat mane & ueſperi pota. Duabus uncijs unaquaq; uice, mane & ueſperi pota, temperat calorem cordis, illudque confortat atq; aperit: facit ad omnes maculas ſub oculis, ſiue fuerint ex caliditate, ſiue ex frigiditate, atq; nitidam claramq; reddit faciem.

Omnes dolores capitis ſedat, linteolis in ea intinctis, capiti circumligata & applicata, ſomnumq; conciliat.

DE CICOREA.

NOMEN.

A

NOMENCLATVRAE.

Κιχωριον.
Σέρις.

Cicorea.
Cichorium.
Intybum erraticum.
Ambubeia.
Solsequium.
Helitropium.
Sponsa solis.

Wegwart.
Sonnen wirbel.
Sonnen kraut.
Weg weise.
Sonnen wendel.

B

ANNOTATIO IN CICHORIVM.

CICHORIVM suo nomine Ægyptio uenit in Græciam & Latium, herba est ubiq; notissima. A Græcis Seris dicitur, Plinius Erraticum aut agreste Intybum appellat. Quidam Latinorum Ambubeiam appellarunt, quidam Solsequium. Celsus solarem herbam appellauit, eò quòd flos solem semper comitatur. Hanc nonnulli ob singularem utilitatem, Threston appellauerunt: quidam quòd aduersus omnia corporis uitia polleat, Pancration: nonnulli ab insigni amaritudine, picrida. Germanorum uerò pars **Wegwart** appellant, quasi custodem uiarum, & **Wegweise**/ nam uidetur ferè indicare uiam peregrinis.

DESCRIPTIO.

Cichorium planta est multis caulibus, & foliis paucis & acutis, floribus cœruleis, qui ad solis splendorem se uertunt, & quum Sol occidit, flores se claudunt: rursum quum oritur, se aperiunt, passim nascitur propè uias, & in agris.

Duplex Cichorij species inuenitur. Vna satiua est, & seritur in hortis, quæ est Crispis foliis, & floribus cœruleis, iuxta formam agrestis Cichorij.

Est tamen quoq; species lactucæ. Alia est quæ in agris nascitur, & in locis incultis, & secus uias.

TEMPERAMENTVM.

C Cichorium frigidæ & ſiccæ naturæ eſt, aliquanto plus quàm Endiuia.

Æginęta inquit quòd refrigerans & ſiccans eſt in primo abſceſſu, & habet etiam uim adſtringendi.

VIRES AC IVVAMENTA.

Hæc herba in uino decocta & in cibo ſumpta, ſtomacho eſt accomodata, & concoctionem adiuuat, flores cum radicibus contuſi, & emplaſtri modo podagræ impoſiti, ſtatim dolorem mitigant. Hoc emplaſtrum ſacris ignibus impoſitū, ingentes calores educit.

Si quis acceperit gummi quoddam, Serapinum uocatum, & myrrham, æquali pondere, & cum oleo Chamomelino atq; melle ſimul permiſcuerit, ac emplaſtrum inde confectū genitalibus mulierū impoſuerit, adeo matricem earum purgat, ut deinde facilè parere poſſint. Mulierum purgationibus, ut Plinius inquit, decoctum in aqua adeo prodeſt, ut emortuos partus trahat.

Herba contuſa cum radice, & inde ſi fiant rotundi trochiſci, quibus in aqua roſacea diſſolutis & permiſtis, ſcabioſam cutem inungito, curat enim, & cutem nitidam reddit.

Potio facta ex ſucco Cichorij, Endiuiæ, & linguę ceruinæ, ſaccharoq; ei addito, cum aqua & modico aceto decocto, confert ad
D oppilationem iocineris & ſplenis, ſi quis utatur. Deinde pillulæ ex Rhebarbaro ſumentur, & confortatio quã appellant, Triaſandali.

Succus Cichorij decocti uentrem ſoluit, iocineri, renibus & ſtomacho prodeſt.

Si in aceto coquatur, urinæ tormina diſcutit: item regium morbum è mulſo, ſi ſine febre ſit.

Cichorium, ut Dioſcor. ait ex aceto ſumptum ſtomacho utile, ardores enim & infirmitates eius in cibo lenit.

Cardiacis etiam per ſe & cum polenta utiliter emplaſtri modo imponitur.

In peſte quoq;, & in ardentibus febribus eo utendum eſt.

Extinguit puſtulas peſtilentiales, ſi aqua eius cũ linteo imponat.

Ad Vuulam & anginam fiet ex eo gargariſma, pellit uenenum ex corde.

Flos eius proiectus in gregem formicarum, citò rubeſcit tanq; cruentus.

DE AQVA CICHORII.

Optimum diſtillationis tempus eſt, ut herba unà cum radice inuicem minutim conciſa, in medio Maij diſtilletur.

Aqua Cichorij tribus aut quatuor diebus, mane meridie & ueſperi, duabus uncijs una uice pota, uel ſi potus cum ea miſceatur, ardorem ſtomachi pellit.

Eodem

A Eodem modo bibita, uel linteolis cordi applicata, confortat ac confirmat cor atq; ſtomachum.

Linteolis iocinori impoſita, calores eius ſedat, & obſtructionem aperit.

Ad peſtem præſeruandam modo antedicto bibendà eſt.

Ad Carbunculos ſalubris eſt, pota, uel linteolis impoſita.

Itidem & ſacris ignibus medetur.

Sæpius pota aſcenſum pulmonis ad guttur prohibet, ſiſtit dyſenteriam.

Gargarizata & pota facit ad uuluam & anginam.

Eadem pota iecur & lienem obſtructum aperit.

Ad tabida membra conducit, ſi ex ea fricentur, & ad morſus uenenatorum animalium pota, uel lineis pannis impoſita.

Flores Cichorij matutino tempore collecti, ac in Balneo Mariæ diſtillati, ea aqua ad uarios affectus oculorum ſalutaris eſt, nempe ad ulcera oculorum, ad caliginem, albugines, maculas & ungues, & ad multo plures huiuſmodi morbos.

DE CICVTA.

B

C

Κωνείον.

Cicuta.

Wutzerling. Wundſcherling. Wütſchen. Wüterich.

ANNOTATIO IN CICVTAM.

CICVTA à Græcis Conion dicitur, quæ ut Plinius inquit, uenenum eſt, & publica Athenienſium pœna inuita, ſucco enim eius ad mortem in publicis & capitalibus iudicijs utebantur, quare etiam Socrates ex Cicuta potionem ſumere in carceribus fuit coactus, cũ ab Anyto, & Melyto fuiſſet accuſatus, quòd de Dijs Athenienſium parum benè ſentiret.

Androcides ſapientia clarus, intemperantiam Alexandri cohibens, ſcripſit: ſicuti homini uenenum eſt Cicuta, ita & uinum, nanq; temulentorum eadem quæ Cicutæ epotę incommoda.

Alexander Aphrodiſæus in ſuis problematis inquit, Veratro coturnices, Cicuta ſturni ueſcuntur, quæ toxica hominibus eſſe certum eſt. In eandem quoq; ſententiam ſcribit Galenus lib. 2. de Alimentis cap. 4. inquiens: Cicuta ſturno nutrimentum eſt, homini uerò uenenum. Semen noxium eſt, quamobrem Leonicenus errorem Pharmacopolarum detexit, qui loco rutæ ſylueſtris ſeminis, Cicutæ ſemen colligunt & eo utuntur, non ſine magno ægrotantium periculo, nedum cum aliqua medendi facultate.

Nemo ueterum Cicuta aliter uſus eſt, quàm quòd extrinſecus eam appoſuerit, nullus autem eorum intra corpus adhibere iuſſit, id quod omnium maximè oſtendit Dioſcorides.

DESCRIPTIO.

Cicuta geniculatum & grandem fœniculi modo profert caulem. In cacuminibus ramos & umbellas habet. Florem ſubalbidum. Semen aniſo æquale, ſed candidius. Radix fiſtuloſa illi, ſed nõ profunda.

TEMPERAMENTVM.

Cicuta refrigerat & deſiccat in tertio gradu. Inter letalia numeratur Cicuta, frigiditate enecans. Succurrit remedioq; contra eam meracum uinum eſt, ut Dioſcor. teſtatur. Semini quoq; & foliis refrigeratoria uis eſt, ut Plinius inquit, quę ſi enecat, incipiunt algere ab extremitatibus corporis. Remedio eſt, priuſq; perueniat ad uitalia, uini natura excalfactoria. Sed in uino pota irremediabilis exiſtimatur.

VIRES AC IVVAMENTA.

Semen adhuc uiride contuſum, & ſuccus inde expreſſus, ac oculis illitus, tollit fluxum eorum & claritatem inducit.

Extinguit idem ſuccus ſacros ignes, & quę ſerpunt.

A Cicuta cum ſemine contuſa,& puerperarum mammis impoſita, lac extinguit, & in unguibus mammarum incrementa compeſcit: & puerorum teſtes nutrimento augeri prohibet.

Quinetiam conciſa herba comaq; eius, mox teſtibus emplaſtri modo impoſita, nocturnas libidinum imagines in ſomno auertit.

Ad dolorem lienis ſubuenit,in aceto & oleo elixa & impoſita.

Cum premula ueris in uino & oleo decocta, prodeſt ad paraly-ſim mannum & pedum. Eodem modo facit contra colicam & ſtranguriam, uentri & lumbis impoſita.

Succus,ut Dioſcor.inquit,excipitur cacuminibus,antequam coma uel ſemen obareſcat,è qua etiam tuſa expreſſus concreſcit in ſole. Multos habet in medicina uſus, ſed præcipuo effectu collyriis quæ ad dolores ſedandos per ſomnum quæruntur. Fit ex ſucco ad refrigerandum ſtomachum malagma:folia quoq;,ut Plinius ait,tumorem omnẽ doloremq;, & epiphoras ſedant, igni ſacro medent.

Podagras refrigerat cicuta cum lithargirio,& axungia.Cum eadem tumorem doloremq; luxatorum tollit. Sanguinem claudit cicutę ſemen in nares,ſi inde fluat,ex aqua inditum.

DE AQVA CICVTAE.

Optimum tempus diſtillandi eſt, ut herba unà cum caulibus in medio Maij diſtilletur.

B Aqua Cicutæ ſalubris eſt, quando homo muſcam deglutierit, eam enim expellit,ſi quis unius unciæ pondere biberit.

Hæc aqua omnium eſt frigidiſſima, quare ſacris ignibus medetur,linteolis impoſita.

Eadem mammis uirginum linteis applicata,prohibet quo minus creſcant,prodeſt etiam ad rupturas infantium,linteis impoſita. Itidem mane & ueſperi impoſita, medetur calido hydropi. Subuenit quoq; Apoplexiæ ex calida intemperie contractæ, quam mirificè ſedat, ſi triplicatis linteolis membris affectis applicetur.

Conducit ad omnes tumores & Apoſtemata calida, ad diuertendum & repercutiendum ea à membro nobili ad ignobile.

DE CINNAMOMO.

NOMENCLATVRAE.

Κίνναμώμον.

Cinnamomum.

Zimmet rinden/ oder Kanel.

Zimmet Rören.

ANNO.

ANNOTATIO IN CINNAMOMVM.

CINNAMOMVM uerum nostros Pharmacopolas non habere, doctissimus uir Ioannes Manardus libro sexto epistolarum medicinalium, ex Galeni de Antidotis libris satis probauit, praterea si quis Dioscoridem rectè considerauerit, facile intelliget ex tot generibus Cinnamomi optimum ad nos non adferri.

DESCRIPTIO.

Cinnamomum est cortex arboris nascentis in India ac Æthiopia. Duo eius sunt genera, Alterum tenuissimum est, Alterum uerò crassum. In medicina crasso Cinnamomo utendum est ad stomachum purgandum, Tenuissimo uerò ad confortationem cordis. Hi cortices bonitate antecedunt, qui odorati sunt, & acres, dulcedine quadam permisti, ac colore rubescentes, Cortices candidi ac nigri nullius sunt precij uel honoris. Cinnamomum ad decem annos syn ceras uires seruat.

TEMPERAMENTVM.

Cinnamomum calefacit in tertio ordine, & exiccat in secundo.

VIRES AC IVVAMENTA.

Cinnamomum cum aqua potum expellit secundas, & menses trahit. Maiorem ad hæc omnia efficaciam habet, si in puluerem redactum misceatur cum myrrha.

Vitia cutis in facie, & lentigines ex melle litum exterit: sedat tussim: pituitæ destillationes cohibet. Ad renum dolores, aquam intercutem, urinæ difficultates expetitur.

Cinnamomum rubescens malos humores in homine expellit, stomacho bonum creat odorem, eiusq; frigiditati succurrit.

Purgat quę oculorum claritati officiunt: collyrio admixtum eorum humiditatem desiccat. Tritum & cum aceto mixtum, impetiginem curat.

Cinnamomum confortat cor, bonumq; creat sanguinem, unde & Cardiacis auxiliatur.

DE CITRO SEV MALO CITREA ET EIVS FRVCTV.

NOMEN-

NOMENCLATVRAE.

Μηδικὸν ἢ Περσικὸν ἢ Κεδρόμηλον. ἢ Κίτριον.

A Citrus. Citrea malus seu medica. Malum medicum. Persicum. Citromalum. Et Citreum malum.

Citrinat Apffelbaum. Citrinat äpffel. Citryn äpffel.

ANNOTATIO IN CITREAM MALVM.

CITREA malus seu medica, quam & Persicam autore Theophrasto, & Assyriani, Plinio referente, uocant, cuius fructum uulgò Citreum malum uel Citro malum appellant, uel malum Citri. Græci malum Hespericum, autore Iuba, qui ab Hercule translatum id in Græciam, & aureum malum uocatum scripsit, ut Virgilius de ijs intellexisse uideatur, cum dixit: Aurea mala decem misi. Quę auri colore relucent Poma, aurengia uulgus appellat, ut inquit Ruellius: Quæ ex uiridi in luteum languescunt, Citreola & tandem Citrula nominant. Quæ ouata specie turbinantur, si luteo colore nitent, citrangulà priuatim Citrea uocant, Si herbaceo colore uirent, limones dicunt. Huc accedit, quod Antonius Musa inquit, nos citri genus quod succo potissimum abundat & ualde acerbo, limonem appellamus.

DESCRIPTIO.

Citrus seu Citrea malus arbor est toto anno fœcunda & pomifera, alijs cadentibus, alijs matureſcentibus, alijs uerò subnascentiB bus malis, folio lauri, intercursantibus spinis, fructu perenni, Pomum oblongum est, rugosum, colore ad aurum inclinato, cum grauitate odoratum. Interdum quoq; rotundam figuram habet. Sotion rei rusticæ celebris Author, iubet Pomũ Citri, subacta gypso studiosè perlini, ut toto anni curriculo inoffensa integritate illæsum omni uitio seruetur.

Citria mala nõ putrescere promittit, quæ aceruis hordei fuerint obruta.

Tradunt alij malum per totum annum custodiri, si uasculis quibuscunq; claudatur. Alij singula singulis fictilibus claudunt, & opaco loco ordinata custodiunt. Plerìq; in cedri scrobe, uel in straminibus minutis, uel in paleis tecta seruant.

TEMPERAMENTVM.

Citrium malum refrigerat & desiccat in secundo ordine. Ægineta inquit: Citrij medium acidum aut qualitatis expers est, in quo semen tertij refrigerantium siccantiumq; ordinis habetur, cortex siccat in secundo quidem abscessu, sed non item refrigerat, acri uirtutè prædituS: caro ipsius crassi succi est, pituitę generandę apta, & frigida: semen digerit, & in secundo ordine desiccat, folia arboris siccandi discutiendiq; uim repræsentant.

C Semen habet pirorum seminibus simile, & amarum, fructus in se continet triplicem formam, quod inferiore parte fructus est, acidum saporem præstat, ut acetum, & natura refrigerat, medium autem quod inter medullam, & corticem est, calidum & humidum natura est.

Cortex natura calefacit atq; desiccat, cuius usus est in medicina. Actio cortex calefacit, & resiccat tertio recessu; Caro autem refrigerat & humectat primo.

VIRES AC IVVAMENTA.

Oris halitum & suauitatem commendant decocto mali citrij cum luto aut succo expresso. Idem præstat decoctum corticis.

Creduntur cortices in armarijs & scrinijs compositi, erosionum noxas à uestibus arcere. Suffitus ex corticibus remouet malum aërem, unde pestis oriri solet.

Cortex Citri ad omnes affectus stomachi conuenit, ciborum concoctionem adiuuat. Aduersus atram bilem, & tristicias quas excitat, opitulatur. Omnes uiscosos humores ex intestinis pellit, Melle conditus uentrem calfacit; & humorem, qui coijt, expurgat.

Puluis ex cortice in uino potus, iocineri & stomacho confert.

Medulla huius fructus conducit ad inflammationem membrorum. Cuius loco licet ex Pharmacopolio sumere unguentum Citri-
D num, quod etiam ad cutem attritam, & confricatam ex longo itinere, labore uel pruritu prodest, si illinatur, & inprimis ad calidos tumores, ut unguentum album. Idem faciei illitum lepram inde tollit.

Conditum fit ex malo citreo, quod comestum ab hominibus infirmis, & Lipothymia laborantibus, cor confortat & omnia interiora membra.

Ex succo fit Syrupus acido sapore, qui itidem cor confortat, uenenumq; inde pellit, & auxiliatur contra malũ & infectum aërem, ac febres pestilentiales.

Mala Citrea assis & calidis obsonijs adhibentur omni tempore, æstate tamen præcipuè, quòd bilem reprimunt, sitim extinguunt, & desiderium edendi inducunt. Comeduntur & in prægnantiũ fastidijs, quod malum Græci cyssan dicunt. Semen omnibus uenenis aduersatur, priuatim morsibus Scorpionum, & potu & appositu resistit.

DE COCCO GNIDIO.

NOMENCLATVRAE:

Θυμελαία. Κνίδιος κόκκος.
Coccus Gnidios. Thymelæa; Mezereon. Laureola.
Kellerſhals. Sprenckkörner. Zwiland.

ANNO.

A

ANNOTATIO IN COCCVM GNIDION.

COCCVS Gnidios, Mezereon, & laureola diuersę sunt herbę, in quibus Pharmacopolę grauiter errant, quum eas ita confundunt, quasi sint una herba. Habent autẽ talem differentiam, ut Ottho Brunsfelsius, & Ruellius indicant. Coccus Gnidios planta est quam Dioscorides Thymelæam appellant. Mezereon uerò est Chamelæa apud eundem, & Laureola est Daphnitis. Semen Thymelææ Dioscorides appellat Coccum Gnidion. Thymelęa nomen habere uidetur, ab olea cui similis est, & à Thymo herba, cuius habet flores. Aliqui hanc plantam Pyrosachnen uocarunt, ab urendi ui quam habet: πῦρ enim Græci ignem uocant: nec aliud Pyrosachne compositum ex igne & tenui stipula nomen indicat, quàm quod egregiè urit.

DESCRIPTIO.

Coccus Gnidios est frutex folia habens ut Prunus syluestris, quam Acatiam uocant, sed absq; spinis, in cacumine flores producit rubicundos, ex quibus proueniunt grana nigra ad Piperis similitudinem, quæ gustata linguam acriter mordent, Rami eius ad ignem accendendum optimè conducunt, qui humi sparsi iacent. Nascitur montanis & asperis locis. Dioscorides hoc modo describit. Hæc planta speciosas ex se uirgas mittit, gracilesq; & bicubitales fere. Folia Chamelææ, uel oleæ similia habet, uerumtamen an
B gustiora pinguioraq;, & in commanducando gummosa glutinosaq;, flores candidos, & in eis semen myrto simile, paruum, rotundum, à principio uiride, mox rubens: operimentum cuius foris durum nigrumq;, intus uerò candidum est.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat in quarto ordine, ut Mesue testatur. Et iocineri alijsq; membris interioribus natura nocumentum infert, quicunq; uerò uti uoluerit, prius in lacte decoquet, & spumam in. detollet, uel in antiquo iure gallinaceo, tũ malicia eius corrigitur.

VIRES AC IVVAMENTA.

Detrahunt per aluum bilem, aquas, pituitam, uiginti granorum nuclei, uerum fauces adurunt: quare cum farina polenta ue, aut in acino uuæ inclusi, aut melle cocto obducti dantur deuorandi. In difficili sudore cum nitro, & aceto triti perunguntur, sed prægnantibus obest.

Theophrastus inquit. Granum Gnidion semen fert Pipere maius, multoq; ad calefaciendum Pipere ualidius. Quam ob causam cum dant (datur autem ad soluendam aluum) in pane aut adipe inuolutum dant: alioqui fauces urit.

Noxia stomacho herba est. Folia per messem carpenda sunt:

C post quod siccantur in umbra & seruantur. Ea cum danda erunt, tundenda prius,& auferendę omnes eorū fibræ, purgant corporis aquas pondere acetabuli in diluta uini potione pota: mitiorem tamen purgationem faciunt elixæ lenti aut concisis oleribus mixta.

Mezereon ab Arabibus dicitur herba, quam Dioscorides Chamelæam appellat, & interpretatur quasi rapiens uitam, ut Mesue testatur. Hæc herba uenenum in se continet, igitur eius usus periculosus est, nisi uenenum alijs rebus ei adimatur. Omnes aliæ herbæ, quę sub hoc frutice nascuntur, etiam uenenosę sunt, & hominem interimere possunt, si quis eas in cibo sumpserit.

DE COLOQVINTIDA.

NOMENCLATVRAE.

Κολοκυνθὶς.

D

Colocynthis.
Coloquintida.
Sylvestris Cucurbita.

Coloquint.
Wilder Kürbs.
Ein weisser bitter Apffel.

ANNOTATIO IN COLOCYNTHIN.

COLOCYNTHIS à Romanis Cucurbita Sylvestris appellatur, quidam Cucurbitam amaram uocant. Hodie officinis omnibus Coloquintida Barbarè dicitur. Notissima est apud omnes Colocynthis,& peculiare antiquorum Pharmacum. Quidam ex recentioribus medicis eius usum improbant, ac consulunt ne quisquam ea utatur, quia adeò uiolenta res sit, ut magis turbet quàm prosit. Sed si conuenienti additamento rectè corrigatur Colocynthis, non est adeo noxium Pharmacum.

DESCRIPTIO.

Colocynthis foliis & fructu Cucurbitæ est similis, sarmenta & folia per humum strata repunt, fructum fert in orbem circumactum mediocris pilæ quantitate, egregiæ amaritudinis. Vsus eius est admodum periculosus, nam uenenum in se habet, quare perimit, & difficilem anhelitum reddit, magnamq; creat imbecillitatem,& frigidum sudorem.

TEMPE.

A

TEMPERAMENTVM.

Calefacit in tertio gradu, in ſecundo deſiccat: durat fructus integra natura & uiribus ad quinq; annos.

NOCVMENTA EIVS.

Colocynthis nocet cordi, ſtomacho, & iecori, faciens in homine operationes difficiles: & aperit orificia uenarum, ſanguinem ſuprà & infrà potenter educit, deradit inteſtina, & uias urinæ. Proinde quiſq; qui ea uti uoluerit, uideat, ut eam prius miſceat, & uim mortiferam ei adimat. Quare ſi ad ſtomachum uti uoles, tum ultra ſemidrachmam non accipies, & admiſce maſtichem, ita enim non nocebit. Poteſt etiam Colocynthis miſceri cum Draganto, Bdellio & Gummi Arabico.

Parari quoq; poteſt, ne uenenum eius homini noceat, hoc modo, Accipe Colocynthida iam maturam, & farctum illud quod interius, quemadmodũ in Cucurbita ſatiua, in eo continetur, cultello excinde, quod in aquam mulſam, in qua myrrha ſit decocta conijce, & in ea aliquandiu ebullire ſine, ac deinde ſiccari.

VIRES AC IVVAMENTA.

Colocynthis unius obuli pondere ſumpta ac aqua mulſa permi-
B ſta corpus optimè purgat ex malo Phlegmate.

Expellit Phlegma & ſuperfluos humores ex membris interioribus.

Vſus Colocynthidis ſalutaris eſt ad uehementes, & antiquos dolores capitis; & præcipuè medetur illis qui propenſi ſunt ad Apoplexiam, & morbum Comitialem.

Conducit ad aſthma & antiquam tuſſim.

Auxiliatur etiam contra coxendicum, & pedum dolores, & contra aquam intercutem. Ad morbos adeo graues ea licet uti, ſed ita ut prius paretur ut ante dictum eſt, atq; ut hoc fiat cum ratione. Quare quiſq; ſibi caueat, qui ea uti uelit, ne damnum alicui inferat.

Cum aceto permiſta, ſcabioſam cutem ſanat, ſi inde lota fuerit.

Infuſa quoq; clyſteribus, inteſtinorum omnium uitijs medetur, & renum, & lumborum, & paralyſi eiecto ſemine. In morbo quoque regio utiliter ſemina eius ſumuntur, ſi protinus aqua mulſa ſuperbibatur.

Carnes eius cum Abſinthio, & ſale tritę, dentium dolorem tollunt: ſuccus uero, cum aceto calefactus, mobiles ſiſtit.

Decoctum Colocynthidis in aqua mulſa, uel paſſo refrigeratum ſub die craſſos humores & ſtrigmenta detrahit.

Virenti ſucco utiliſſimè iſchiadici perfricantur.

DE COLVBRINA.

C

D

NOMENCLATVRAE.

Ἀραχοντία μεγάλη.

Colubrina. Colubra. Serpentaria. Viperina. Draculus maior. Collum Draconis. Dracontion. Biſtorta.

Nater wurtz. Schlangen kraut. Küwurtz. Stoltz heinrich.

ANNOTATIO IN COLVBRINAM.

COLVBRINA à Pharmacopolis dicitur herba quam Dioſcorides Draculum maiorem appellat. Latini Serpentariam aut Colubram uocant, quæ nomina ſortita eſt, partim à radice, partim à caule & foliis, Vel ut quidam uolunt, quòd contra ſerpentum, & uiperarum uenenum Antidotum ſit. Alij etiam Biſtortam, Serpentariam nominant, ſed longè decipiuntur: quoniam radicem Biſtortã non habet Serpentaria.

DESCRIPTIO.

Colubrinæ duę ſunt ſpecies. Maior criſpis eſt foliis. Radicem habens foris colore cineritiam, intus candidam. Minor uero quę appellatur Aron, foliis eſt planis & leuibus, cum longa & candida radice, quæ, ut Meſue inquit, ad nigredinem uergit exterius, interius uerò

A uerò alba est. Et super utriusque radicem eleuantur thyrsi, habentes maculas ad modum serpentis.

Dioscorides aliter maiorem describit, inquiens. Nascitur Dracunculus maior umbrosis locis circa sepes. Caulem habet rectum, bicubitalem, baculi crassitudine, uersicoloremq;, innato leuore, ut angui similis uideatur. Abundant & euincunt in eo purpureæ maculæ: folia fert rumicis, sibi inuicem implicita: semen in summo caule racemosum, cinereo à principio colore: cum maturuit deinde capillamentorum croci colore, puniceumq;. Radix est grandis, rotunda, candida, tenui libro uestita.

Plinius triplici effigie Dracunculum demonstrat, Dioscorides uerò duplici effigie. Ottho Brunsfelsius in uolumine Herbario quod Germanice conscripsit, ultra quinq; genera enumerat & describit. Quam Herbarij Colubrinam appellant, etiam in hortis plantatur, gaudet etiam humidis & umbrosis locis. Melior pars totius plantæ est radix, ut inquit Mesue, quæ colligenda erit in uere, & circa principium æstatis. Effoditur per messem radix, lotaq; in caleolas secatur, quę funiculo traiectę in umbra siccantur, teste Dioscoride.

TEMPERAMENTVM.

B Colubrina calefacit & desiccat in tertio gradu. Maior calidior est natura minori. Vtraq; est abstersiua, incisiua, penetratiua, apertiua, & humorum subtiliatiua.

NOCVMENTA EIVS.

Nocet utraq; acuitate sua hepati, & uentriculo, attrahens ad ea membra, quicquid usquam est pernicioſorum humorum in toto corpusculo. Odor pręterea teneros conceptus ab ortu uiciat.

RECTIFICATIO EX MESVE.

Verum hoc quicquid est malicię, emendatur cum Rob, atit melle passularum, aut speciebus elefanginis, deinde commiscendo ei aliquid ex simplicibus stomachicis stipticis, cuiusmodi sunt: Citonia & mastiche. Ministrantur & Trochisci Diarhodon: post eius exhibitionem præparatur etiam sic: Munda radicem Crispæ, & laua in uino, deinde coque in aqua: uel si id non lubet, & magis expedit, ui gorem enim coquendo remittit, tere puluerem eius lb. duas & Rob. lb. 6. uel mellis & Rob, ana lb. ʒ. Piperis, Cinnamomi, Zinziberis, macis, gariophilorum, ana drach. ij.

IVVAMENTA ET REMEDIA.

Colubrina ischiadicis opitulatur, si inde bibant, ciet urinam, & uenerem stimulat, & naturam hominis confortat. Contrita & cum ouis comesta, suspirioſis medetur, pectus lenit, pulmonem expurgat, ac tollit tussim.

C Succus auribus calidus instillatus, tinnitus ac susurrus earum discutit. Quidam & succo contra dolores aurium usi sunt, cum oleo instillantes.

Radix in aqua elixa, cutem lepra infectam, expurgat, si inde lauetur. Eadem contusa & imposita, ad articulorum contusiones prodest. Conducit mulieribus quorum menses supprimuntur, fœtus mortuos ex utero educit, quare usus eius grauidis est noxius, nisi tempus pariendi adfuerit. Fugat uenenata animalia.

Radix potissimum efficax est contra pestem, si in puluerem redacta cum Theriaca & aqua Endiuiæ assumatur.

Prodest tosta & elixa cum melle in eclegmate, & sic imposita, non nisi recta ceruice spirantibus, ruptis, conuulsis, tussi, & à capite in subiectas partes destillationibus.

Concisa & ex melle illita, phagedænica, & malefica ulcera, præsertimq; addita uite alba, purgat. Conformantur ex ea etiam addito melle collyria ad fistulas. Ex melle inunctæ ea etiam uitiligines delentur. Polypos narium & Carcinomata absumit. Folia etiam ueluti adstringentia recentibus uulneribus, & pernionibus in uino decocta imposuerunt.

Radix medetur morsibus uenenatorum bestiarum, si ex ea in uino quis bibat, uel loco affecto imponat. Ferunt præterea non uulne
D rari à uiperis eos, qui manus Dracunculi foliis confricuerit, aut radicem eius effossam manibus gestet. Vtilis & succus eius oculorum medicinæ contra nubeculas, albugines caliginesq;. Ad dealbandam faciem, & mundandam, puluerem eius tere cum aqua rosacea: inde rursum exiccata in sole aqua, & siccato puluere, adde Cerusæ drachmam. i. cum aqua rosarum, & line.

Contra Cancrum, Accipe partes tres puluueris Colubrinę, & tertiam calcis uiuæ, atq; cum aceto distempera, postea inspergito, corrodit enim, mundificat, & sanat.

Radix ut Apuleius inquit, cum axungia facto malagmate ossa fracta è corpore extrahit.

DE AQVA COLVBRINAE.

Tempus distillandi conueniens est, ut radix concisa & contusa distilletur intra mensem Iulium & Septembrem.

Aqua Colubrinæ ij. uncijs pota medetur pesti. Itidem mane & uesperi pota, auxiliatur tussi, ac malos humores è pectore pellit, prodestq; urinæ stillicidio. Conducit si quispiam ceciderit, aut percussus fuerit, aut ictus, ferroq; læsus, quòd sanguis intra corpus uel cutem concretus fuerit, tum accipe libram huius aquæ, & iiij. uncias seminis sinapi contusi, & tempera cum iiij. uncijs aquę Cerepholij, & linteolo percolabis, atq; ad modum lactis exprimes, inde homini ma-

A mini mane meridie ac uesperi una uice ad iij.nncias bibendum dabis, ut prius semiuncia sacchari penidij admixta sit, hoc remedium præstat: Si cum Gossipio imponatur recentibus uulneribus, sanguinem eorum sistit.

Vulnera etiam sanat lineis pannis imposita, uel duabus uncijs mane & uesperi pota.

Pedes frigore stupidos mane & uesperi ea aqua lauato, tum frigus expellitur, & mitigatur.

A uipera uel serpente morsus uel ictus, locum affectum linteolis in ea intinctis lauet, uel etiam imponat, tum auxilium præstat.

Eadem cum Gossipio naribus indita polypum absumit.

Ad Cancrum quoq; efficax est, linteolis imposita.

DE CONSOLIDA MAIORE.

B

NOMENCLATVRAE.

Συμφύτον
μέγα.

Consolida maior.
Symphyton maius.
Solidago.
Anagallis maior.

Walwurtz.
Schwartzwurtz.
Beinwell.

ANNOTATIO IN CONSOLIDAM MAIOREM.

CONSOLIDA maior herba est quam Dioscorides Symphyton alterum: Galenus uerò Symphyton magnum appellat, Romani etiam Solidaginem eam appellant, neq; dubium est, quin ab effectu

C effectu ea nomina tam à Græcis quàm à Latinis ei imposita sint, nempe à consolidando & glutinando, quòd præ multis alijs herbis inprimis facit, unde & uulneribus curandis, & sanguine sistendo maximè commendatur. Radix enim tam acri uirium robore est prædita, ut si ollæ ad ignem imponatur cum dissectis carnibus, eas conglutinet, & ex multis frustis, unam tantum partem faciat. Est adhuc aliud genus Symphyti, quod Dioscorides petræum uocat, propterea quòd in Petris & locis saxosis nascitur, quod Herbarij necognoscunt quidem. Herbarij recentiores tria Symphyti seu Consolidæ genera constituunt, præter petræum. Magnum de quo hic agitur: Minus, sed radice intus & foris alba, fere bulbi effigie rotunda. Minimum flore in spicam purpureo, ac folio quidem origani, ut petræum, sed in humidis genitum, radice lignosa, superuacua, nec odorata, nec dulci, nec saliuam ciente: quæ sunt in petræo omnia.

DESCRIPTIO.

Consolidæ duo sunt genera, Minus scilicet, & Maius. Minus folia habet crassa, & Origano simile est, caulem lignosum, odoratum, ac dulcem habet. Radicem autem longam subruffam ac digitali crassitudine. Maius habet oblonga, & hirsuta folia, ad linguę
D bubulæ, quam Buglossum uocant, foliorum figuram accedentia, caulem concauum, duorū cubitorum altitudine, floresq; candidos habet. Radices illi sunt foris, & in superficie nigræ, intus candidę, & glutinoso lentore molles: quarum usus tantum est. Maius ubiq; est notissimum. Minus ignotum est, & ut Brunsfelsius putat, est Dioscoridis Symphytum petræum.

TEMPERAMENTVM.

Consolida est calida & sicca, cum caliditate temperata, & cum humiditate uiscosa, ut Vigonius scribit.

Ex contrarijs potentijs constant, ut Galenus, & Ægineta inquiunt, habet namq; uim secandi, ideoq; Pus in thorace, & pulmonibus collectum expurgat, habet etiam aliquam contrahendi uirtutem, qua sanguinis excreationes medetur. Item calida quædam humiditas ei inest, qua sitim arcet, & arteriæ asperitates sanat.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radix trita ac pota, sanguinem expuentibus ac ruptis prodest. Eadem trita, quassatis & contusis articulis utiliter imponitur.

Herba eandem cum radice habet uirtutem.

Herba unà cum radice contrita, & nigris pustulis emplastri modo imposita, pus inde extrahit, & sanguinem conglobatum, ex casu uel contusione dissoluit.

Radix recentia uulnera glutinat illita.

Inflammatio-

A Inflammationibus, præsertim sedis, & inteſtinorum, cum foliis Senetionis utiliter illinitur. Enterocœlas cohibet.

Ad profluuium mulierum, herbæ Conſolidę puluerem molliſſimè contritum, potui dabis in uino, et reſtringuet.

Oris ulcera, rimas, & condilomata mirabiliter reſtituit.

Succus cum oleo mixtus ſanguinem ſiſtit.

Multis modis hæc herba uſurpatur. Aqua enim ex ea poteſt diſtillari, & pro potione uulneraria propinari. Vel linteola poſſunt in ea madefieri, & imponi, quando aliquid ſedare uel ſanare uolumus. Quidam herbam cum radice ſimul contundunt, & loco affecto imponunt, quidam decoctionem ex ea parant.

DE AQVA CONSOLIDAE MAIORIS.

Radix tantum diſtillatur in medio Veris.

Aqua Conſolidæ pota medetur ruptis, & illis qui crus cadendo fregerunt, eamq; pondere trium unciarum mane, meridie, ac veſperi aſſument.

Rimas labiorum ſanat, ſi ex ea lotæ fuerint.

Conuulſiones ſufferueſcentes compeſcit, ſiue quaſcunq;, alias etiam uſturas, & ardores extinguit, lineis pannis impoſita.

Eodem modo ſedat ſacros ignes, & expellit exteriores tumores.

B Cum Goſſipio impoſita, ſanguinem uulnerum ſiſtit.

Idem præſtat, ſi cum alio potu mixta per diem bis aut ter bibatur.

DE CONSOLIDA REGALI.

NOMENCLATVRAE.

Conſolida regalis.

Ritter Sporen.

G ANNOTATIO IN CONSOLIDAM REGALEM.

CONSOLIDA Regalis etiam inter Consolidę genera à uulgaribus Herbarijs numeratur. Multis enim alijs herbis id nominis competere potest, quibus uires pares, & temperamentum ęquale. Igitur non uidentur errare Herbarij illi qui quatuor, uel quinq; genera Consolidæ ostendunt. Nondum nobis constat, quomodo Gręce uel Latine apud Dioscoridem, & Plinium appelletur. Vulgò dicitur **Ritter Sporen**/quia flores eius formam calcaris repręsentat.

DESCRIPTIO.

Consolida regalis habet uiolaceo colore flores, medius folliculus in floribus cum cauda est rubicundus, alioqui omnino uiridis est. Radix gilua est. Nascitur in locis cultis palmi altitudine.

TEMPERAMENTVM.

Calidi & sicci temperamenti est.

VIRES AC IVVAMENTA.

Abstergunt ruborem oculorum flores eius triti, atq; in aqua rosacea macerati: adeoq; tota ocularia herba est, quæ quibuscunq; facilè oculorum malis medicatur, & quæ uel conspecta etiam crebro sanet.

D Ab studiosis in precio habetur, unà cum Ruta. Siquidem credunt illius crebro intuitu, nunquam se ex oculis laboraturos. Quare eam in suis musæis suspendunt.

DE AQVA CONSOLIDAE REGALIS.

Optimum distillationis tempus est, ut herba unà cum caulibus, & floribus concisa distilletur circa principium Iunij.

Aqua illius uel decocto florum utuntur experimentatores contra atram luem, ardores & æstus, tussim, tumores, uenena, uomitiones & Cholericam passionem: aduersus stranguriam, calculos, ischiada, & coxendicen: Item ad deijciendam aluum, datur autem pondere iij. uel iiij. unciarum.

Ei quoque qui iam ex calore in syncopin decidit, si porrexeris Consolidæ regalis unciam unam, aquę, rosaceæ, Boraginis, & Buglossæ florum drach. iij. & continuò refocillabitur.

DE CORIANDRO.

NOMENCLATVRAE.

Κόριον. Κοριάνον.
Coriandrum.
Corianum.
Coriander.

A ANNOTATIO IN CORIANDRVM.

CORIANDRVM Græci Corion aut Coriannon uocant, à cimicibus, quos folia eius & caules olent. Siquidem insectū illud Græci Corin uocant, ideo plantam eos olentem Corion nominauerunt. Non secus enim Coriandrum fœtet atque illa quam Cotylam fœtidam uulgò uocamus. Sunt contrà qui quòd Coriannon Græci frequentius quàm Coryon, Coriandrum uocent, non à cimicibus, sed quasi Coriamblon, id est hebetantem oculorum pupulas dictum fuisse uelint, κόρην enim oculi pupulam & ἀμβλύνειν hebetare ijdem Græci dicunt: quod quàm uerum sit, peritiores intelligent. Quocunq; autem nomine uocetur, herba est notissima, ac semen præcipuè, & à Dioscoride atq; Nicandro inter uenenatas herbas enumeratur, quòd sua frigiditate mentem offendere dicatur.

DESCRIPTIO.

Coriandrum caulem habet altum & rubicundum, folia Petroselino similia, sed latiora tantum, semen rotundum & intus concauum: florem album gerit, ueluti ex quadam umbella parum diuulsa, neq; admodum coacta prodeuntem. Nascitur ferè in hortis.

TEMPERAMENTVM.

B Vim refrigeratoriam habet, ut inquit Dioscorides. Quidam ut Vigonius testatur, Coriandrum dicunt esse frigidum & siccum: quidam uerò calidum, Ab effectu enim cognoscitur calidum esse: quia uentositatem & Schrophulas resoluit. Ex alio enim latere ostendunt esse frigidum & siccum. Quia sumptum post cibum, cibi uapores compescit, & ne ad caput ascendant, prohibet. Galenus ac Paulus Ægineta ex contrarijs uirtutibus compositū esse testantur.

VIRES AC IVVAMENTA.

Coriandrum feruentibus ulceribus prodest: & præcipuè nigræ pustulæ ad modum pestis uenenosæ, quam Carbunculum uocant, cum aceto & oleo rosaceo aut melle sumptum.

Vertiginem capitis discutit. Seminis usus auxiliatur morbo comitiali laborantibus. Videndum tamen erit, ne copiosius sumatur, noxium enim est, ut semen Hyoscyami, & difficilis concoctionis.

Coriandrum siccatum & aceto maceratum, aut saccharo inuolutum atq; conditum, stomachū utentibus corroborat, & suauem oris reddit anhelitum.

Contusum & cum melle oleoq; rosaceo permistum, ac testium ulceribus illitum, citò ea sanat.

Mulieribus uenerem minuit. Genituram autem uiri adauget, ut Dioscorides testatur.

C Reprimit uapores è ſtomacho caput petentes, quare in cibo illis eo utendum eſt, qui morbo caduco ſunt obnoxij, Nam cauſa huius morbi eſt, quòd creatur ex uaporibus, qui ex ſtomacho ad caput eleuantur.

Semine crudo non eſt utendum, nocet enim ſanguini ſed in aceto macerato, atq; ſaccharo inuoluto licet uti. Vnde & Platina inquit. Comedunt Aniſum & Coriandrum ſaccharo inuolutum delicatiores menſæ, ad oris & capitis medelam: fœniculum uulgares.

Aceto præparatum uel ſaccharo obuolutum deprimit uapores è ſtomacho caput petentes.

Herbę nullus uſus eſt, cauſa mali odoris quem habet, nocet enim capiti.

Coriandrum cum aceto præparatum ac contritum, & cum ſucco plantaginis ſumptum, Prodeſt contra fluxũ ſanguinis narium.

Xenocrates tradit rem miram, ſi uera eſt: menſtrua contineri uno die, ſi unum granum biberint fœminæ: biduo, ſi duo: & totidem diebus quot grana ſumpſerint.

Succus Coriandri cum aceto permiſtus, refrigerat & extinguit ſacros ignes.

Semen cum paſſio ſumptum, lumbricos puerorum pellit.

Succus eius cum ſucco lactucæ & plantaginis, & albumine oui, & oleo roſato, omnibus ſimul conquaſſatis, apoſtematibus calidis,
D & hereſypelatis, uehementer opitulatur, ſi quis imponat.

Vlceribus ſi imponatur, expellit & ſanat ea.

Semen in aqua coctum & potum, ſolutionem uentris ſtringit.

Coriandrum puſtulis peſtilentialibus impoſitum, eas extinguit.

Succus cum ceruſa, ſpumaue argenti, nec non aceto & roſaceo illitus, ardentes ſummæ cutis inflammationes emendat.

Decocto Coriandri, ut Vigonius inquit, cum farina fabarum, & oleo roſaceo & myrtino, ad ignem de omnibus faciendo emplaſtrum ſolidum, apoſtemata teſticulorum calida potentiſſimè reſoluit, dolorem mitigando.

Platina docet quòd Coriandro ſimplici, & nondum correcto haud uti debeamus, propter innatam maliciam, ſed uel cum melle, uel cum uua paſſa, uel quod ſuauius ac ſalubrius eſt, aceto præparatum ac ſaccharo inuolutum.

NOCVMENTVM CORIANDRI.

Coriandrum liberalius & copioſius, ac non præparatum ſumptum, uocem exaſperat, cerebrum obtundit, & ebrietati ſimilem cum turpi loquacitate furorem facit.

Antidotum eſt, Vinum meracum cum Abſinthio. Bibuntur etiam utiliter contra Coriandrum ouorum putamina in ſe ipſa con

fracta,

A fracta, tritaq; & cum muria diluta. Quinetiam Muria ipsa per se bibitur, salsumq; gallinaceorum anserisue esculentum ius. De hoc uide Dioscoridem lib. 6.

M. Varro Coriandro subtrito cum aceto, carnem incorruptam æstate seruari putat, si inde salita fuerit.

DE COSTO.

NOMENCLATVRAE.

Κόστος.

Costus.

Costen/Ein Wurtzel inn der Apotecken.

ANNOTATIO IN COSTVM.

COSTVS frutex est, cuius radix tantum in precio est, fructus inutilis. Tria eius genera: Arabicum quod cæteris præstat, candicans, leue, & plurimo ac eximio odore. Proximum nobilitate succedit Indicum, crassum & hoc, ut nigrum Syriacum graue, buxi colore, nares ualidè feriens. Probatissimum omnium, ut Dioscorides

B testatur, recens, candicans, undiq; plenum & densum, quod itidem arida soliditate sit, nullas teredines senserit, nec uiroso odore sentiatur, feruido & erodente gustu. Vnde conijcere possumus, non esse ueram Costi radicem, quam Pharmacopolæ, hoc tempore pro ea ostendunt, quum nec candida sit, nec leuis, nec odorata.

TEMPERAMENTVM.

Costus calefacit in tertio gradu, & in secundo desiccat. Est Costo uis & natura calefacere, ut inquit Dioscorides, urinam ciere & menses ducere.

VIRES AC IVVAMENTA.

Costus contusus & oleo oliuarum permistus, & corpori infricatus, febrium rigoribus ante accessiones conducit.

Vsus eius etiam prodest, quando paralysis pedes, uel aliam partem corporis occupauit, si ex eo inungantur, nam humores fundit⁹ extrahit, & calefacit membra.

Radix cum uino pota, lumbricos latos pellit.

Abstergit eadem asperam & discolorem ceu à sole facici cutem, ex aqua & melle inuncta.

Radix Costi omnibus corporis membris refrigeratis conducit, eritq; sumenda iuxta consilium medici.

Cum uino pota, auget genituram hominis & Venerem stimulat.

C Muliebrium locorum frigidis affectionibus succurrit, si ex eà la-
uentur uel foueantur, uel cum uino bibatur.

Eadem cum uino adusto elixa, medetur membris resolutis uel paralyticis, si ex ea inungantur, penetrat enim & potenter calefacit eadem membra.

Bibitur cum uino & absinthio, utiliter contra pectoris dolores, conuulsa, & inflationes.

Si duarum drachmarum pondere bibatur, uiperarum morsibus subuenit.

DE COTONEIS.

NOMENCLATVRAE.

Κυδώνιον.

Cotoneum.
Cydonium.

Quiden.
Kütten.

ANNOTATIO IN COTONEVM.

D COTONEVM malum à Catone primum sic nominatum est, Græci Cydonium à Cydone oppido Cretæ, unde primum aduectum est, appellarunt. Cotoneum autem ita dici nonnulli existimant, quoniam lana quadam tegi uidetur, quæ Coton dicitur.

Genera Cotoneorum sunt, Chrysomela, hoc est aurea mala, incisuris distincta, colore ad aurum inclinato. Struthia, quæ magna sunt & suauiora, minusq; acerba.

Vera autem Cotonea quæ parua sunt, rotunda, odoratissima, efficacius ad ægritudines ualere existimantur.

Cotonea mirum in modum fece uini seruantur, ut Democritus inquit, aut fictile nouum ijs malis assignatur, operculoque picato, in uini dolio clauduntur, sic tamen, ut fluitent: ita recentia teneri promittit, & uinum in quo enatant, odorem bonum contrahere: aut in floccis tomentoue mundo cistis dispositа conduntur. Itidem plurimo tempore in scobe demersa custodiuntur: quippe scobis ariditate defenduntur. Nec secus in straminibus minutis, uel paleis obruta componuntur. Nihil tamen certius experientia docuit quàm ut maturissima quæq; Cotonea sine macula integraq;, sereno cœlo, decrescente luna legantur, & in lagena noua, quę sit patentissimi oris, detersa qua canescunt lanugine, leuiter componantur, &

laxè,

laxè, ne collidi possint, deinde cum ad fauces usq; fuerint compósi-
A ta, uimineis furculis sic sunt arctanda, ut modice mala premantur, nec cum humore fuerint imbuta, sustollantur, tum quàm optimo & liquidissimo melle uas usq; ad summū ita repleatur, ut pomum submersum sit. Sed cauendum, ne quæ in melle custodire uolueris, immatura mala condantur: quoniam cruda si lecta sint, ita indurescunt, ut usui non sint.

DESCRIPTIO.

Cotonea malus hirsuta habet folia, uulgari malo haud quaq; absimilis, fructus eius foris est lanuginosus, qui dum matureścit, luteum acquirit colorem, & lanuginem deponit.

TEMPERAMENTVM.

Cotoneum frigidum est in primo gradu, & siccum in principio secundi, habetq; naturam confortandi ac confirmandi.

Succus Cotoneorum prodest, in difficultate spiritus non nisi recta ceruice spirantibus, & subueniunt sanguinem excreantibus.

VIRES AC IVVAMENTA.

Grana Cotoneorum in aqua macerata, exulcerationem gutturis emendant, si inde fiat gargarísmus.

Eadem aqua in ore retenta, sedat sitim, linguam exulceratam sanat, & refrigerat ardorem stomachi.

Eructationem stomachi item tollit, & uomitum, stomachumq;
B corroborat, & concoctionem adiuuat.

Conditum Cotoneorum confortat omnia membra hominis, & discutit calorem non naturalem.

Potio ex eis confecta, & uesperi sumpta, inducit edendi desiderium, ebrietatemq; pellit.

Cotonea tosta & à cœna manducata, bonũ creant sanguinem, cerebrumq; confortant.

Stomacho accomodata sunt, & urinam cient.

Tosta semper meliora sunt, uel cum alijs rebus mixta quã cruda.

Qui uomitu aut stomachi subuersione uexatur, Cotonea tosta sumat cum melle, hoc auxilium præstat.

Succus Cotoneorum cum saccharo temperatus, & gutture uel ore inde colluta, sanat guttur exulceratũ, tollit linguæ asperitatem, os humectat, pellit sitim.

In quibusuis ægritudinibus Cotoneis, & eorum Electuario licitum est uti, magnum enim robur cordi præstant, & calores haud natiuos discutiunt, & generant recentem sanguinem, cor confortant, & omnia membra corporis.

In affectionibus intestinorum non sunt utenda, nam adstringunt. In febribus quoq; ab ijs abstinendum est, quando quis aluum solutam cupit.

C Lanugo eorum, ut Plinius inquit, carbunculos sanat, cocta in uino, & illita cum cera.

Decocto eorum fouentur, si procidant uuluæ & sedes. Conficitur ex ijs expetitus cibus, quem cydonitem appellant, decoctis Cotoneis ex saccharo, caryophyllis, & cinamomo.

DE AQVA COTONEORVM.

Electum tempus distillandi Cotonea est, quũ benè matura sunt, ut tum concisa & contusa distillentur.

Aqua Cotoneorum iiij. uncijs permista cum ij. uncijs uini rubei & crassi, ac mane, meridie, & uesperi pota, medetur stomacho malo, confortat enim ac corroborat ipsum, cibum in eo retinet, nauseamq; discutit: tum quoq; eructationem & uomitum sedat, omnem fluxum alui stringit assiduẽ pota.

Aqua ex floribus Cotoneorũ distillata, & à mulieribus ad duas uncias pota, abundantiam menstrui fluxus diminuit.

Eodem modo bibita confortat cor, facitq; ad nauseam & uomitum, manc, meridie & uesperi ij. uncijs pota.

DE CRETANO.

D

NOMENCLATVRAE.

Κριθμον.

Batis.
Creta marina.
Cretanus.

Meer Distelu.

ANNOTATIO IN CRETANVM.

CRETANVS uel Creta marina, ab officinis uulgò dicitur, ut Ruellius indicat, herba illa quę à Dioscoride Græco nomine κριθμον, & Latine Batis appellatur, hoc etiam ex descriptione Dioscoridis adeo clarũ est, ut non opus sit propterea quenquam dubitare.

DESCRI-

A

DESCRIPTIO.

Cretanus naſcitur maritimis & petroſis locis, foliſs pinguibus albeſcentibuſq;, flores fert candidos.

Semen profert ſimile granis tritici, ſiccat in aëre, & eſt odoratū.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; deſiccat in tertio gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radices atq; ſemen ualde promouent urinam, & expellunt calculum. Balneum paratum ex hac herba, ualde opitulatur urinæ ſtillicidio, & ſtranguriæ.

Herba ipſa cum uino decocta & pota, doloribus coxendicum medetur.

Ad tormina inteſtinorum auxiliatur, ſi cum ſucco mercurialis permiſta, clyſtere infundatur.

Dioſcorides inquit, Seminis & radicis, foliorumq; decocto, felle ſuffuſis medentur, & anguſtijs urinæ.

Eodem menſes etiam trahuntur.

DE CRISPVLA.

B

NOMENCLATVRAE.

Criſpula,
Herba Cancri,

Blůt wurtz.
Blůt kraut.

ANNOTATIO IN CRISPVLAM.

CRISPVLAM Arabes quidam, ut Iacobus de Manlijs indicat, oculum bouis, id eſt Buphthalmon uocant. Verum Dio-

c ſcoridis Buphthalmo nullo modo quadrat. Compoſitor ut idem te ſtatur, Herbã cancri uocat. Numeratur inter herbas Sanguinarias.

DESCRIPTIO.

Criſpula altum & tenuem caulem habet, in cacumine autem flo. res cœruleos cum multis capillamentis. Cum ea maureſcit, caulis areſcit, & flores in geniculum phœniceum creſcunt. Gaudet naſci in pratis & hortis graminoſis.

TEMPERAMENTVM.

Criſpula humidæ & frigidæ eſt naturæ.

VIRES AC IVVAMENTA.

Conducit ad noxios & letales humores eryſipelata, & pedum uitia, nam in cibo ſumpta, tales humores conſumit.

In uino decocta & pota, febri quartanę medetur, ea lege, ut duas horas ante acceſſionẽ ex ea bibat, & hoc quinquies ex ordine ita faciet ante acceſſionem. Paralyſi in corpore ſæuiente, ea in uino utendum eſt, & fiet meliuſcule.

Si febris ardens ſtomachum occupauerit, herbam conciſam uino impone, & calidum bibe, hoc certò medetur.

Criſpula duplex eſt, Maior, ſcilicet & Minor. Sed Maior eſt melior. Vtraq; ſanguinem uehementius ſiſtit, quàm ulla herba ſanguinaria. Item menſtrua ſtringit portata uel manducata, peſſulus
D ex Goſſipio factus, & in ſucco eius intinctus, ac naribus inditus, fluxum ſanguinis narium ſiſtit.

Herba ipſa in manibus retenta, uſq; dum calefiat, etiam ſanguinem ſiſtit.

DE AQVA CRISPVLAE.

Diſtillandi Criſpulam electum tempus eſt, ut radix, herba & caulis cum tota ſubſtantia inuicem minutim conciſa, diſtillentur circa exitum Maij, uel circa initium Junij.

Aqua Criſpulæ mane & ueſperi unaquaq; uice pondere iiij. unciarum pota, magnopere opitulatur contra omnem fluxum uentris, ſiue dyſenteria, ſiue diarrhoia fuerit, nam mirè ſiſtit. Item ſanguinem mingentibus prodeſt. Item ſex uncijs pota, & linteolo, uel molli ſtupa in ea madefacta, & uulneribus impoſita, ſanguinem ſtringit.

Eadem per diem bis ac ter duabus ac tribus uncijs pota, menſes ſiſtit.

Eodem modo pota, quinq; uel ſex hebdomadis, calculo medet.

Ad omnia uulnera conducit, ſi inde mane & ueſperi lauentur.

Facit etiam ad aſſiduum fluxum ſanguinis narium, ſi peſſulo ex Goſſipio facto naribus indatur, uel linteolo in ea madefacto fronti applicetur, præterea etiam ſex uncijs pota, ſanguinem ſiſtit.

A

DE CROCO

NOMENCLATVRAE.

Κρόκος.

Crocus.

Saffran.

DESCRIPTIO.

B CROCVS nascitur bulbo agresti floribus quadantenus similis, in medio flos crocea capillamenta continet. herba quæ circum flores hæret, gramini similis est. Radicem habet bulbosam. Quando autem seritur & tertio anno effoditur, inueniuntur apud unum quemlibet bulbum quinq; uel sex capitula, adeo intra terram coagmentatur. Optimus est Crocus, recens & nouus, qui coloris bonitate antecedit, adeo ut capillamenta candida sint, & rubore permista, neq; fragilis sit, & inter manus fricatus, eas inficiat, odore iucundo & leni acrimonia sit. Hic autem Crocus est Orientalis. Duplex namq; est Crocus, Alter qui Cartamus uel Crocus hortensis dicitur, & est syluestris Crocus, qui in rure aut in hortis nascitur, cuius ad uarias res usus est, & foris applicatur corpori, eo etiam pannos inficiunt. Alter Orientalis Crocus dicitur, qui probatissimus est in medicinæ usu.

TEMPERAMENTVM.

Crocus ad secundum calefacientium ordinem, primũ siccantium refertur, adstringit & concoquit, ut testatur Ægineta. Sunt qui in tertio calidum prodant. Durat ad quinq; annos synceris uiribus in sacculo coriaceo repositus.

VIRES AC IVVAMENTA.

Accipe boni Croci scrupulum, uel tertiam partem drachmæ, & musci granum dimidium, hoc cum optimo & calido uino permistum &

C miſtum & potum, optimum remedium eſt, contra difficultatem an helitus, ex quacunq; cauſa acciderit.

Crocus inducit pulchrum colorem bibentibus. Cor confortat, redditq; lætum ſanguinem. In cibo ſumptus bonam & facilem reddit reſpirationem, & tollit aſthma.

Vſus eius prodeſt apoſtema in pectore habentibus & aſthmaticis, medetur lieni, Venerem ſtimulat, ciet urinam.

Contra uehementes capitis dolores opitulatur, ſi inde tale fiat emplaſtrum: Accipe Croci, Gummi Arabici, Euphorbij, myrrhæ, partes æquales, & cum Oui albumine tempera, & emplaſtri modo fronti impone, hoc abſq; dubio proderit.

Contra podagram, Accipies Crocum quem cum uitello ouorum, oleo roſaceo, & aqua roſarum commiſcebis, & penna podagræ illines.

Crocus contritus cum lacte, & micis ex pane, ac apoſtematum tumoribus ac ulceribus impoſitus, dolorem mitigat, mollit & aperit apoſtemata.

Si cum Opio, farina hordeacea, lacte, & oui albo, unguenti modo inuicem commiſceatur, hoc illitum quoſuis cruciatus ac dolores ſedat & mitigat. Contra ſtomachi debilitatem, cordiſq; defectum multum ualet, ut Vitalis ſcribit.

D Oculorum dolorem ex ſanguine uel macula tollit, ſi cum roſis tritus, cūq; oui uitello emplaſtri modo, panno lineo oculo imponat.

Omnes inflationes, & oculorum dolores deſtruit, maximè ſi cum nino miſceatur, ac emplaſtri modo ſuperponatur.

Inungitur etiam, ut Dioſcorides teſtatur, contra oculorum diſtillationes, ſiſtitq; eas, ex humano lacte inunctus.

Arcet idem crapulam cum paſſo potus. Qui Crocum tritum in uino prius biberit, ebrietatem poſtea non ſentit. Aurium remediis quoq; utiliſſimus eſt.

DE CARTAMO.

NOMENCLATVRAE.

Κνίκος.

Cartamus.
Cnicos.
Cnecos.

Wilder Saffran.

ANNO.

A

ANNOTATIO IN CARTAMVM.

CARTAMVS est Cnecos satiuus apud Dioscoridem, & habet caulem altum, asperis foliis, flore aculeato ad modum cardui, in quo nascitur lutea & plena materia, quam Crocum appellant. Semen habet candidum, oblongum, & anguloſum. Duo eius genera sunt. Satiuum, & Syluestre. Satiuum folia habet aspera & aculeata, & capitula magnitudine oliuæ, florem Croco similem. Syluestris Cartami caulis ferè satiuo est similis, præterquàm quòd foliis caret. Et est genus Attractylidis, ut Ruellius testatur,

TEMPERAMENTVM.

Cartamus satiuus calefacit in primo gradu, deſiccat in secundo, Syluestris in secundo gradu calefacit, & in tertio deſiccat.

Cartamus satiuus stomacho noxius est, soluitq; aluum per superiora & inferiora, ac naturæ humanæ aduersatur, Quare eo utendum est, cum correctiuo, nempe Aniso, Galanga, & Mace, quæ ei malitiam adimunt.

Semen purgat aluum.

Item adhuc alius Cartamus est, qui Cartamus Indus dicitur, qui admiscetur medicinis catharticis, purgat enim Phlegma & hydropem.

B

DE AQVA CARTAMI.

Optimum tempus distillationis eius est, ut folia à caulibus decerpta, in fine Maij distillentur.

Aqua Cartami ualde efficax est ad sacros ignes sedandos, si linteolis duplicatis, uel triplicatis ac in ea madefactis, per diem bis uel ter super imponatur.

DE CVBEBE.

NOMENCLATVRAE.

Cubebe.
Carpesium.
Cubebeti.
Cubeberlin.

ANNOTATIO IN CVBEBEN.

CVBEBE aroma est, quod à Galeno Carpesiũ dicitur, ut Ruellius ex Actuario & Aetio tradit. Cubebe autem à Barbaris appellatur, quod nomen iam omnibus officinis tritissimum ac uulgatissimum habetur. Non sunt igitur audiendi, qui Cubebas asserunt esse fru

c esse fructum Ruſci, quam Oxymyrſinen Græci nominant. Siquidem Ruſcum in medio folio baccas fert Cerasis ſimiles, Carpeſium uerò, quod iam Cubebe dicitur, ut Galenus autor eſt, fructus fert tenues, odoratos, guſtu non abſimiles radicibus herbæ quæ Phu nominatur. Dioſcorides de Carpeſio nihil ſcriptum reliquit.

DESCRIPTIO.

Cubebe eſt ſemen quod ultra mare in arbore quadam naſcitur, quæ folia habet ad haſtæ modum acuta. Eius fructus eſt rotundus, aliquantulum depreſſus & latus, inter folia eius repertus, qui quando maturus fuerit, uergit ad rubedinem, & intra ipſum granum eſt triangulatum, autor eſt Serapion.

Cubebe duplices ſunt. Satiuæ ſcilicet & Syluestres. Syluestres minores ſunt ſatiuis, & odoratæ, ut piperis grana. Satiuæ in medicina meliores habentur quàm ſyluestres.

TEMPERAMENTVM.

Et ſunt in caliditate & ſiccitate temperatæ.

VIRES AC IVVAMENTA.

Ex ſemine Cubebarum ſi quis bibat, tum ciet urinam, mouet menſes, & calculum ueſicæ frangit.

Cubebarum uſus morbum regium diſcutit.

D In medicina Valerianæ uirtutem æquant. Opitulantur contra Catharrum ex frigida intemperie ortum, & caput confortant.

Vncia una Cubebarum in puluerem contritarum cum aqua Boraginis ſumpta, medetur uertigini & Syncopi.

Cum uino & Roſmarino decoctæ & potæ, proſunt contra morbum comitialem.

DE CVCVRBITA.

NOMENCLATVRAE.

Κολοκύνθα.

Cucurbita.

Kürbiß.

ANNO.

A

ANNOTATIO IN CVCVRBITAM.

CVCVRBITAM ſatiuam Græci κολοκύνθαν uocant, Syluestrem diminuta appellatione κολοκύνθίδα. Dicitur autem Cucurbita, ut Ruellius arbitratur, à con curuatu, quòd facile, ſi quid obſtiterit, aut fuerit impedimento, quo minus extendatur, incurueſcat.

Quatuor ſunt fructus inter quos tanta naturæ cognatio eſt, ut ſæpenumero, & proprietates & nomina Latini Græciq; confundant, ſcilicet Cucurbita, Cucumis, Melon, Citrullus. Ex quibus quatuor ſemina maiora frigida ex Pharmacopolis colliguntur ad medicinæ uſum.

Cucurbitæ ſatiuæ duo genera ſunt. Alia enim eſt quæ facili & admodum flexibili ramorum curuitate, tecta, pergulas, & teſtudines operit: atq; ideo Cameraria à Plinio dicitur, lib. 19. cap. 5. Cameratiæ (inquit) uires ſine adminiculo ſtandi non ſunt, uelocitas pernix, leni umbra cameras, & pergulas operientes. Alia quæ ſuis flagellis humi reptat, & plebeia eodem autore appellatur.

Atqui Camerariq; aut plebeiæ Cucurbitæ multiformes reperiuntur, creſcunt enim qua coguntur forma: alia in uentrem plurimum turgeſcit, quæ quidem cruda, ſaporis eſt fatui admodum, cocta au-

B tem edi facile poteſt. Alia item in longitudinem maximam producitur, ut quædam aliquando uiſa ſit nouem pedum longitudine, ut refert Hermolaus, atque hæc auguina à quibuſdam appellata eſt, ab intorti anguis figura. Alia eſt coactæ admodum breuitatis, digitali craſſitudine, non niſi in Saxoſis naſcens, à Græcis ſomphos cognominata, quia inanis ſit: à nobis autem Barbara aut marina appellatur. Alia deniq; eſt Cucurbita, quæ in lagenarum formam artifice natura creſcit, nonnunq; etiam ita formatur ac fingitur. Ligatur enim ab hortulano, quodam uinculo, ea parte qua ſtrictiorem uult facere. Qui mos etiam antiquis eſſe ſolebat, ut Cucurbitas in uaſa fingerent: poſtea maturis & inanitis ac ſiccis uterentur. Nuper em̃, inquit Plinius, Cucurbitarum uſus uenere urceorum uice, iam pridem etiam cadorum ad uina condenda.

Amat rigua ac ſimum Cucurbita, plurimumq; iuuatur humore, Quæ tamen ſine multa rigatione conualuit, fructum iucundioris ſaporis præbebit. Copiam aquæ nacta minorem curam deſiderat. Seſquipedali altitudine ſulci fodiendi ſunt, & tertia pars ſtramentis inditis tegenda: mox ſtercorata terra, uſq; in dimidium ſulcum aggerenda, poſitiſq; ſeminibus tam diu eſt aqua præbenda, donec enaſcantur: atque ubi conualeſcere cœperint, adiecta humo incrementa eorum proſequenda, donec ſulcus coæquetur. Erumpit poſt

C sextum septimunue diem. Iis quæ sicco loco mandata sunt, rigationem ministrari diligentius expediet, quare fictilia aquæ plena iuxta ponunt, inditis fascijs quæ perpetim humorem instillent.

Cucurbita planta est quæ nascitur ad formam Azari, flores habens candidos, fructus eius stercoratione & rigatione crescit in magnitudinem. Semen firmiter inhæret fructui. Dioscor.

TEMPERAMENTVM.

Cucurbita frigidi & humidi temperamenti est fructus, & seminis in medicina usus est.

Cruda Cucurbita edi non debet, est enim cibo insuauis, sed elixa uel tosta, uel in sartagine fricta, ut Galenus autor est.

VIRES AC IVVAMENTA.

Semen in uino sumptum, iocinori & lieni obstructo medetur.

Semen ab exterioribus corticibus benè purgatum, decoquetur in aqua hordeacea, quæ colata, & pota medetur iocinorosis, cietq; urinam. Quòd si ægrotus abhorruerit à potu huius aquæ, tum syrupus cum saccharo inde potest confici, qui ad omnia febrium genera prodest.

Ad ardorem ie coris, Accipe succum ex ramentis Cucurbitæ, & cum lacte atq; aceto tempera, Deinde accipe linteolum, quod in eo madefactum ie cori foris impones, multum hoc prodest.

D Fructus Cucurbitæ suspendi & siccari debet, frigore autem appropinquante semen inde eximendum est, & cum sale fricandum, ut uiscosi humores inde amoueantur. Nuclei uerò in locum siccum reponendi, ne humiditas semen corrumpat. Semen illud durat per triennium.

Ramenta Cucurbitæ infantibus contra capitis ardores, quos syriasim uocant, utiliter emplastri modo syncipiti imponuntur. Imponuntur eadem ramenta uel succus inde expressus æstuanti podagræ & oculorum inflammationibus.

Succus expressus ex Cucurbitæ ramentis medetur doloribus aurium ex caliditate creatis. In quem usum per se, & addito oleo rosaceo auribus tepidus instillatur.

Idem succus cum oleo rosaceo permistus, & spina dorsi aclumbis inde illitis, febrium ardores refrigerat. Idem sacris ignibus medetur. Cinis ex combustis corticibus ulcera pudendorum iam in putredinem uersa, purgat, atq; ad cicatricem perducit, Idem cinis mirè combusta sanat. Decoctæ Cucurbitæ succus cum exiguo melle, atq; nitro epotus aluum leniter soluit. Si quis etiam in excauata cruda Cucurbita uinum infuderit, & per noctem sub dio habuerit, temperatumq; ieiunus biberit, aluum leniter molliet.

Tumores

A Tumores & abſceſſus lenit cruda conciſaq; mox emplaſtri modo impoſita.

Decoctæ ſuccus dentium motus ſtabilit, ac dolores inhibet.

DE AQVA CVCVRBITAE.

Tempus electū diſtillandi Cucurbitam eſt, quando fructus eius ad plenam maturitatem peruenit, tum enim minutim concidi debet, & unā cum nucleis, & tota ſubſtantia diſtillari.

Aqua Cucurbitæ cum ſaccharo permiſta, ſitim ſedat, medetur tuſſi ex calida cauſa prouenienti, emollit aluum.

Eadem triginta uel quadraginta dies bis per diem, unaquaq; uice tribus unciis pota, medetur calculo renum.

Eodem modo per decem dies pota, ciet urinam, renes et ueſicam purgat. Itidem pota ardores febrium extinguit.

DE CVCVMERE.

NOMENCLATVRAE.

Σίκυς.
Σικυος.

B Cucumis.

Cucumeren.

ANNOTATIO IN CVCVMEREM.

CVCVMIS à curuitate, ut Varroni placet, nomen accepit. Græcis *σίκυς* & Attico more ſicyos uocat. Duplicem faciunt Cucumerem: Satiuum & agreſtem. Satiuus quidē deſcriptione non eget, atq; ab aliquibus, nēpe Columella & aliis, uocatur anguinus à flexibus, quòd inſtar anguis ſit flexuoſus. Agreſtis uerò, uulgò Cucumis aſininus appellatus, folia habet priori ſimilia, minora tamen, & inciſa magis: ſed fructum fert oliuæ ſimilem, paulo maiorem & ſtriatum aliquantulum, qui dum excernitur, ueluti uentoſa ſonat, & ſemen longiſſimè iaculatur: cuius ſucco conficitur id medicamentum, quod medici Elaterium uocant, cuius uſum Dioſcor. lib. 4. cap. 149. & Plinius lib. 20. cap. 1. docent.

TEMPERAMENTVM.

Cucumis ſatiuus refrigerat humectatque in ſecundo ordine, ut Ægineta teſtatur.

C VIRES AC IVVAMENTA.

Bonam facit aluum,& ſtomacho accomodatus eſt, ut Dioſcori des ſcribit. Olfactu defectus animæ reſtituit. Habet ſemen ciendę urinæ mediocrem uim. Contra ueſicæ exulcerationes cum lacte paſſoue idem utiliter bibitur.

Medentur canum morſibus ex uino emplaſtri modo impoſita eius folia. Ex melle uero ulcera, quę epinyctidas uocant.

Semen quantum tres digiti apprehenderint, cum cumino tritum potumq; in uino, tuſſientibus auxiliatur.

DE CITRVLLO.

NOMENCLATVRAE.

Citrullus.
Citrulus.
Cucumis citrinus.
Citreolus.

Citrullen.
Citrullen Kürbſen.

D ANNOTATIO IN CITRVLVM.

CITRVLVS eſt genus Cucumeris, quod à practicis medicis ſic appellatur à colore quem habet quum maturuerit, habet enim citrei mali colorem & formam, unde & Cucumis citrinus dicitur. Is eſt de quo Plinius lib. 19. ca. 5. ſcribit. Huius folia à melonum foliſs hoc differunt, quòd pluribus inciſuris diuiſa ſint, ueluti in alarũ ac pennarum formam. Dioſcorides nullã facit huius mentionem.

TEMPERAMENTVM.

Citruli frigidioris ſunt naturæ quàm Cucurbitæ, frigidos & noxios humores, malumq; ſanguinem in uenis generant, unde febres autumnales oriuntur.

VIRES AC IVVAMENTA.

Ad ſtomachi ardorem abſq; damno poſſunt ſumi.

Semen Citruli tritum & potui datum, febricitantes iuuat, dum ſitim extinguit, ut Platina ſcribit. Citrulus in hoĩe uenenatos humores creat, & cõcoctu difficilis eſt, quare eius in cibo nullus uſus eſt.

DE MELONIBVS ET PEPONIBVS.

NOMENCLATVRAE.

σίκυος πέπων

Melon. Pepon. Melopepen.
Melonen. Melunen Kürbſen.

ANNO.

A

ANNOTATIO IN MELONEM.

MELON Cucumerum generi etiam contribuitur, qui quum natiuam magnitudinem excessere, Pepones à Plinio uocantur. Quum uerò rotundi mali formã,& effigiem referunt,facta ex Pepone & malo appellatione,Melopepones sunt uocati,neq; inter eos aliud quàm ex figura discrimen quondam fuit. A Palladio uerò & medicis recentioribus à malorum figura Melones tantum appellantur,quos antiqui Pepones & Melopepones appellarunt. Præterea Græci quum fructum illum quem Melonem uulgò appellant, significare uolunt,non σικυς,id est cucumis absolute dicunt,sed σικυς πεπων,id est Cucumis Pepo,uel absolutè πεπων dicunt.

DESCRIPTIO.

Melones nascuntur ut Cucurbitæ, habentq; flores luteos.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerant atq; humectant in secundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Seminis quoq; in medicina usus est,habetq; eandem facultatem.

Gratus est Peponis usus,ut Platina inquit,uerum difficillimè ob eius frigiditatem commixtam humiditati,coquitur.

Repurgato stomacho edendus est,quia facillimè in eos humores conuertitur,& concoctionem retardat, quos prædominari in cibi

B receptaculo compererit. Hanc ob rem nobis à maioribus imperatum est, ut Pepones ieiuni comedamus,supersedeamusq; à reliquo cibo,donec in fundo semicocti resederint.

Ad stomachi calores non naturales, & febres malignas maximè prosunt.

Semen cutem purgat,si ex decocto illius cutis lauetur. Habent & abstergendi uim Melones,ut Galenus in libro de alimentorum facultatibus indicat: quamobrem etiam maculas ceu solares, & lentigines atq; summam uitiliginem extergere possunt.

Qui decolorata fuerit facie, accipiet semen Melonis, cui superior cortex detractus sit, lomentoq; addito, in puluerem rediget atq; commiscebit, unde postea pastilli cum aqua rosacea permisti conficientur, & ad solem siccari debent, quibus si facies lota fuerit, nitidam & pulchrã reddit faciẽ, omnesq; cutis turpes maculas exterit.

Semen habet uim ciendi urinam, purgat lumbos & renes.

Magis operatur semen in lumbis,quàm in uesica. Oportet enim potentius remedium præstare in calculo uesicæ, quàm in renum, uel lumborum calculo.

Superior Melonis cortex imponitur fronti,ut oculorum destillationes compescat.

Radix ulcera sanat,quos fauos dicunt, ex melle emplastri modo imposita.

C Melonem nonnulli cum aceto ſumunt, pulegium ei & cepas admiſcent, quo nocitura uis frigoris temperetur.

DE AQVA MELONVM.

Tempus optimum diſtillandi Melones eſt, ut quando maturuerunt, minutim concidantur, & diſtillentur circa Autumnum.

Aqua Melonum per tres, uel quatuor hebdomadas, mane una uice ad iij. uel iiij. uncias pota, calculo optimè medetur, ciet urinam, & purgat renes.

Item pota refrigerat, & extinguit omnes interiores calores non naturales, refrigerat iecur, ſedat ſitim cum ſaccharo temperata.

Prodeſt quoq; ad calidam tuſſim. Linteolis foris applicata, diſcutit calores, & tumores corporis, ubicunq; fuerint.

DE CVPRESSO.

NOMENCLATVRAE.

Κυπαρίσσος.
Cupreſſus.
Cypreſſus.
Cipreſſen Baum.

D

ANNOTATIO IN CVPRESSVM.

CVPRESSOS à partu ramulorum parilium uacatas Græci uolunt, ut Hermolaus Barbarus teſtatur, ἀπὸ κύειν παρίσους τοὺς ἀκρέμονας, hoc eſt quod ex æquo, & ramos & fructus creent. Eaſdem & Charitas appellari ſolitas Eteoclis fuiſſe filias adnarrãt: quę dum tripudio dearum ſubſiliunt, euolutę in puteum deturbantur. Dolens earum uicem Tellus arbores frondoſas puellis ſimiles ad oblectamentum, & rei memoriam ædidit. Cupreſſus Diti ſacra eſt, funeribus indicandis ante domos poni ſolita, ut Plinius ſcribit. Huic patria eſt Creta inſula, ubi tam familiaris à Theophraſto traditur, ut quocunq; loco quis mouerit terram ac ſubegerit, hæc gignatur, atq; protinus emigret, niſi ſeratur alia. In Idæis Albiſq; montibus etiam non appellato ſolo ſponte proſilit, ibiq; ſummis iugis, ubi niues nunquam abſunt, plurima, quod eſt mirum, alibi non niſi tempore proueniens, & nutricem magnopere faſtidiens. Cariem uetuſtatemq; non ſentit Cupreſſus, neq; rimam, neq; fiſſuram capit ſponte. Hoc etiam Vitruuius probat, inquiens. Cupreſſus in uetuſtatem ſine uitijs conſeruatur: quod is liquor qui ineſt, penitus in eius corpore ſaporem habet amarum, qui propter acritudinem non patitur penetrare cariem, neq; eas beſtiolas quæ ſunt nocentes: ideoq;

quæ ex

A quæ ex eo genere opera constituuntur, permanent ad ęternam diu turnitatem.

DESCRIPTIO.

Cupressus arbor est, quæ magna proceritate attollitur, ad formam abietis, nisi quòd ea ad secandum durior sit, floret luteo colore, producit fructum instar nucis.

TEMPERAMENTVM.

Cupressus calefacit in tertio ordine, & desiccat in secundo, Dioscorides uero inquit, quòd Cupressus astringit, & refrigerat. Galenus testatur quòd resiccandi uim habeat, absq; insigni acrimonia, aut caliditate. Apparet enim in ea leuis quidem acrimonia, sed plurima amaritudo, multoq; etiam plus acerbitatis in tota planta.

VIRES AC IVVAMENTA.

Folia, cortices & nuces Cupressi, habentur in usu medicinæ. Nuces foliis uirtute præpollent, folia in aceto contusa, & uulneribus imposita, ea purgant, acerodunt gangrænam. Eodem modo pota, medentur stranguriæ.

Nuces Cupressi etiam tusæ bibuntur cum uino contra sanguinis excreationes, intestinorum tormina, fluores alui, in spiritus difficultate, non nisi recta ceruice spirantes, & tussim. Nuces tusæ & commixtæ cum fico, uulneribus quæ serpunt, & polypis in naribus me

B dentur, si emplastri modo imponantur.

Emplastrum confectum ex foliis, & nucibus, prodest ad intestinorum ramices. Folia eius bibuntur cum uino contra urinæ profluuium, & item contra urinæ angustias. Cortices in puluerem redacti, & cum aqua Ebuli sumpti, pellit calculum ex renibus, & uesica. Nuces scabros pellunt ungues in aceto decoctæ concisæq; additis lupinis. Glutinant uulnera concisa, & illita folia.

DE CVSCVTA.

NOMENCLATVRAE.

Cuscuta:

Filtz kraut.
Flachß seiden.

ANNOTATIO IN CVSCVTAM.

C CVSCVTA herba est quæ circa linum nascitur: unde à Recentioribus podagra lini, & strangulator lini nuncupatur. Tamen non solum lino inhæret, sed & rubis, ac alijs pluribus arbuscu lis & herbis: differentia est per colorem: magis albicat, quæ in lino, quàm quæ in rubo, uel moro est: in re uerò medica ferè est eadem ratio. Mirum est herbam in medicina tam utilem à Dioscoride esse silentio præteritam, nec ab ullo antiquorum eius fieri mentionem. Euritius Cordus harum rerum diligeus obseruator, putat esse herbam quæ à Dioscoride Androsace appellatur. Antonius Musa scribit. nostram Cuscutam easdem habere uires, quæ à Dioscoride Androsace attribuuntur, sed quia dum figura nondū conueniant, putat Androsacen aliam esse herbam. Ruellius scribit eam primum cassutam fuisse appellatam ab Arabibus, deinde mutatione quadam literarum Cuscutam ab officinis fuisse dictam.

DESCRIPTIO.

Cuscuta alijs plantis, & fruticibus adhæret, & figuram habet ut fila. Caule est rubicundo, in cacumine tenui scatens semine. In lino plærunq; inuenitur.

TEMPERAMENTVM.

Calafacit in primo ordine, & desiccat in secundo.

VIRES AC IVVAMENTA.

D Herba hæc assciscit sibi naturam herbæ, uel arboris, cui adhæret ut autores tradunt, si enim calidæ insidet herbæ arboriue, calidam sortietur facultatem: & si decubuerit frigidæ, uim sibi frigidam uendicabit. Abstergendi naturam habet, & cum quadam adstrictione participat roborandi. Semen uitiato felli medetur, tollit coxendicum dolores, potum cum uino ex saluia. Idem uenas pituitosis, atq; biliosis exonerat humoribus, ac regio morbo subuenit.

Cuscuta ualdè conducit ad induratum lienem ac iecur, cum lingua ceruina, decocta in uino ac pota, & eorum impedimenta laxat.

Cum aqua decocta, & cū saccharo temperata, purgat Phlegma.

Eodem modo sumpta discutit stranguriam. Febribus ijs auxiliatur, quę pueros male habent, sed usu nimio stomachum sua adstrictione grauat, sed noxa tollitur, si Anisi momentum adijciatur.

DE AQVA CVSCVTAE.

Conueniens tempus distillandi Cuscutam est, quando fila oculos, uel semina, pducere incipiunt, non em̄ habet folia, ut alię herbę.

Aqua Cuscutæ, mane ac uesperi singulis uicibus iij. uncijs pota, medetur omnibus affectibus iocineris & pulmonis purgando ac confortando.

Omnes humores superfluos ē corpore expellit.

Eodem

A Eodem modo pota icterum ſanat, pellit calculum ueſicæ.

Medetur torminibus inteſtinorum. Oculis inſtillata, eis claritatem inducit. Locis muliebribus refrigeratis ſubuenit, ſi prædicto modo bibatur.

Medetur & mulieribus quibus menſes ſupprimuntur, & quę tumorem habent circa umbilicum. Eadem pota ciet urinam, prodeſt iis qui uitiato ſanguine abundant, & ſcabioſa lepra laborant, ſi potui admixta quotidie bibatur. Stomachum confortat prędicto modo pota. Medetur febribus infantium, ſi aquę huius paulum potui detur uel pulti infundatur, nam purgat humorem calidum.

DE CYMINO.

NOMENCLATVRAE.

Κυμίνον.
Cyminum.
Cuminum.
Römiſch Kümmel.

ANNOTATIO IN CYMINVM.

CYMINVM Latini ſimiliter & Græci dicunt. Habet, ut Theophraſtus autor eſt, ſemen nudum, anguſtum, canaliculatumq;,
B facile inareſcens frumenti modo, ubi plane accreuit, defluum atque lubricum. Naſcitur in ſumma tellure, uix hærens, & in ſublime tendens: in putridis & calidis, medio ſerendum uere. Inter olera maximè fruticat, omnium fœcundiſſimum. Cum maledictis & probris ſerendum præcipiunt, quo lętius & copioſius proueniat.

TEMPERAMENTVM.

Cyminum quo in Germania plęrunq; utuntur, calidũ & ſiccum eſt in tertio ordine, ut Ægineta autor eſt, urinam mouet, & flatus diſcutit. Hoc ſemen intra quinq; annos uires ſuas non amittit.

Cyminum in cibo ſumptum uel in potu, concoctionem ſtomachi confortat. In uino elixum cum fœno græco, tormina & dolores inteſtinorum diſcutit, inflationes tollit.

Contuſum & cum albo oui permiſtum, ruborem oculorum remouet, ſi imponatur.

Idem cum uino atq; carycis additis coctum, atq; potum, antiquę tuſſi medetur. In ore retentum ac maſticatum, odor ille oculis adflatus, eos clarificat. Liuorem ex concuſſione, uel ictu, uel alio modo factum, puluis eius cum cera munda apud ignem commixtus, & emplaſtri modo impoſitus, diſcutit, itidem & ſanguinem concretum diſſoluit. Eius nimius uſus pallorem inducit.

Ad catharrum ex frigida cauſa prouenientem, Accipe cymini puluerem

C puluerem, & lauri baccas eodem pondere, quibus facculo inditis capiti impone, hoc abſq; dubio auxiliatur.

Accipe cyminum in uino elixum, & calidum umbilico impone, hoc medetur ſtranguriæ, aliiſq; ueſicæ affectibus.

Malos humores in homine conſumit.

Cum aqua elixum, ſi facies inde lauetur, clarior & purior reddi-tur, ſi modo rarò fiat.

Tritum & cum aceto elixum, ac naribus applicatum & inditum, profluuia ſanguinis ſiſtit. Idemq; fœminarum fluctiones ſiſtit.

Cũ aceto & aqua permiſtum ac potum, medetur orthopnoicis.

Sanguinis grumos cum urina reddentibus ſuccurrit, & ſanat aluum inflatum.

Ad iocineris uitia toſtum in aceto tritum datur: item ad uertigines. Iis quos acriore ui urina mordeat, in dulci uino tritum datur. Teſtium tumoribus toſtum, tritumq; cum melle roſaceo & cera imponitur. Datur & contra uenenatorum morſus cum uino.

DE CARVI.

NOMENCLATVRAE.

D

Κάρος.
Carui. Caruum.
Carios. Carium.
Wiſen Kümmel.

ANNOTATIO IN CARVI.

CARVI Barbaro nomine ab officinis & Herbariis dicitur, quod à Dioſcoride Caros, à Plinio Caruum, à Serapione Carium dicitur. Semen eſt multo minus cymino, quod apud Pharmacopolas pro Carui uenditur.

DESCRIPTIO.

Carui planta eſt quę naſcitur ad anethi modum, luteo floſculo, ſemen in cacumine caulis gerens, gaudet naſci in pinguibus pratis, & hortis, etiam ubi ſeritur. Radicem habet magnam & candidam inſtar fœniculi.

TEMPERAMENTVM.

Caruum odoratum eſt, & moderate acrem qualitatẽ poſſidet, ut Galenus teſtatur: calefacit & ſiccat in tertio ferè gradu. Virtus eius eſt ſimilis uirtuti Aniſi.

VIRES AC IVVAMENTA.

Caruum diſcutit flatus inteſtinorum, pellit lumbricos alui, confortat ſtomachum.

Cordi

A Cordi accomodatum est, prohibetq; ne uapores è stomacho caput petant. In Sicilia nõ nascit copiosum, sed alijs locis frequens est.

Caruum quinq; annos durat syncerís uiribus. Seminis tantum in medicina usus est.

Semen in potu sumptũ medetur dysenterię, quam repente sistit.

Idem in cibo sumptum stomachum confortat, concoctionemq; adiuuat.

Ad debilitatem capitis, Accipe Caruum & in sacculo decoque, capitiq; impone, tum remedium pręstat. Vrinam quoq; prouocat.

DE CYNOGLOSSA.

B

NOMENCLATVRAE.

Κύνογλωσσον.
Σκολιμος.

Cynglossa.
Lingua Canis.
Lingua canina.

Hundts Zung.

ANNOTATIO IN CYNGLOSSAM.

CYNOGLOSSA à Romanis Lingua canina dicitur, eò quòd folijs linguam canis imitetur. Vnde Plinius inquit Cynogloſſos caninas imitans linguas topiarijs operibus gratissima.

DESCRIPTIO.

Cynoglossa caulem habet longum & hispidum, folijs acutis & hirsutis, in cacumine flores gerens cœruleos, a cin medio rubentes.

Radicem habet candidam & lignosam intra terram.

Herbarij

C Herbarij, ut Ottho Brunsfelsius indicat, duas ſpecies Cynogloſſæ exhibent. Vnam folio plantaginis, ueram ac genuinam, à Dioſcoride deſcriptam. Alteram quam hodie officinæ Bugloſſo ſyluestri (foliis tenuioribus, coreacis) per omnia ferè ſimilem oſtendunt.

Plinius etiam ſcribit de altera, quæ lappas minutas fert, ea ignota eſt.

Minor Cynoglaſſa gaudet naſci inter uites. Maior autem locis petroſis, ſiccis & incultis gaudet.

TEMPERAMENTVM.

Cynogloſſa frigida & ſicca eſt in ſecundo gradu.

Vtuntur ea ad oris ulcera, & alias corporis calidas puſtulas.

Contrita & cum uetere ſuillo adipe toſta folia eius, rabidorum canum morſibus, capilli defluuijs quæ uocant ἀλοπεκίας, & ambuſtis medentur.

VIRES AC IVVAMENTA.

Aluum mollit, elixa eadem, & cum uino pota.

Cynogloſſę ſuccus permiſtus cum ſucco plantaginis, & uino granatorum, & paululo licij, atq; ad ignem cum prædictis aliquantulum inſpiſſatus, ulceribus oris, & narium, gingiuarum, & genitalium medetur, ut teſtatur Ioannes Vigonius.

D Valet quoq; ſuccus admixtus cum melle roſato, & terebinthina, ulceribus ab humoribus frigidis cauſatis: facit quoq; potentiſſimè, ut experientia nobis demonſtrauit, aduerſus morbi gallici ulcera atq; tubera, maximè ſi prædictus ſuccus inſpiſſatus fuerit ad ignem aliquantulum cum ſyrupo roſato, uel Oxymelle ſquillitico.

Item folia Cynogloſſæ ulceribus frigidis ſiue ſcrophulis impoſita, à proprietate medentur.

DE AQVA CYNGLOSSAE.

Tempus diſtillationis eius eſt, ut herba, folia, caulis, flores atque radix cum tota ſubſtantia minutim conciſa, circa exitum lunij diſtillentur.

Aqua Cynogloſſæ ſanat hemorrhoides, ſi ſint internæ, matutino tempore tribus uncijs bibenda eſt, uſq; dum ſanentur: ſi uero foris promineant, ablui debent linteolis in ea intinctis.

Medetur oĩbus uulneribus, ſi mane & ueſperi inde lota fuerint.

Omnibus antiquis ulceribus etiam medetur, ſi ex ea lauentur, uel ſi linteolis imponatur.

A

DE CYPERO.

NOMENCLATVRAE.

Κυπίρος.

Cyperus.
Iuncus angulosus, & odoratus.
Wilder Galgan.

ANNOTATIO IN CYPERVM.

CYPERVS, ut Vergilius Marcellus ait, in iuncorum genere, angulosо caule, & odorata radice est, à Celso quadratus iuncus, à Plinio lib. 21. cap. 18. triangularis primò, mox angulosus dictus. Verum tria hæc nomina apud autores plærunq; inueniuntur, scilicet Cyperus, Cypirus & Cyperis. Cyperus est iuncus de quo nūc sermo factus est. Cyperus autem palustris planta est, gladiolus quondam à cultellati folij figura, ut eredimus, dictus. Cyperis autem in fœminino genere, prędicti iunci anguloſi radix est, quam no
B strates officinæ plærumq; etiam Cyperum nominant.

DESCRIPTIO.

Cyperus porri folia habet, sed longiora tantum & duriora. Caulem habet cubitalem, curuum, nodosum, & angulosum, in cuius cacumine minuta folia prodeunt, inter quæ semen residet: flores producit candidos.

Radicem habet duplicem. Vnam quæ oblonga est, Alteram quę rotunda est, & nigra: eadem facultate prædita sunt. Gaudet aquosis locis & maximè pratis.

TEMPERAMENTVM.

Radicis quæ odorata est, in medicina tantum usus est.

Excalfacit atq; siccat altero abscessu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radix acuit ingenium, & confortat stomachum. Bonum inducit homini colorem, ac grauem anhelitum oris emendat.

In oleo oliuarum eadem radix iij. uel iiij. dies macerata, lumbos calefacit, atq; calculum inde discutit, si ex eo oleo inungantur.

Vesicam refrigeratã atq; ex eo inunctam calefacit, cietq; urinam.

Cyperus sanguinem inflammat, quare leprosus eo non utetur,

Radix accomodata est membris refrigeratis, si oleo amygdalarum amararum imposita, corpus inde inungatur. Prodest etiam, si

C quis ex radice cum uino bibat. Confortat cor, hominibuſq; refrigeratis, bonum creat ſanguinem, maximèq; prodeſt qui perpetuò ſunt triſtes.

Radix in puluerem redacta, atq; cum ſaccharo melleq; permiſta, ac cum paululo uini decocta, deinde conciſa in quadratam teſſeræ formam, & hoc iuſculum addatur, tum uirtutem Zingiberis conditi æquat. Poteſt ſeruari per annum, calfacit omnia membra interiora, concoctionem adiuuat, ingenium reddit acutum.

Radix Cyperi, ut Dioſcorides inquit, calefacit, aperit, urinam cit. Bibitur contra ueſicæ calculos, & cutem ſubeuntes aquas utiliter. Bibitur & contra Scorpionum ictus, eadem utilitate. Refrigeratis præcluſiſq; uuluis calens impoſita opitulatur, menſes trahens.

Siccatur eadem, & in farinam trita, oris ulceribus, quæ paſcendo ſerpunt, inſpergitur.

Sequuntur quę à Litera D. incipiunt.

DE DACTYLIS.

D

NOMENCLATVRAE.

Φοινικα.
Δάλαν@.
Φοιν@.

Palmula.
Dactylus.

Dattelen.

ANNOTATIO IN DACTYLVM.

DACTYLI noſtra ætate à medicis Palmarum fructus appellantur, quoniam humanis digitis, quos Græci δακτυλους dicunt, ſimiles ſunt. Latini Palmulas uocant, Indicatq;, id etiam in Claudio Suetonius, quem in conuiuio & inter epulas obdormiſcentem, oliuarum & Palmularum oſſibus ab alijs inceſſi ſolitum, ſcriptor ille ait. Græci arboris ſuæ nomine

Φοινικας

A φοινικες, id est Palmas appellant. Est autem non exigua in palmulis differentia, ut Galenus de aliment. facultat. testatur. Aliæ nanq; siccæ sunt, & adstringentes, ut Aegyptiæ: aliæ molles, humidæ & dulces: & caryotæ appellatæ. Huius generis laudatissimæ nascuntur in Ierichunte, quod Syriæ Palæstinæ oppidum est. Inter has mediæ censentur reliquæ omnes Palmulæ.

DESCRIPTIO.

Palmularum arbor est admodum procera, habens folia in latitudine, ut Milium Indicum, fructus eius ficuũ formam repræsentant, intrinsecus duros & spadiceo colore nucleos habent. nascuntur ad cornu modum.

TEMPERAMENTVM.

Dactyli calefaciunt & humectant in secundo ordine.

Arbor unà cum fructu iecur, & lienem ualdè obstruunt, cortices uero arboris multo magis id præstant.

NOCVMENTA EORVM.

Dactyli malos humores generant, capitis dolores creant, indurant & obstruunt epar, pariunt fluxus hemorrhoidum. At Dioscorides inquit, quòd hemorrhoidas sistunt, qui austero sunt sapore.

B

Crassum sanguinem generant, maximè ijs qui calida natura præditi sunt, propterea ijs & qui doloribus capitis frequenter uexantur, usus illorum uitandus est. Præterea qui iecur calidum habent, ab esu illorum abstinebunt.

VIRES AC IVVAMENTA.

Dactyli manducati aluum sistunt. In uino austero poti aluum & mulierum fluctiones sistunt. Quidam inquiunt, Dactylos qui in frigidis regionibus nascuntur, alios bonitate antecellere. Verum qui in temperata regione nascuntur, diutius uires suas retinere. Omnes Palmulæ, ut Galenus testatur, concoqui pertinaces, capitiq; infestæ sunt, liberalius ingestæ. Dulces uerò alunt: austeræ stomacho conueniunt, aluumq; retinent.

Palmæ fructus, ut Ægineta inquit, qui iam maturuit, calidus est mediocriter, uisceribus roborandis & stomacho idoneus, tum intus assumptus, tum foris applicatus.

Colliguntur Palmulæ in Ægypto ex Palmis in autumno, paulò ante quàm matureſcere incipiunt.

DE HERBIS, CAETERISQVE
DE DAVCO SYLVESTRI.

NOMENCLATVRAE.

Σταφυλῖνος ἄγριος.
Δαῦκος ἄγριος.

Daucus syluestris.
Daucus Creticus.

Wild Moren.

ANNOTATIO IN DAVCVM.

DAVCVM Græci appellarunt, quem Romani Erraticam pastinacam dicunt, ut Vergilius Marcellus ex Galeno & Ægineta probat. A Dioscoride Staphylinon agrion dicitur, intelligitque eam pastinacam syluestrem, quę locis incultis nascens satiuæ pariter frondeat & floreat: sed minore radice, & magis fibrata fit. Hieronymus Tragus autem censet, Daucum non esse Syluestrem pastinacam, sed illam radicem quam uulgò uocant **Ber wurtzel**. Et hoc probat ex Dioscoride, qui de Dauco proprium caput habet. De eo sic scribens: Daucus & petrosis & apricis cernitur locis, fœniculi foliis, minoribus tamen & exilioribus, caule semipedali, umbella Coriandri, floscul is candidis, semine peracri, &c. Omnia hęc inquit non pastinacæ syluestri, sed radici quã **Berwurtzel** uocant, rectè congruunt. Plura Daucorum genera numerauit antiquitas, non genere sed natali solo diuersa, indicatq; id Plinius lib. 19. ca. 4.

D

DESCRIPTIO.

Daucus syluestris est planta satiui Dauci similis in locis incultis sponte proueniens.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; siccat in tertio ordine.

Daucus syluestris in uino elixus, cui tantũ ficuum additum sit, quantum quis uoluerit, hoc uinum potum pellit siccam tussim. Itidem ad asthma auxiliatur. Herba hæc in lixiuio uel aqua decocta, tollit fluxum capitis ex frigida causa prouenientem, si caput inde lauetur.

Tres

A Tres manipuli huius herbæ in uino decocti, oleoq; addito, si alvo imponantur, flatus discutiunt, ac stomachum calefaciunt.

Aduersus iecur ac lienem obstructum. Confice ex hac herba & floribus Syrupum, atq; succum fœniculi admisce, eo mane ac uespe riutere, & absq; dubio opitulabitur.

Daucus syluestris cum malua & mercuriali in uino & aqua decoctus, & umbilico applicatus, medetur torminibus intestinorum.

DE DIAPENSIA.

NOMENCLATVRAE.

Diapensia.
Sanicula.
Consolida minor.
Ferraria maior.

B Sanickel.

ANNOTATIO IN DIAPENSIAM.

DIAPENSIA herba uulneraria est, quæ alio nomine Sanicula à Latinis dicitur. De Græca eius nomenclatura, & quo nomine apud Dioscoridem & Plinium legatur, medici adhuc nihil compertum habent. Fortassis ueteribus illis hæc herba ignota fuit, multę enim huiusmodi uulnerarię herbę, & præsertim ex solidaginum genere post illa tempora repertę sunt. Vulgares Herbarij hanc Consolidam minorem esse constituunt, quorũ sententia, ut Brunsfelsius putat, non improbanda est. Collinutius putauit Sanículam pentaphyllon esse. Verum habet quidem Sanicula in quinq; partes distincta folia, sed radices nec rubras habet, nec fraga fert, ut de suo pentaphyllo dicit Plinius. Herba uulgò chirurgis ubiq; est cognita,

C qui huius succum uulneratis in potum commendant: quare in adagium uenit, eos non egere chirurgo, qui saniculam habuerint.

DESCRIPTIO.

Diapensia uel Sanicula habet rubicundum & tenuem caulem cũ foliis mollibus, radicem nigram cum multis fibris, in medio caule rubros & candidos flosculos habens, unde rubicunda folia prodeunt, quæ in tactu mollia sunt. nascitur plærunq; humidis & petrosis syluis,

Est & altera quædam species Saniculæ, ut Hieronymus Herbarius indicat, agrestis, rariorq; & minus perspecta Herbarijs, solo Maio florens & apparens, floseulis albis, ijsq; lepidis admodum: in deq; enim paulatim disperit, abditq; sese.

TEMPERAMENTVM.

Sanicula habet naturam calefaciendi & siccandi, multaq; pollet uirtute. Succus quoq; habet facultatem leniendi. Omnia præstat quæ Consolida.

VIRES AC IVVAMENTA.

Vulneratus succum Saniculæ exprimat, & bibat cum aqua Cerefolij, tum uulnus intus omnino sanatur. Sanicula siccata, & in puluerem redacta, ad integrum annum durat.

D Qui stomacho laborat, habetq; intestina uiscosis humoribus obducta, Accipiat hunc puluerem & cum melle atq; glycyrizæ succo commixtum, uesperi antequam cubitum iturus est, in uino bibat, tum interanea omnia, & stomachum à Phlegmate expurgat.

Hanc herbam in Maio unà cum radice effodito, & in aqua eam decoquito, perq; linteum colato, atq; saccharo rosaceo melleq; addito, eam bibito, leniter enim aluum laxat, & multum uiscosi humoris ex stomacho & intestinis expellit.

Sanicula, pyrola, atq; uinca peruinca, in uino decocta & pota, in homine omnem sanguinem concretum dissoluunt atq; consumũt absq; ullo damno.

In omnibus potionibus uulnerarijs utendum est Sanicula. Habetur enim & recensetur inter præcipuas herbas uulnerarias, unde & efficax potio uulneraria ex ea confici potest.

Adijciunt Experimentatores & Herbarij, succum decoctum ueius illitum, tumores reprimere, tam in homine quàm in pecudibus.

DE AQVA SANICVLAE.

Distillationis eius tempus est, ut herba unà cum radice, & tota substantia minutim concisa, in medio Maij distilletur.

Saniculæ aqua à uulnerato mane & uesperi singulis uicibus tribus uncijs pota, uulnus penitus sanat.

Eadem

A Eadem prodest ad omnes tumores tam in homine, quàm in pecudibus, si per diem bis uel ter linteolis imponatur.

Sanat omnia uulnera aperta, & rupta in homine, medetur corpori exulcerato, si inde lauentur, uel linteola in ea madefacta, applicentur.

DE DICTAMNO.

B

NOMENCLATVRAE.

Δίκταμος.

Dictamnus.
Dictamus.
Diptamus.

Diptam.
Lipwurtz.
Gichtwurtz.
Wald Lilien.

ANNOTATIO IN DICTAMNVM.

DICTAMNVS ut Theophrastus autor est, propria Cretæ insulæ herba est, uiribus admirabilis, & ad plura utilis. Artemidion etiam dicitur, à uenatrice Dea Diana, quam Græci Artemida uocant: quoniam uulneratæ ab ea in uenatione capræ & ceruę, eius herbæ pastu sanarentur. Eademq; de causa Dorcidion, quasi ceruam: Dorcada enim Græci hinnulum, & in ceruorum genere minores uocant, quod animal Plinius ait Dictamnum hanc ostendisse, uulneratis eo pastu statim decidentibus telis. Vergilius Marcellus uult Dictamnum interposita n litera, non Dictamū, dicendum esse, quoniam id Græcorū Codices oēs indicent. Porrò Dictamno uera nos hactenus caruisse, uel inde satis liquet, q̄ ea herba quę nostra ętate hoc noīe insignita fuit, & flores, & semen, pducat, cum Germana

C Dictamnus his planè careat, quemadmodū Manard. & Fuchsius ex Dioscoride testātur, qui li. 3. ca. 32. de ea ita scribit: Dictamnus Cretensis herba est, acris, leuis, pulegio similis, maioribus tamen foliis, tomentosis, & lanugine quadam obductis, neq; florem, neq; semen profert, Dioscoridi quoq; subscribit Plinius lib. 25. cap. 8. Cum ita q; ex ueterum testimoniis uera Dictamnus tam flore quàm semine careat, nostra hæc uulgaris pseudo Dictamnus sit, utpote istis maximè abundans, oportet. Sunt autem Dictamni tria genera, ut Dioscorides & Theophrastus indicant.

DESCRIPTIO.

Dictamnus nascitur uirore quodam ad cubitalem altitudinem, in cacumine sub floribus caulem habens phœniceum, roseis foliis ac floribus, fibrisq; roseis. Semen ei est spadiceum, radix uerò candida. Alij uolunt Dictamnum nasci æditis & pinguibus locis, & herbam ac folia sua ab uno latere, gradatim sursum uersus sese attollere, inter quæ flosculi colore sulphuris citrini contineantur. Est & aliud Dictamni genus nigram radicem habens, cuius usus est admodum rarus. Vna radix in frigidis locis & altis rupibus nascitur. Est enim duplex, una candida, altera uero nigra, habentq; eandem facultatem. Candida tamen magis in usu est.

D TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat in tertio gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radix mulierum menses trahit, si inde bibant.

Itidem ad aquam intercutem prodest.

Dictamnus cum melle permista ac sumpta, medetur tussi. In aqua decocta medetur morbo regio, si corpus in balneo inde lauet.

Radix permista cum radice Acori, & in puluerem trita, puluis ille naribus inditus caput purgat.

Succus eius cum puluere sanat uuulam.

Dictamnus cum lacte auribus instillata, tollit dolorem.

Est tanta herbę uis, ut olfactu uenenata animalia fuget, & admota, enecet omnia quę ictu aut morsu uenenum relinquunt.

Succus cum uino potus uenenatorum morsibus succurrit.

Puluis Dictamni cum Gentiana & Aristolochia æquali pondere commixtus, fit niger puluis, qui cum uino in quo Dictamnus sit decocta, temperatus, habet omnem uirtutem Theriacę. Idem puluis cum succo permistus atq; Artemisia, pessisq; inde factis, & fœminis inter naturalia subiectis, fœtum mortuum ac secundas expellit.

Dictamnus, ut Dioscorides ait, non tantum pota, sed admota suffituq; mortuos partus ex utero pellit.

Castoreum

A Castoreum cum Dictamno pari mensura in puluerem contritum, atq; cum succo rutę temperatum, naribusq; inditum, medetur epilepsiæ. Membra imbecillia, si ex succo Dictamni inungantur, uires suas recuperant ac sanitati restituuntur. Plantas pedum sagittis cõfixas illitu sanat, & impactos reliquo corpori aculeos refigit.

DE AQVA DICTAMNI.

Tempus electum distillandi Dictamnum est à mense Iulio usque ad Septembrem, tum radix concisa distillabitur.

Aqua Dictamni mane ac uesperi unaquaq; uice tribus uncijs pota, medetur pesti.

Eadem sex uncijs pota, contra uenenum succurrit.

Calculo medetur, si mane, meridie ac uesperi singulis uicibus ad tres uncias bibatur.

DE DENTE LEONIS.

B

NOMENCLATVRAE.

Dens Leonis.

Feltrif.

ANNOTATIO IN DENTEM LEONIS.

C DENS Leonis herba est Empyricis & Herbarijs satis cognita, Apud Dioscoridem, & Plinium certa huius herbæ nomenclatura non potest ostendi. Hermannus Comes à Neuenare credit eam esse Lagopoda Dioscoridis, hoc enim modo de ea scribit. Lagopus apud Dioscor. non describitur ex folijs & floribus. In exemplari tamen uetusto Apuleij, herbam sub nomine pedis leporini pictam reperi, ea certe similitudine, quę nobis exprimeret herbam uul gò dentem leonis appellatam. Idq; ex effectu uidetur non fore alienum à ueritate. Scribit enim Dioscor. Lagopoda uentrem contrahere, & discutere durities apostematum : quæ ambo præstat & Dens leonis.

DESCRIPTIO.

Dens leonis folia habet ad pedis coruini similitudinem, gaudet sub quercubus nasci ad cubiti altitudinem. Prasino est colore, flosculos ut malua producit, magnam & candidam habet radicem.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat in secundo ordine. Hæc herba colligenda erit circa finem Maij.

VIRES AC IVVAMENTA.

D Contusa hæc herba & commixta cum Barba Iouis & Solatro, & membro inflammato imposita, absq; dubio id statim sanat.

Succus oculis instillatus, glaucomata & albugines pellit, fiet autem hoc in lunæ augmento, oculique prius aqua fœniculi lauandi sunt.

Si quis hanc herbam collo appenderit, ulceribus oculorum non infestabitur.

Conducit eadem ad potiones uulnerarias.

Contusa & uenenoso apostemati imposita, illud absque dolore aperit.

Aqua distillata ex hac herba, & oculis instillata, ualde illis medetur.

Sequuntur nomenclaturæ Herbarum
à Litera E.

DE EBVLO.

A

NOMENCLATVRAE.

Χαμαιάκτη.

Ebulus.
Ebulum.

Attich.

E

ANNOTATIO IN EBVLVM.

EBVLVS alterum genus ſambuci eſt, quod Græci chamęacten uocant, id eſt humilem ſambucum. Eſt enim humilis & coactę ad terram breuitatis ſambucus Ebulum, & herbæ quàm arbori ſimilius, ut Dioſcorides teſtatur. Gaudet lęto ſolo ut teſtatur ſuo carmine Columella.

Atq; habilis natura ſoli, quæ gramine læto Parturit, & rutilas Ebuli creat uuida baccas.

Fuit agricolis in honore Ebulum, non quòd aliquid utilitatis eis adferret, ſed quia ſperandæ utilitatis notam & indicium faceret. Siquidem in probatione agri, & dulcem terram, & frumentis habilem, copioſum, & ſponte naſcens indicaret, Idq; dulcis ſaporis & frumentarij agri certiſſimum indicium ſibi fecerunt ſemper agricolæ, ſi Columellæ & antiquioribus alijs credimus.

DESCRIPTIO.

Ebulus herba eſt minor ſambuco, folia habet per interualla ex ſingulis geniculis exeuntia, Amygdalæ ſimilia, per ambitum ſecta, longiora tamen & graueolentia. Vmbellam habet in ſummo cum nigris baccis, ſambuco ſimilem. Radix illi eſt longa digitali craſſitudine, Habet & caulem digiti craſſitudine.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit natura atq; deſiccat. Eadem ſambuco & Ebulo uis eſt.

VIRES AC IVVAMENTA.

Ebulus aquas ex aluo pellit, ſi inde quis bibat. Radix quoq; in

C uino decocta, subeuntibus cutem aquis auxiliatur.

Ebulus elixus & olerum modo manducatus, aluum constipatum emollit.

Vmbella cum caulibus eandem habet uim, quam ipsa herba.

Radix hydropicis præsentissimũ est remediũ, in potu sumpta.

Decocta eadem in aqua, fœminarum locos insidentibus mollit, & aperit, & quæ in eis sunt mala emendat.

Folia in aqua decocta medentur siccæ tussi, si decoctum illud bibatur. Idem ad anginam succurrit.

Si cui uua oris deorsum feratur, gargarizet hoc decoctum, cum modico pyrethro permistum, tum auxiliatur.

Misce succum Ebuli cũ puluere radicis Esulæ, & saccharo, hoc sumptum febri quotidianæ medetur.

D

Herba ipsa podagram sanat imposita.

Folia tenera & recentia podagris opitulantur cum taurino hircinoue adipe empla stri modo imposita.

DE AQVA EBVLI.

Optimum tempus distillandi Ebulum est, quando florere incipit, ut tum herba & folia minutim concisa distillentur.

Aqua Ebuli sæpius unà uice iiij. uel v. uncijs pota, aluum mollit.

Eodem modo pota mane & uesperi, auxiliatur contra tumorem, & præcipue contra hydropem.

Sic etiam pota medetur febri quotidianæ, & doloribus laterum.

Prodest contra exteriorem corporis tumorem, linteolis imposita.

Dolorem lateralem pellit, linteolis madidis etiam imposita.

DE ELLEBORO ALBO.

NOMENCLATVRAE.

Ελλεβορος λευκος.

Elleborus albus.

Veratrum album.

Weiß Nießwurtz.

Christwurtz.

ANNOTATIO IN ELLEBORVM.

A

ELLEBORVM album Romani Veratrum album appellant. Duo eius sunt genera, Albū scilicet & Nigrum. Aulus Gellius Plinii secutus, ait coloris discerniculum non in semine, neq; in uirgultis, sed in radice apparere, Candido uomitiones cientur, eoq; stomachum & uentrem superiorem purgat. Nigro aluus inferior diluitur, utriusq; periculosa sumptio, sed albi, ut prestantior, ita periculosior. Quod ipsum tamen adeo uulgatum esse cœpit, ut plærique studiorum gratia, ad peruidenda acrius, quæ commentabantur, sæpius sumptitaucrint. Nominatim autem Carneades Academicus scripturus aduersum Stoici Zenonis libros, candido Elleboro superiora corporis purgare solitus legitur, ne quid ex corruptis in stomacho humoribus, ad domicilia usq; animi redundaret, & instantiam, uigoremq; mentis labefaceret. Elleborum herba est, apud multos Poëtas decantata, propterea quòd antiquitus plurimus usus fuerit eius herbæ, ad leuanda mentis & capitis uitia. Vnde & in Prouerbio dicitur: Elleborum bibere, Elleborum edere, Elleboro sese purgare. Elleboro opus habere. De illis qui insaniunt & parum animo constant, ut testatur Erasmus in Chiliadibus. Elleborum à Germanis Nieswurtz dicitur, id est radix sternutationis, quoniam celerrimè mouet sternutamenta. Optimum quod ex Anticyra petitur, ubi copiose prouenit. Durare uim albi Ellebori 30. annis ferunt.

B

DESCRIPTIO.

Elleborum album folia plantagini aut betæ fermè similia habet, breuiora tantum nigrioraq;: colore aliqua parte rubro. Caulem fermè duorum palmorum altitudine. Radices illi sunt graciles, ceparum modo prodeuntes. Quidam uolunt uerum Elleborum album esse herbam illam, quæ uulgò Dictamnus dicitur, sed errant. Habet radicem fragilem, cuius nimius usus improbatur, natura enim aluum sistit.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat in tertio ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Elleborum album decoctum lepro sis accomodatum est, si inde corpus lauerint. Prodest quoq; si inde bibant, nam purgat interiora membra, lepramq; interiorem aut per uomitum, aut per sedes, aut per urinam expellit. Atram bilem uomitu expurgat per superiora.

Album Elleborum uiribus antecellit nigrum.

Album Elleborum fœtus mortuos potenter ex utero pellit, si mulier ex eo biberit, uel pudendis id applicauerit.

C Idem naribus inditum, caput purgat, & multos affectus inde pellit. Oculorum doloribus puluis Ellebori albi medetur, alijs collyrijs mixtus.

Idem puluis mixtus cum farina triticea, interficit mures. Vel confice pulticulam ex eodem puluere cum melle & farina permisto, quoscunq; mures tum interficit. Muscæ quoq; in eo enecantur, si cum lacte macereturr.

Elleborum album Tetanum pellit. Est autem Tetanus affectus, quum ceruix cum reliquo corpore ueluti immobilis, inflexa in neutram partem, sed iuxtà in utramq; recta intenditur. Est species spasmi.

Cum Petroleo decoctum & inunctum, podagrę medetur.

Pueris, senibus, imbecillibus & macris usus Ellebori albi interdicitur. Si autem necessitas usum eius postulauerit, cum aqua mulsa oportet sumere.

DOSIS ELLEBORI.

Multum refert quo pondere Elleborum exhibeatur. Apud ueteres Themison ij. drachmas dabat. Sequentes uero iiij. dedere, quos hoc tempore imitari non licet. Mesue i. drachmam dat. Vulgaris usus est à ij. granis usq; ad ij. scrupulos. Sed tamen licet tam in hoc quàm in alijs pondus augere uel minuere, iuxta qualitatem per
D sonæ, temporis atq; loci, quæ medico semper sunt obseruanda & respicienda.

Si columbas manibus capere uolueris, decoque Elleborum album cum tritico, usq; dum triticum dissiliat, & columbis uel anatibus ad edendum obijce, tum statim manibus capiuntur.

Quicunq; paralysim aut tumorē in pedibus, aut in quacunq; alia parte corporis habuerit, contundat herbam albi & nigri Ellebori, & succum linteolo percolet, atq; cum uino ieiunus bibat, tum ad talem affectum auxiliatur.

Item aduersus Icterum, Bibe ex hoc succo à cibo sumpto, tum ex eo morbo liberaris, & pulchrum recipis colorem.

Elleborum album fistulis instillatum, eas expurgat atq; curat.

Medetur quoq; morbis comitialibus, uertigini, Melancholiæ, phrenesi, podagræ, hydropi incipienti, spasmo, elephantiæ albæ, tremori, febri quartanę, antiquę tussi, & torminibus intestinorum.

Idem usurpatur ad inueterata ulcera, scabiem & fistulas.

Contra dolores dentium in aceto decoquitur: colluunturq; decocto illo utiliter.

DIFFERENTIA VTRIVSQVE ELLEBORI.

Album Elleborum per superiorem uentrem crassos & glutinosos humores expellit. Nigrum uerò humorem Melancholicū per inferiorem uentrem purgat.

PRAE-

A PRAEPARATIO ET ADMINISTRA-
tio Ellebori.

Mesue hoc modo corrigendum censet, uidelicet ut maceretur prius in melle & passulis, uel in iure gallinarum, & aliarū carnium, abiecta deinde radice, Tale iusculum potest potui dari. Sunt qui cauata radice raphani, indunt de helleboro per diem: inde rursum extrahunt. feruntq; tum raphanum soluendi uim habere.

Alij infundunt in Oximelle uel uino dulci, aut Syrupis, uel Rob ut uocant, atq; subinde ministrant. Adhibito fortassis & hordei modico uel Oriza.

Operationi eius uigorem addunt, Salindus, Epithymus, Polypodium. Emendant quoq; Daucus, Petroselinon, Piper longum, Hyssopus, Calamentum & Origanum.

DE ELLEBORO NIGRO.

NOMENCLATVRAE.

B Ἑλλέβορος μέλας.

Elleborum nigrum.
Veratrum nigrum.

Schwartz Nießwurtz.
Schwartz Christwurtz.

ANNOTATIO IN ELLEBORVM NIGRVM.

ELLEBORVM nigrum sunt qui Ectonion & Melampodion uocent. Hippocrates certè haud aliter ferè quā Ectonion appellat. Porrò Melampodion iccirco dicitur, ut Hermolaus testatur, quia Melampodem inuentorem habeat, quem alij diuinationis peritum, alij pastorem fuisse tradunt, & furentes Proeti filias, dato caprarum lacte, quas Elleboro purgatas animaduertisset, sanasse in Arcadia propè fontem Clitorium. Elleborum & nigrum & candidum ex Antycira commendant scriptores, & Poëtę. Antycira uerò hęc in Locride siue Phocide sita est, ut scribūt Pausanias & Strabo.

DESCRIPTIO.

Elleborum nigrum albo in omnibus est simile, folia tantum gra-

C ciliora, & paulò teneriora habet, utriusq; flores primo sunt uirides, postea giluum acquirunt colorem. Semen rotundum ac nigrum producit, Peoniæ semini non dissimile, uerum minus est. Nascitur asperis collibus & locis siccis.

VIRES AC IVVAMENTA.

Elleborum nigrum in puluerem redactum, fistulis callosis instillatum, breui eas curat.

Decoctum in aqua, & os inde si colluatur, purgat dentes, tollit carnem putridam, necat uermes. Sanguinem Melancholicum per inferiora expellit. Cum aceto decoctum, & corpus inde inungatur, remouet lepram, uitiligines & impetigines, curat scabiem, & absumit uerrucas. Tollit quoq; uerrucas cum squamis aëris. Destillatur decoctum eius cum aceto in aurem, & confert tinnitui, & sibilis, corroboratq; auditum. Vsus eius etiã memoriam emendat.

In uino ad ij. uel iij. horas maceratum, & deinde percolatum, ac parumper decoctum, prodest uesperi potum antequam itur cubitum. Nam tale uinum omnia interiora expurgat, ex malis humoribus, simulq; dolorem & uertiginem capitis discutit. Elleborum nigrum imbecillibus non conuenit, sed forti natura hominibus. Huius radicibus in fine ueris utendum est. Febrem quartanam quę longo tempore durauit, aufert, si illud cum uino pauloq; sacchari permistum aliquis bibat.

D Per inferiora omnes prauos humores, qui in homine sunt, expellit. Omnes quoq; affectus membrorum interiorum discutit.

Cataplasma ex eo confectum tollit scabiem, maculas lepras, omnem deniq; impetiginem.

Ex aceto per se emplastri modo impositum, uitiligines, impetigines, lepraſq; emendat.

Sanat scabies etiam: in quem usum cum thure, ceraue, piceq;, & cedrino liquore inungitur.

Si quis obstructus atq; repletus circa thoracem fuerit, herbam nigri Elleborí cum uino & melle decoquat, & id percolatum uesperi, quando iturus est cubitum, bibat: hoc thoracem lenit & emollit, stomachum emundat, & quicquid malorum humorum in corpore est, minuit. Purgat & pellit per inferiora nigram bilem cum uiscosis humoribus. Auditum reddit, si surdis auribus indatur, atq; post biduum triduumue repellatur. Menses trahit locis muliebribus inditum.

Si quis assidue, & cum cautione quadam eo usus fuerit, tum purum creat sanguinem, caput purgat, & omnia membra capitis, à multis morbis præseruat.

Confert ægritudinibus splenis, & febribus antiquis & longis.

Contra

A Contra cutem subeuntes aquas, cum farina ordeacea, uinoq; emplastri modo utiliter imponitur.

Miscetur omnibus emplastris quæ exedendo sunt, Duritias suppuratas concoquit & purgat, facto inde cataplasmate.

Loco eius hodie usurpant scammonium.

DE AQVA RADICIS NIGRI ELLEBORI.

Optimum tempus distillandi radicem nigri Ellebori est, ut ea minutim concisa citra herbam in fine mensis Augusti distilletur.

Aqua hæc pondere unius drachmæ, in tribus unciis uini permista, & mane pota, ac deinde iiij. horas, si quis ieiunet, purgat Melancholiam, & glutinosos humores per aluum.

DE AQVA HERBAE NIGRI ELLEBORI.

Herba nigri Ellebori sola conciditur, & in medio Maij distillat.

Aqua hæc pota sistit aluum, & confert ad multos morbos, & corpus in sanitate conseruat, si quis mane ieiunus pondere semiunciæ uel integræ unciæ bibat.

DE ENDIVIA.

B

NOMENCLATVRAE.

Σεριϛ.

Endiuia.
Intybum.

Endiuien.
Genßzung.
Antiffien.

ANNOTATIO IN ENDIVIAM.

ENDIVIA laudata est herba, cuius in medicina nostro ævo frequens est usus, ad amouendam malam iocinoris temperaturam. Hanc doctissimi medicorum, qui de re Herbaria scripserunt, testantur esse herbam illam quam Dioscor. & alij ueteres Intybum appellant. Vulgus autem

C medicorum & Herbarij, eam corrupto nomine Endiuiam nominant, quasi paululum deflectens, Intybiam dixeris. Manardus li. 5. ep. 4. Intybum satiuum Endiuiam, Syluestre uero Cychoream apertissimè uocat. Hermannus Comes à Neuenare eodem modo de hac herba scripsit: Intybum ueteres uocauerunt, quam Barbari corruptè Endiuiam uocant. Est autem herba inter præstantissimas numeranda, quę satiua est, & inter olera habetur, Endiuiam uocamus. Syluestris uerò Cichorea siue Intybum erraticum uocatur. Endiuia certe præstantior quantum ad medicinam pertinet, Inter harum species Taraxicon & Scariolam ponit Dioscor. Endiuia & lactuca congeneres plantæ sunt, ut ab altera alteram primo germine uix secernas, Brunsfelsius censet eas quoq; easdem habere facultates, quamuis nomine & figura differant. Anserinum carduum Endiuiam uulgares Herbarij nominant: pro qua tamen iam aliam nos accipimus, maiorem scilicet, quæ per dorsi spinam aculeata folia habet.

DESCRIPTIO.

Endiuia herba est crassa, caule crasso & concauo, foliis aculeatis, florem luteum in cacumine habens. Gaudet inter olera nasci.

TEMPERAMENTVM.

D Endiuia natura refrigerat atq; desiccat in secundo gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Ad epatis affectus nulla herba est salubrior. Epar enim ardens refrigerat, calefacitq; refrigeratum, potest ad utrunque affectum absq; noxa usurpari, quia naturā tantam facultatem & proprietatem habet,

Folia atq; semen in medicina usurpantur, radix uerō nullius est precij.

Folia cum uiridia sunt, magna uirtute pollent, aridorū foliorum nullus est usus.

Endiuia cor corrobat, quod ardore infestatur.

Aduersus morbum regium, Accipe Syrupum ex Endiuia confectum, & cum aqua linguæ ceruinæ commisce, optimè hoc remedium iuuat.

Idem Syrupus pellit febrem tertianam.

Succus ex foliis ardentibus pustulis impositus, ardorem inde extrahit, ac benè eas refrigerat.

Herba ipsa contusa, & calidis apostemati bus imposita, ualdè auxiliatur.

Ardorem iocineris sedat, foris imposita.

Si her-

A Si herba non poteſt acquiri uiridis, tum ſemen accipiendum eſt, atq; conterendum, calidoq; affectui imponendum, hoc ſubuenit abſq; noxa.

Endiuia ad lactucę modum, quocunq; modo cruda uel cocta, in cibo ſumi poteſt, fibras enim iocineris obſtructas uehementer aperit, ad ſtomachi ardores accomodata eſt.

Cum aceto cocta, uentrem reſtringit.

Cardiacis ſupra ſiniſtram papillam ex aceto impoſita, prodeſſe certiſſimum eſt.

Podagris & oculorum inflammationibus ſubuenit.

Medetur ſacris ignibus, calidis apoſtematibus, & tumoribus calidis, cum ceruſſa & aceto contuſa, & emplaſtri modo impoſita.

Contra Scorpionum ictus, radix & folia inuicem contuſa, utiliter emplaſtri modo imponuntur.

Succus cum aceto & roſaceo mixtus, capitis dolores releuat.

Iecoris & ueſicæ uitia cum uino hauſtus emendat.

Sanguinem reiicientibus, itemq; genituræ abundantia laborantibus, alterno die offertur potandus.

Omnibus partibus quæ refrigeratione ſanandæ ſunt, cum aceto
B & ceruſſa efficaciter ſuccus illinitur.

DE AQVA ENDIVIAE.

Tempus diſtillandi Endiuiam conueniens eſt, ut folia à caulibus decerpta, & minutim conciſa, in fine Maij diſtillentur.

Aqua Endiuiæ mane & ueſperi duabus uncijs pota, prodeſt ad anguſtiam & obſtructionem pectoris.

Eodem modo pota, grauidis fœminis ſalutaris eſt, eas enim corroborat, ſenſuſq; emendat.

Eadem mane & ueſperi unaquaq; uice iiij. uel v. uncijs pota, medetur peſti, morbum regium repellit, ſitim quoq; ſedat largius pota ardoremq; iecinoris extinguit.

Facit ad dolorem lateris, & punctionem quæ circa cor ſentitur, mane & ueſperi ſingulis uicibus iij. uel iiij. uncijs pota.

Linteolis uel ſtupa cannabina æſtuanti iocineri impoſita, æſtum reſtinguit, ex quacunq; parte corporis etiam proueniat: linteolis exiccatis ſæpius ea iterum madefacere oportet.

DE ENDIVIA SYLVESTRI.

c

NOMENCLATVRAE.

Scariola.
Taraxacon.
Rostrum porcinum.

Sew Distelen.

DESCRIPTIO.

ENDIVIA sylvestris gaudet nasci in agris, & in segetibus. Folia habet aculeata, flores rubicundos, radicem uerò candidam, atque intra terram longam.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat atq; humectat in tertio ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Succus ex hac herba expressus, pellit erysipelata.

Cum aqua cocta, si pudenda inde foueantur, aufert ab illis ardorem. Succus conducit ad unguenta refrigerantia; item ad quoscunque calidos affectus, foris applicatus.

Tumoribus calidis inunctus, eos discutit.

DE AQVA ENDIVIAE SYLVESTRIS.

Folia & caules inuicem concisa, circa finem Maij distillantur.

Aqua Endiuiæ sylvestris medetur omnibus febribus, tam frigidis quàm calidis, si pluribus diebus & singulis iij. uel iiij. uncijs bibatur.

Eodem modo pota confortat iecur, medetur lienosis. Repellit febrem quotidianam, tertianam & quartanam, singulis diebus bis uel ter pota, uel si potus inde misceatur, foriſq; linteolis imponatur.

A

DE ENVLA CAMPANA.

NOMENCLATVRAE.

Ἑλένιον.

Enula Campana.
Inula.

Alantwurtz.

ANNOTATIO IN ENVLAM.

ENVLA Campana uulgò dicitur, ea herba quæ à Dioscoride, & Plinio Helenium dicitur, eò quod ex lachrymis Helenæ nata sit, dum gubernatorem Canopum hæmorrhoi serpentis ictu examinatum fleuisset. A Collumella Inula appellatur.

DESCRIPTIO.

Enula nascitur ad rapham similitudinem, in medio tantum est latior, & ab uno latere parum lanuginosa, Caulem habet aliquando duos uel tres cubitos altum, qui in summo florem luteum magnumque (instar herbę quæ ab Herbarijs flos Sancti Ioannis appellatur) gestat. Radicem intra terram habet candidam & grandem, acrem & odoratam. Nascitur uliginosis, & umbrosis locis, præterea etiam in hortis. Foditur æstate incipiente, & ad solem desiccatur. Radicem tres annos integra natura durant.

E

TEMPERAMENTVM.

Enula calefacit in fine tertij gradus, & humectat in primo.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radix contusa, & cum melle permista tussientibus accomodata est, si eclegma inde conficiatur, & sumatur.

Enulæ radix pulmonem à malis humoribus defendit, schiaticis, & articulorum dolore laborantibus, ac ægritudinibus à frigiditate natis prodest.

Crassos quoscunq; humores ex homine pellit, & medetur doloribus coxendicum. In uino decocta, saccharoq; admixto, orthopnoeæ medetur, urinam ciet.

Eodem modo sumpta, promouet mulieribus menstrua, utiliter sumitur contra uenenum, & morsus uenenatorum.

Radix cum melle aut saccharo condita, aduersus aëris pestilentis, noxam plurimum ualere dicitur, quo nomine etiam cruda à multis tempore pestis manditur.

Decocta

C Decocta in uino eiusdem folia, & emplastro inde facto, membris infirmis, & luxatis, imposita, adeo illa excalfacit, ut breui sanitatem recuperent.

Iram & tristiciam pellit Enula, stomachumq; confortat, atq; superfluos humores per urinam educit. Hilaritatem adferre Hippocratis testimonio creditur, Prædulcis in eo cremor animi nubila præclare discutit, fauet formæ. Cutem in facie nutrit incorruptam, reliquumq; corpus perpetua uenustate condecorat. Vinum ex Enula, membra refrigerata excalfacit. Idem potum eadem omnia præstat, quæ suprà scripta sunt.

Hic autem sciendum est, omnia uina decocta uel ex herbis confecta, magis ad ientaculum, quàm ad cœnam conducere.

Enula decocta cum paritaria, oleoq; admixto, uentri calida imposita, tormina intestinorum sedat. Et sub umbilico imposita, stranguriæ medetur.

DE AQVA FOLIORVM ENVLAE.

Tempus distillationi conueniens est, ut radix unà cum herba simul concisa, in fine Maij distillentur.

Hæc aqua mane & uesperi unaquaq; uice v. aut vi. diebus pota, quantum testa oui capit, pellit lithiasim.

D Eodem modo bibita, uel si potus quoque inde misceatur, ruptis opitulatur. Itidem quoq; pota, caputq; inde illinatur, ut deinde per se desiccetur, caput confortat. Item multis diebus pota, stomachum confortat atq; corroborat. Membra confirmat illita, atq; pota. Eadem calculum renum & uesicæ discutit, eaq; expurgat, urinamq; ciet, mane & uesperi sæpius pota.

DE AQVA RADICIS ENVLAE Campanæ.

Radix Enulæ distillatur circa finem Maij, uel à mense Iulio usq; ad Septembrem.

Huiusmodi aqua mane ac uesperi unaqualibet uice, duabus aut tribus uncijs sæpius pota, sanat interiorem rupturam.

Eodem modo pota calculo medetur, fœminis menses prouocat, lithiasi medetur, ciet urinam. Fœtus mortuos ex utero materno educit, supradicto modo bibita.

Tumorem locorum muliebrium pellit, itidem pota, uel linteolis imposita. Sic etiam pota, uel imposita, tumorem testiculorum discutit.

Eadem sæpius pota, medetur.

Tussim sedat, ac crassos lentosq; humores circa thoracem detentos, absumit, sæpius pota.

A

DE EPITHYMO.

NOMENCLATVRAE.

Ἐπίθυμον.

Epithymon.
Epithymus.

Ein Blům von dem Kraut Thymo.

B

ANNOTATIO IN EPITHYMVM.

EPITHYMON flos eſt è thymo duriore, ac ſatureiæ ſimili, capitula ſunt tenuia & leuia, cauliculos habentia quaſi crines, ut Dioſcorides, & Plinius ſcribunt. Sunt autem tres Thymi ſpecies, Albus, de quo Dioſcorides tertio libro, Niger, cuius Theophraſtus, & Plinius meminit. Tertius, qui aſſimulatur ſatureiæ: hic flores herbaceos habet, qui dicuntur Epithymus, & de hoc Epithymo Dioſcor. lib. 4. agit. Eſt adhuc alia ſpecies Epithymi, quod in officinis habent, & non eſt flos Thymi, ſed id quod à Plinio deſcribitur cap. 8. lib. 26. quod naſcitur ſine radice, rubens, tenui ſimilitudine pallioli, naſciturque circa Thymum, unde Epithymus appellatur, de quo nec Dioſcorides, aut Paulus, aut Aetius unquam tractarunt, ſed Arabes tantũ, apud quos in magno uſu eſt.

TEMPERAMENTVM.

Epithymum calefacit atq; deſiccat, in tertio ordine.
Naſcitur in calidis & humidis locis.

VIRES

C Purgat Phlegma ac Melancholiam, admixtis ijs quę ad Melancholiam purgandam faciunt.

Epithymum per se aut solum usurpari non debet, sed aliquo additamento, utputa lapide lazuli, aut pillulis de fumo terrę.

Item Remedium aduersus quartanam. Accipe semitres uncias Epithymi, & in aqua decoque, qua per linteolum colata, admisce lapidem Lazuli, & ægroto potui dato.

Eadem potio etiam auxiliatur ijs, qui laborant fluxu hemorrhoidum, unde plærunq; mariscæ creantur.

Multi hoc remedio sanati sunt.

Vertigini obnoxius ex atra bile prouenienti, conficiat Syrupum ex foliis Senæ & Epithymo, & admisceat tantum sacchari, quantum uoluerit.

Idem Syrupus medetur lieni, unde Melancholia ortum habet.

Epithymum cum uino, & oleo decoctum, & inter nmbilicum & pudenda impositum, medetur urinæ stillicidio.

Facit ad tremorem cordis, & lienem obstructum, à quo maximi capitis affectus solent exoriri.

Probata quoq; medicina est aduersus cancrum, & lepram, pellit febrem quartanam.

D Valet ad cutem ex prauis humoribus inflatam & turgidam, optimeq; subuenit asthmaticis.

Epithymum pondere sesquiunciæ cum melle, & modico salis sumi debet, tum fortiter expellit Melancholiam, & hominem à lepra præseruat.

Idem cum sena & lingua ceruina in uino decoctum, osseq; de corde cerui contuso ac admixto, facit ad dolorem cordis, & pellit Melancholiam cerebri.

EPITHYMI DOSIS.

Pulueris Epithymi drachmas septem exhiberi posse, Mesue statuit, cum tamen ueteres multo minorem quantitatem præscripserint, Dioscorides enim quatuor tantum drachmas concedit, Oribasius quoq; in compendio suo uix drachmas tres transcendit. Paulus tamen Ægineta libro septimo, dandas esse drachmas quinque Epithymi cum lactis hemina contritas permittit. Auicenna autem capite 229. secundi Canonis, potionem Epithymi, quatuor esse aureos præcipit, adeo ut nemo sit præter unum Mesuen, qui ad septem usq; drachmas progredi ausus sit. Proinde consultum erit, ut Fuchsius inquit, ut quinq; tantum uel ad summum sex, idque in pauciſſimis concedamus.

A

DE ERVCA.

NOMENCLATRAE.

Κύζωμος.

Eruca.

Weiß Senff.

B

ANNOTATIO IN ERVCAM.

ERVCA Latinis, Græcis euzomos dicitur, quoniam iura cõmendet, magnam enim in condiendis obsonijs Eruca habet gratiam ac suauitatem. Erucam ideo dictam uolunt, quòd erodat, & profectò si degusta ueris eam, os & linguam satis acriter uellicabit. Alij sic appellatam putant, quòd urendi licentiam nanciscatur, quasi dicas urucam, u, in e, uersa litera. Est etiam Eruca apud Latinos bestiola, quæ à Græcis Campe dicitur. Additur Eruca lactucæ in acetarijs, ut contrariam uim temperet. Rarò enim sine Eruca lactuca in acetario estur, suauisq; simul cibus hoc modo fit, & certam salutis spem homini adfert. Galenus quoq; in libro de aliment. facult. præcepit non esse homini comedendam sine Eruca lactucam, portulacamue, nec contrà sine lactuca portulacaue Erucam, ut quantum altera refrigerat, & Veneri nocet, tantum colore inflationeq;

C sua altera in utraq; re homini profit. Quod præcipuum habet Eruca, & quod maximè potest, uno uersu indicauit Martialis, dicens.

Et uenerem reuocans Eruca morantem.

Quare Columella in hortulo Priapo ferendam pronunciauit, ijs senariolis.

Et quæ frugifero seritur uicina Priapo,
Excitet ut ueneri tardos Eruca maritos.

DESCRIPTIO.

Eruca in hortis facilimè nascitur, caulem habens ferè bicubitalem, floribus luteis, siliquis in cacumine gracilibus, in quibus grana continentur. Duo autem eius genera sunt. Est enim satiua Eruca, & agrestis. Satiua editur & seritur in hortis, & fermè similis est uero sinapi.

TEMPERAMENTVM.

Eruca calefacit, & humectat in secundo gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Semen & folia in medicinis usurpantur.

Eruca elixa & manducata genituram hominis adauget. Quod
D etiam Ægineta lib. 1. testatur, inquiens: Eruca magnam excalfacien-
di uim obtinet, & genituram augere creditur, & ob id in uenerem stimulos addere, capitisq; eum dolorem, quam cæphaleam nominant, inducere.

Eruca domestica fortem creat calorem, quare capiti noxia est, Verum elixa cum lactuca & Beta, nullum nocumentum infert, & tali modo comesta lactantibus & nutricibus lac adauget.

Vrinam ciet comesta, aluum emollit, stomachum confortat, atq; concoctionem adiuuat.

Succus Erucæ cum felle bubulo permistus, cicatrices nigras reducit ad candorem.

Vitia cutis in facie cum melle litus emendat.

Succus uel semen cum melle permistum, & capiti illitum, & sæpius in cibo sumptum, lendes & uermes capitis necat.

Nimius usus Erucæ creat uentris dolores.

Radix Erucæ elixa & contusa, ac fractis contusisq; ossibus imposita, discutit inde dolorem.

Semen contusum, & cum uino sumptum, facit ad morsus uenenatorum.

DE ESVLA.

NOMEN.

A

NOMENCLATVRAE.

Πιτυουσά.

Esula.

Wolfs milch.

ANNOTATIO IN ESVLAM.

ESVLA ab omnibus officinis ac recentioribus medicis nominatur ea herba, quę apud Dioscoridem Gręco nomine Pityusa dicitur, ut Ruellius, Ottho Brunsfelsius, & Antonius Musa uno ore testantur, numerantq; eam inter Tithymalorum genera. Estq; hęc una illarum Herbarum, quibus circumforanei, & theriacę uenditores rusticis imponunt, exhibentes puluerem ex huius radice ad aluum soluendam, quanquam
B ad id non inutilis sit, tamen ipsi non rectè uti sciunt, neq; maliciam eius corrigere, Quę autem uera Esula hodie habetur, Linarię herbę specimen prę se fert.

DESCRIPTIO.

Esula duorum generum est. Altera Domestica, Altera uerò Syluestris. Syluestris facilimē prope uias nascitur, paruis & circinatis foliis, quæ decerpta, lacteum liquorem prębent: in cacumine flores sulphuris citrini colore gestat. Domestica uerò caulem ex se mittit cubiti unius longitudine, ac in summo latum, multis geniculis intersectum, foliis minutis tenuibusq; uestitum: flores habet colore purpureo, semenq; latum figura lentis. Radicem crassam ac candidam, lacteo liquore plenam.

TEMPERAMENTVM.

Esula calida & sicca est in tertio gradu.
Radix tantum usui competit medicinæ, ut Platearius inquit.
Et melior pars Plantæ, est cortex radicis eius.
Tempus conueniens effodiendi radicem, est circa initium Maij.

VIRES AC IVVAMENTA.

Cortex radicis per bienium, in magna efficacia seruatur. Virtutem habet purgandi Phlegmaticos humores, Vnde ualet contra ęgritudines ex Phlegmate factas. Esulæ uirtus est purgare Melan

C choliam & Phlegma, ut Vigonius teſtatur.

Lac eius cum periculo ſumitur. Nam nocet cordi, hepati ac ſtomacho, dirumpitq; in homine uenas, ac febres hydropemq; infert. Quare neceſſarium eſt, ſi quis eo lacte uti uelit, ut admiſceat aliquid quod maliciam eius reprimat, ut eſt ſuccus Endiuiæ & acetum.

VIRES AC IVVAMENTA.

Lac Eſulæ cum ſucco Solatri permiſtum, fortiter expellit malos humores, ſi quis pondere duarum drachmarum cum ſaccharo temperatum aſſumat. Ita quoq; ſumptum medetur hydropicis.

Cortex radicis eius contuſa, ſi cum ſaccharo uiolarum permiſceatur, ſumaturq; cum aqua mulſa, fortiter laxat. Eſula corpus conſumit ac macerat, genituramq; hominis diminuit.

Contra aquam intercutem, Accipe ſuccum fœniculi ac benè decoque, deinde per linteum cola, & puluerem ex cortice radicis eius pondere ſemidrachmæ cum ſaccharo admiſce, atq; potionem inde confice. Hæc potio ualde ſalubris eſt, & expellit quoſuis noxios humores qui hominẽ diu infeſtarunt, hydropemq; abſq; dubio ſanat.

Eſula uerrucis quotidie bis uel ter illita, eas potentiſſimè euellit.

Folia in aceto decocta furfures cutis emendant.

DE AQVA ESVLAE.

Maior Eſula cum herba, caule, & radice effodienda eſt, ac circa
D principium ueris diſtillanda.

Aqua Eſulæ prodeſt clauis pedum amputatis, ſi per diem ter uel quater inde lauentur, aut linteolis madefactis ſi imponatur. Intra corpus hæc aqua non eſt ſumenda.

DE EVFRAGIA.

NOMENCLATVRAE.

ὀφθάλμικα:

Eufragia.
Euphragia.
Eufrafia.

Augentroſt.

ANNOTATIO IN EVFRAGIAM.

A EVFRAGIA herba est pulchro nomine insignita, quam tamen antiqui ignorarunt, nihil enim de ipsa apud Dioscoridem, Plinium, Galenum, Paulum, aut Aëtium reperitur, Eufragiæ Hermolaus Barbarus in Saxifrago Dioscoridis sic meminit: Pampinulæ similis est, folio tantum minore ac magis serrato, & lentiusculo: quã nostri Herbarij Eufragiam appellant, minus fruticosa, flore luteolo, præcipuę claritatis ad omnia uitia oculorum. Veteribus incompertam existimant: quemadmodum & illam quę Cartosilago dicitur à uulnerarijs.

DESCRIPTIO.

Eufragia in Autumno ferè nascitur in arentibus pratis, palmi altitudine, hyssopo similis, cauliculis purpureis & non fruticosis, folio paruo, & per ambitum serrato, flosculo albicante.

VIRES AC IVVAMENTA.

Ad nihil aliud quàm ad oculorum uitia ea uti decet.

Eufragia utuntur ad oculorum caligines & suffusiones, uel per se imposita, uel ex uino decocta.

B Succus ex herba contusa expressus, ac oculis illitus, eos claros ac pulchros reddit.

Conficitur quoq; in Autumno ex ea uinum, quod oculis ac uisui ualde prodest.

DE AQVA EVFRAGIAE.

Tempus distillationi eius conueniens est, ut folia, caules, flores cum tota substantia distillentur, quando flores gerit.

Aqua Eufrasiæ oculis instillata & circumlita, eos claros reddit, uisumq; acuit.

Oculorum dolorem sedat, eodem modo usurpata.

Eadem unam horam ante noctem oculis instillata, & illita & singulis uicibus tribus uncijs pota, confortat, confirmat, atq; conseruat uisum, nempe in senilibus ac Phlegmaticis complexionibus.

Herba ipsa siccata ac in puluerem trita, uisum amissum restituit, si huius puluueris semidrachmam cum hac aqua permistam, omni uespertino tempore biberis.

DE EVPATORIO.

NOMENCLATVRAE.

Εὐπατώριον.
Ἡπατώριον

Eupatorium.
Hepatorium.
Agreſtis Saluia,
Barbarorum Wild Salbey.
Neotericorum Oder-menig.

ANNOTATIO IN EVPATORIVM.

EVPATORIVM regiæ dignitatis herba eſt, nam ab Eupatore rege inuenta eſt, ut teſtatur Vergilius Marcellus. Et quoniam iecori præcipuè medeatur, quod Græci ἧπαρ dicunt, ideo Hepatorium & Hepatitis ab aliquibus dicta. Eupatorium hoc quod hic deſcribitur, & quo officinæ utuntur, non eſt uerum Eupatorium antiquorum, ſed potius alia herba, cuius nomen latet. Ruellius ſcribit eſſe eam herbam, quę à Dioſcoride hydropiper appellatur. Eupatorium autem uerum, eſt Agrimonia officinarum, ut ſuprà in deſcriptione Agrimoniæ ſatis demonſtratum eſt.

DESCRIPTIO.

Eupatorium quod à uulgò Syluestris Saluia appellatur, folia habet magna & lata, nec adeo odorata, ut ueræ Saluiæ ſunt: flores habet cœruleos, lateq; ſe propagat, ubiq; facile naſcitur.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit in primo, & deſiccat in ſecundo ordine.

Tempus

A Tempus optimum colligendi herbam cum ſucco eſt circa finem Maij.

VIRES AC IVVAMENTA.

Eupatorium medetur iocinoroſis, uiride in uſu medicinæ melius eſt, quàm ſiccatum.

Succus cum caſtoreo decoctus, paralyticis membris inunctus auxiliatur.

Duas uncias Eupatorij, decoque ſucco Apij, & hydropicis mane ac ueſperi potui dato, & opitulabitur.

Eodem modo & lumbricos uentris necat.

Herba hæc in uino elixa, & pota, prodeſt iocinoroſis, oppilationem enim iocineris aperit.

Eſt quoq; bona uulneraria herba, ut inde unguenta & potiones uulnerariæ conficiantur.

Ex hac herba in Pharmacopolijs conficitur Syrupus & potio, quæ ad omnes affectus iocineris proſunt.

DE AQVA EVPATORII.

Aqua ex hac herba diſtillatur circa finem Maij.

Aqua hęc mane & ueſperi tribus uncijs potionis modo ſumpta, ad omnes morbos ſuprà dictos prodeſt.

B De herbis à Litera F. incipientibus.

DE FABA.

NOMENCLATVRAE.

Κύαμος.

Faba.

Bonen.

ANNOTATIO IN FABAM.

C FABA notum omnibus legumen est, à Græcis κύαμος dicitur. Sola inter legumina sine adminiculo nititur, & scapo recto assurgit. A pulmentario fabaceo Pythagoras abstinuit, uel quòd his mortuorum animæ, ut ipse àsserebat, pro domicilijs uterentur, uel quòd is cibus inflatione sua tranquillitatem mentis quærentibus mirum in modum contrarius sit, ac uenerem excitet, Plinius existimat ob id à Pythagora damnatam fabam, quòd hebetet sensus, & pariat insomnia. Prima leguminum ante hyemen seritur, Quanq; Maro uere serendam dicat. Aquas in flore maximè concupiscit, ubi defloruit, exiguas desiderat.

TEMPERAMENTVM.

Fabæ uirides natura refrigerant atq; humectant in primo gradu. Ægineta inquit: Faba non multum à medio temperamento recedit, siue refrigerando, siue siccando. Caro ipsius nonnullius etiam absterssoriæ qualitatis est, excreantibus è thorace & pulmonibus utilis. Fabis plurimum uescenti impuros generant humores, multosq; creant flatus, stomacho nocent. Fabæ siccæ ac inueteratæ frigidæ & siccæ naturæ sunt in primo gradu.

Fabæ ægrè concoquuntur, & inflant. Insomnia, quouismodo in cibum sumptæ, uel mala faciunt.

D Cruditatem stomachi faciunt frequenter eas manducantibus.

Exteriora membra hominis emundant, si cutis inde lota fuerit.

Si quis cutem fabis extergere uelit, accipiat farinam fabaceam ac ea utatur. Reducit enim cicatrices ad reliquæ cutis colorem.

VIRES AC IVVAMENTA.

Fabas edere cupiens, admisceat Cyminum aut Mentam aut Origanum, quæ corrigunt maliciam, ne stomacho noceant. Farina fabacea cum melle & Fenogræci farina permista, abscessus qui secundum aures fiunt (parotidas Græci uocant) discutit.

Eodem modo cum aqua rosacea oculis illita, tollit pituitæ fluxiones, atq; maculas eorum.

Odor ex corticibus adstringit, habent ẽm temperatũ frigus in se.

Fabæ in aqua decoctæ & contusæ, ac ita adipi suillo admistæ, medentur podagricis, si pedes inde inungantur, Accipe fabas & bonam partem earum aceto indito, finitoq; eas unum diem atq; noctem in eo macerari, donec cortices decidant, deinde in sole siccato, & in puluerem redactis addito puram aquam fontanam: quando iturus es cubitũ, faciem inde lauato, tũ mane nitida est ac pulchra.

Cum Oxymelite decoctæ & impositæ, abscessus articulorum emolliunt. Fabæ elixæ aut tostæ si fuerint, tum malitia earum reprimitur.

Totam

A Totam fabam medicorum nonnulli cum Oxycrato decoctam, dysentericis, cœliacis, uomentibus, exhibuerunt.

Sanat eadem in uino cocta testium inflammationes, & pu[illegible] rum imo uentri imposita, impuberes diu seruat. Cum rosa, thure, & oui albo, procidentes oculos, eorumq; uuas, & tumores compescit. Vino eadem macerata oculorum suffusionibus, & ictibus medetur: quinetiam sistendis eorum fluctionibus sine cortice commanducata faba fronti imponitur.

DE AQVA FABARVM NOSTRATIVM.

Optimum eas distillandi tempus est, ut uirides uitro inditæ in Balneo Mariæ distillentur.

Aqua fabarum uitiosa crura laua, & redige in puluerem, quod ex aqua distillata reliquum est, puluereq; illi malo insperge, desiccat enim & optimum est remedium ad uitiosa crura.

DE AQVA EX SILIQVIS FABARVM.

Siliquæ in quibus Fabę nascuntur, distillari debent, quando Sol in Leone fuerit, & Luna in Ariete.

Aqua ex fabarum siliquis optimè medetur renum & uesicæ lithiasi, mane & uesperi singulis uicibus ij. uel iij. uncijs pota.

DE AQVA EX HERBA FABARVM.

Herba cum caulibus distillauda est circa finem Maij.

B Hæc aqua mane & uesperi singulis uicibus pondere duarum unciarum per aliquot dies pota, pellit calculum infantium. Eadem iiij. uel v. uncijs quotidie pota, medetur ueneno. Eodem modo per unum mensem pota, bonum & purum generat sanguinem. Facies & cutis eadem aqua lota, lenis & nitida redditur.

DE AQVA EX FLORIBVS FABARVM.

Flores fabarum in Balneo Mariæ distillari debent, quum ad plenam maturitatem peruenerunt, & priusquam marcescant decerpentur.

Aqua florum fabarum uesperi oculis instillata, fluentes & lippientes oculos exiccat. Prodest etiam ad exulcerationem & ruborem oculorum, intrinsecus, ut ante dictum est, indita. Sic & pustulis oculorum medetur. Item facies hac aqua lota uel corpori illita, cutem nitidam & lenem reddit, maculasq; tollit.

Eadem contra uenenum auxiliatur, una uice vi. uncijs pota.

Educit omnia tela, spicula, atq; spinas corpori infixas, linteolum in ea madefactum, si imponatur.

A mulieribus mane ac uesperi singulis uicibus iij. aut iiij. uncijs per sex uel septem dies pota, menstrua earum tempestiue trahit.

Sacros ignes extinguit, & malignas pustulas expellit, si linteolo uel molli stupa mane ac uesperi imponatur.

DE FABA

C

Satirion

NOMENCLATVRAE.

Τελέφιον.

Faba inuersa.
Agreste sedum.

Gewandt Bonen.
Wundt Kraut.
Knaben Kraut.

ANNOTATIO IN FABAM INVERSAM.

D FABA inuersa uulgò ab Herbarijs appellatur ea herba, quę à Dioscoride, & Plinio Telephion dicitur, ut Ruellius testatur. Hieronymus nobilis Herbarius subscribit iudicio Ruellij, inquiens, Faba inuersa est species uulgaris Fabæ, & à Germanis ea herba appellatur **Wundtkraut** uel **Knabenkraut**, & habet folia fabis similia, sed crassiora & pinguiora tantum. Nonnulli quoddam genus semperuiui esse suspicantur. Alij crassulam minorem appellant, quod crasso pinguiq; constet folio, Doctor Theobaldus Fettich clarissimus quondam Vormatiæ medicus, & Herbarum peritissimus censuit eam esse speciem portulacæ, & portulaca maior appellari, ut Ottho Brunsfelsius indicat. Hanc autem Telephion esse apud Dioscoridem pictura, & uires satis ostendunt. Telephion autem inde dictum putant, quia ulceribus malis, quibus Rex Mysiæ Telephus, consenuit ab Achille uulneratus, auxilietur. Ab Herbarijs uerò Faba inuersa dicta est, quia radix ima innumeris tuberibus scatet, quæ fabarum implent magnitudinem. Radix tamen à Dioscoride non exprimitur, quę profectò ob sui raritatē non fuerat omittenda. Numeratur inter herbas uulnerarias, inter quas non infimū locū habet.

DESCRIPTIO.

Faba inuersa est herba latis folijs, & halicacabo fermē similis. Herba hæc gerit Fabas inuersas, caulis est cubitali altitudine.

VIRES

A VIRES AC IVVAMENTA.

Ex hiſce fabis paratur unguentum, cui admiſcetur Aerugo ſuc cuſq; Alchimillæ, & recens cera. Hoc unguentum uulneribus putridis emplaſtri modo impoſitum, carnem putridam educit, & intra tres dies uulnus renouat abſq; ullo dolore.

Aliud unguentum, Accipe ſucci huiuſce fabarum ſimiliter & foliorum libram unam, ſucci ſemperuiui, Ariſtolochię longæ, uniuscuiuſq; tres uncias, Aeruginis & Ariſtolochię rotundę in puluerem tritæ, ſingulorum unciam unam. Hæc cum oleo oliuarum & recenti cera commiſceri debent. Vnguentum hoc multam magnamq; uirtutem habet curandi uulnera, & inueterata mala.

DE FAGASMONE.

NOMENCLATVRAE.

Ξιφίον.

B

Fagaſmon.
Gladiolus.
Sagittalis herba.

Kleyn Schwertel.
Wild Schwertel.

ANNOTATIO IN FAGASMONEM.

FAGASMON corrupto uocabulo à Barbaris dicit, quod Græci Phaſganon dicunt, id eſt enſem, A Dioſcoride hæc herba Xiphion appellatur, A Romanis uerò Gladiolus, Id autem nominis nacta uidetur, quoniam gladij ſpeciem foliis præbeat.

DESCRIPTIO.

Herba hęc folia habet iridi ſimilia, minora tantum & anguſtiora, neq; adeò acuta. Flores habet purpureos. Radices duas, & alteram alteri inſidentem. Altera ſuper terram remanet, ut Petroſelini radix, & rotunda. Altera intra terram naſcitur, cuius uſus eſt in medicina. Gaudet naſci in antiquis pratis & foſſis.

VIRES

C Superior radix omnem tumorem ex calore procreatum tollit, decocta,& emplastri modo impolita. Eadem in uino elixa,& thure addito calida impolita, furculos, fpinas & fpicula è uulnere extrahit.

Digito impolita, in quo uermis fæuit, fedat dolorem, & extrahit abfq; noxia.

Radix quę intra terram nafcitur non debet ufurpari ut fuperior. Hic quoq; notandum eft, quòd quemadmodum fuperiore radix, non poteft nafci in terræ profundum, ita in uulnere non relinquit fagittas,fpinas & id genus alia,trahit ea ad fummum. Sic etiam contrario modo facit radix inferior, quæ huic adhæret, omnia trahit ad fundum,quibus cũ cõmifcetur. Quare pofterior hęc radix ufurpari debet ad fundum alicuius affectus fanandum, ut funt fiftulæ, quæ in fuperiore parte cutis paruæ prominent,& tamen intus funt profundę,& latè ferpunt, Aduerfum hoc,accipies unciam huius radicis, quæ intra terram nafcitur, & admifcebis Aeruginis, olei Tartari, fingulorum drachmam unam, & impones emplaftri modo,hoc fundum perquirit,& fanat citra ullam aliam medicinam. Habet etiam uirtutem Liliorum & cæparum ad apoftema aliquod emolliendum, quod ferro fecandum, uel exurendum eft. Quinetiam fuperiorem radicem ferunt uenerem in uino potam excitare:
D inferiorem uerò fterilitatem facere: fuperiorem itidem pueris contra inteftinorum ramices utiliter in aquæ potione dari.

FAGVS.

NOMENCLATVRAE.

Ὀξυὲς.

Fagus.

Büchbaum.

A AGVS à Græcis φηγὸς dicta, glandiferis arboribus annumeratur: tametsi fructu nihil glandi simillimum habeat: assurgit caudice crasso, & in orbem comoso: neq; ita procero, folio tenui & leuissimo, populo simili, celerrimè flauescente, & media plurimum parte: supra hoc paruula gignitur bacca uiridis, fastigio aculeata, Glans eius dulcissima nucleis haud absimilis, triangula cute includitur, & parte postrema, utrinq; lapidescit in duritiam, si uirilis sexus fuerit: nam & sexuum in glandiferis Theophrastus obseruauit discrimina. Cortex è Fago in magno usu agrestium, ut inquit Plinius, Vasa corbesq; ac patentiora quædam messibus conuehendis uindemijsq; faciunt, atq; prętexta tuguriorum. Nec non in quodam usu sacrorum religiosus erat apud ueteres Fagi cortex, Materies assulatim dissecatur in scandulas quibus teguntur ædificia.

VIRES AC IVVAMENTA.

Fagi folia manducantur in ginginarum labiorumq; uitijs, ut inquit Plinius, tusa tritaq; siccant tumores, torpentia membra corroborant. Calculis glandis faginæ cinis illinitur: item cum melle alopetijs. Radicis cortex in aqua tantisper coctus, dum remollitus distabescat, capillos denigrat, cimolia creta antea præparatos.

B

Fagi glans muribus gratissima, eius animalis prouentum auget, saginat quoq; glires, expetitur & turdis. Fagea glans suem hilarem facit, carnem coctibilem, & leuem, utilemq; stomacho.

DE FEBRIFVGA.

NOMENCLATVRAE.

Παρθένιον.
Ἀμάρακος.

Febrifuga.
Matricaria.
Meter.
Mettram.
Mutterkraut.
Feberkraut.

DE HERBIS, CAETERISQVE ANNOTATIO IN FEBRIFVGAM.

C FEBRIFVGA herba eſt, quæ alio nomine Matricaria ab Herbarijs appellatur, quòd contuſa Matricis dolores ſanet: Febrifuga autẽ à Latinis quoq; dicitur, quòd præcipuè Febribus medeatur. Apud Dioſcoridem & alios Græcos Parthenion dicitur, ut Hermolaus Barbarus, Manardus, & alij doctiſſimi medici affirmant. Galenus Parthenion Amaracum appellat, uerum Plinius & Dioſcorides, Amaracum pro Maiorana, quę & Sampſychus dicitur, accipiunt.

DESCRIPTIO.

Matricaria folia Coriandro ſimilia habet, flores per ambitum candidos, cum ſemine luteo.

TEMPERAMENTVM.

Calidæ eſt naturæ, & Abſinthij, & Centaureę uires habet. Odore uiroſo herba eſt, & guſtu amaro.

VIRES AC IVVAMENTA.

Comeſta uel Cataplaſmatis modo uentri impoſita, tormina uentris diſcutit.

Cum aqua elixa, adipeq; & triticea farina admiſta, ſi inde ſorbitiuncula conficiatur, ea comeſta tormina inteſtinorum pellit, calefacit ſtomachum, & multum uiſcoſi humoris educit. Itidem menſtrua pellit, multoſq; malos humores ex mulieribus expellens.

D Eadem in bono uino decocta, & ſæpius pota, febribus medetur.

Ante acceſſionem in uino cocta, & comeſta, febrem depellit.

Semen in cibo ſumptum, lumbricos uentris necat.

Accipe Matricariam, Meliſſam & Ebur, quæ in puluerem redacta, & in uino ſumpta, fœminas facit fœcundas, atq; ut facile concipiant. Poteſt ſicca in aceto uinóue addito ſale pota, Epithymi modo, bilem & pituitam per inferna trahere. Datur bibenda utiliter herba ſine folijs calculoſis ſuſpirioſiſq;. Fouentur decocto eius inſidentes fœminæ, contra muliebrium locorum durities, & inflammationes. Item herba ipſa cum floribus imponitur emplaſtri modo ſacris ignibus inflammationibuſq;, & alijs collectionibus. In uino cocta menſes trahit, & uermes necat.

DE FERVLA.

NOMENCLATVRAE.

Νάρθηξ.
Ferula.
Birckwurtz.

ANNO

ANNOTATIO IN FERVLAM.

A FERVLA fruticis genus est, quo non aliud leuius, ut indicat Plinius lib. 13. ca. 22. utilis ad fulciendos uacillantes ætate senes. Vnde & Baccho Silenoq; sacer, ut uino titubantes fulciat, nec oneret tamen. Asscribitur arborum generi Ferula: quoniam teneritudo eius processu transit in lignum, propterea Clearchus inter quæstiones lusorias, quas nostri scyrpos, Græci gryphos, & ænigmata uocant: Ferulam dicit esse lignum non lignum, sicut pumicem lapidem non lapidem, noctuam uolucrem non uolucrem. Ferulæ lignum omne corticis loco habent, ut Hermolaus scribit, hoc est forinsecus: ligni autem uice fungosam medullam, ut sambuci: Nonnullæ inanitatem, ut harundines. Hac exceptum ignem cœlestem Poëtæ fingunt Prometheum deportasse in terras. Postremo hinc fiunt sceptra pædagogorum, ut Martialis appellat, quo terreant, magis quàm lædant. Notauit id eleganter Columella in carmine. Nec manibus miteis ferulas. Et ibidem: ferulæq; minaces Plantantur, Vnde & prouerbium Manum Ferulæ subducere. Ferulam non minus à feruendo quàm feriendo dictam uideri facit Hippocrates, qui eam plestinga uocauit.

DESCRIPTIO.

B Ferula est frutex multis uirgis, radice parua & gracili acrubicunda.

TEMPERAMENTVM.

Radix magis frigidæ est naturæ quàm calidæ. Ea medetur sanguinem excreantibus, si ex ea bibant.

Ferula contusa, & uulneribus imposita: fluxū sanguinis eorum sistit. Ad superuacuos humores corporis, Accipe unciam unam Ferulæ, Tormentillæ duas uncias, & contunde eas usq; ad exitum succi, & in ollam puram immitte, uinumq; merum & bonum superinfunde. Hæc potio per xv. dies bibita à cibo sumpto, & quando iturus es cubitum, discutit illos humores, & per totum annum opitulatur.

Bibitur uiridis Ferulæ medulla, ut Dioscorides scribit, cœliacis, & sanguinem expuentibus.

Datur & contra morsus uiperarum bibenda cum uino.

Indita etiam naribus linamenti modo, sanguinis eruptiones ab ea parte sistit.

Bibitur eiusdem contra tormina semen utiliter.

Ad ciendos sudores ex oleo inungitur.

C

DE HERBIS, CAETERISQVE DE FICIS.

NOMENCLATVRAE.

Σῦκον.

Ficus.

Feigen.

FICORVM GENERA.

FICORVM duplex genus eſt, Satiuæ enim & Syluestres ſunt, Satiuæ etiam duplices ſunt. Aliæ enim ſunt recentes & humidę. Aliæ ſiccæ & frigidæ. Siccæ quoq; meliores ſunt recentibus, ſiccarum uerò optimę ſunt, quę carnoſæ neq; nimium aridæ ſunt.

TEMPERAMENTVM.

Ficus calefaciunt in principio primi ordinis, & deſiccant in ſecundi ordinis principio. Virtutem habent maturandi & conſumendi.

VIRES AC IVVAMENTA.

Ficus & uuæ inter omnia Poma principatum obtinent, ut Ægi-
D neta inquit, ut quę minus uitioſos humores generent, & magis nutriant. Inter hæc ipſa Ficus probioris ſucci ſunt, ualentioriſq; materiæ, aluo & urinæ ducendæ, renibus purgandis idoneæ, preſertim admodum maturæ. Idem preſtant caricæ, quanquam inflationes, & ſanguinem non probum pariant, eoq; frequentius uſurpatę, pediculos procreant, Ficus ſiccatæ (quas caricas Latini uocant,) corpus nutriunt, calefaciunt, ſitim afferunt, bonam faciunt aluum: in ſtomachum tamen & aluum deſtillationibus inimicæ. Decoquuntur cum hyſſopo caricę, purganturq; poto decocto illo pectoris uitia. Eadem potio uſurpata diutinis tuſſibus, & antiquis pulmonum uitijs accomodata eſt. Et Ficus potiſſimum apoſtema pulmonis, unde Phthiſis prouenire ſolet, diſcutiunt. Cum ſemine fœnu græci, & Ptiſana decoctæ: & fœminæ decocto earum inſidentes ab inferiore parte foueant, uitia matricis, & eius procidentiam ſanat. Decoctę ac contuſę radiceq; acori admixta, ſi emplaſtrum inde fiat, & imponatur, duros abſceſſus emolliunt & ſanant. Hydropicos extrinſecus ſiccant ex uino contuſę, & cum Abſinthio & hordeacea farina in modum cataplaſmatis adunatę, ſi aluo imponantur. Tumores diſcutiunt, & ſtatim in totum corpus peruadunt penetrantq;, quare ad tumorem ex hydrope procreatum accomodatę ſunt.

Ficus

A Ficus candidæ magis probantur, deinde rubentes, tertio nigricantes. Quæ ad plenum maturatæ sunt, inter illas meliores sunt.

Ficus frequenter manducatæ malum pariunt sanguinem, & pediculos procreant.

Contusæ & melle permistæ, si emplastrum inde conficiatur, & imponatur, dura apostemata maturant & molliunt.

Succus ex ramis ficus morsui uenenati animalis impositus, ipsum sanat.

Idem succus lepræ alijq; cuilibet scabiei prauę illitus, medetur.

Hic succus colligetur, quando fructus in arbore iam ferè maturi sunt.

Ficus cum hyssopo coctæ, & mane à ieiunis sumptæ, contra pestem prosunt. Ita quoq; usurpatæ contra cutem subeuntes aquas auxiliantur. Epilepticis etiam eodem modo conducunt.

Ficus recolligentibus se à longa ualetudine utilissimæ. Cum ruta coctæ & infusæ torminibus prosunt.

Cum atramento sutorio fluidis tibiarum ulceribus maleficis, nec facile in cicatricem coëuntibus, medentur.

Strumas & quas Græci parotidas dicunt emolliunt, panos maturant, multoq; magis additis radice iridis, aut nitro, aut calce. Gargarissatur utiliter earum decoctum contra faucium, & tonsillarum
B inflammationes.

Crudæ eædem concisæ additis coactisq; simul sinape aut nitro, mox auribus inditę, incertos earum sonos sanant, & pruritus.

Magnus Pompeius Mithridate deuicto in scrinio eius inuenit ipsius manu scriptam compositionem, qua ille præsumpta aduersus omnia uenefícia in totum diem tutum se incolumemq; præstabat, in qua iuglans una, fici duæ siccæ potissimum, rutæ folia uiginti, salis granum in unum contunduntur, & deuorantur à ieiuno.

Docet Paxanius aridas ficos à putrilagine uindicari hac ratione: Passæ sine ullo cario sę labis sensu integræ manebunt, si tres liquida pice imbutæ, una in fictilis fundo collocetur, altera referto ficubus ad medium uase, tertia faucibus iam completo superponatur, plurimo tempore sanæ & uitio intactæ manebunt. Alij calicem uitreum; aut aliud quoduis perspicuum poculum, super ficos leniter inuertunt, & obducto cera spiramento, ita relinquunt, sic manent immarcidæ.

DE FILAGINE.

NOMENCLATVRAE.

Κερατόφυλαξ.

Filago.
Cartofilago.

Wund Kraut.

ANNOTATIO IN FILAGINEM.

DFILAGO herba uulneraria eſt, & Herbarijs corrupto nomine Cartofilago, pro ceratophylace dicitur. Hanc enim Hermolaus Barbarus ceratophylacem uocandam putat, quia partem oculorum ceratoidem, hoc eſt corneam, defendat, ſalutiq; percuſſam reſtituat. Veteribus incompertam fuiſſe exiſtimat.

DESCRIPTIO.

Filago uarij generis eſt. Vna eſt quæ habet longum, & altum caulem, atq; rubicunda exiſtit, in ſummo luteum florem gerens.

Alia rubentibus eſt folijs & acutis, caule procero & hirſuto, floribus luteis.

VIRES AC IVVAMENTA.

Hæc herba non ſolum uſurpari debet, uerum etiam commiſceri cum aceto & uino, & circũ uulnera applicari, & non imponi: tum facit renaſci carnem & ſanat.

Eadem cremata in cinerem, & recentibus uulneribus inſperſa, quàm primum ea curat.

Hic puluis cum aceto permiſtus, & repoſitus tàm diu, dum puluis in aceto ſiccetur, tum fiſtulis & maleficis ulceribus inditus, ea benè expurgat, & citò ſanat.

A

DE FILICE.

NOMENCLATVRAE.

Στέρις.

Filix.

Farenkraut.
Walt Faren.
Eych Faren.

B

ANNOTATIO IN FILICEM.

FILIX frutex est, qui à Græcis πτέρις dicitur, Sterilem & sine semine omnes Filicem dixerunt, falsumq; est, quòd iactant aliqui, una solsticiali nocte florere Filicem, eademq; hora cum defloruit, maturum in terram semen cadere. ideoq; nisi aliquis tunc adfuerit, nec uideri florem, nec colligi semen posse: quæ omnia agyrtarum commenta sunt, humanæ ignorantiæ ad quæstum tam impudenter illudentium. Neq; hoc mendacij genere contenti, ne quid fraudi eorum & sceleri deesset, religionem etiam commentis suis addiderunt: Natali nocte S. Ioannis cuncta illa fieri præcipientes.

DESCRIPTIO.

Filix nascitur montanis, & Saxosis locis, à tergo uiridior quàm à fronte, florem neq; semen habens. Folia sunt amplitudine cubitali, estq; Polipodio figura similis. Radicem habet nigricantem & oblongam, ex qua plures ueluti adnatæ prodeuntur aliæ radices, gustu adstringentes. Filix duorum est generum. Mas & Fœmina. Filix fœmina folia habet similia priori, sed ramis pluribus altioribusq; fruticans. Radices illi sunt longæ, & numerosæ, & in nigro colore ruffæ. Rubent earum tamen aliquæ, non secus atq; sanguis. Sed hæc natura non adeò pollet, ut prior Filix. Græci hanc Thelypterim uel nymphæampterin appellant.

C VIRES AC IVVAMENTA.

Filix mas natura educit malos humores, deſiccat & expellit impuros interioreſq; corporis fluxus, naturamq; hominis quoq; confortat. Huius radix in puluerem trita, atq; cum uino & Melicrato pota, uentris lumbricos ſtatim enecat. Pellit & latos uentris lumbricos pondere unius drachmæ in aqua mulſa pota: fœlicius tamen id præſtat, ſi cum nigri Veratri aut ſcammonij quatuor obolis detur. Lienoſis quoq; prodeſt. utraq; ſtomacho inutiliſſima. Aluum ſoluit, primo bilem trahens, mox aquam. Neutra danda fœminis, quoniam grauidis arbortum, cæteris ſterilitatem facit. Farina earum ulceribus tetris inſpargitur, iumentorumq; ceruicibus. Foliacimicem necant, Serpentem non recipiunt, ideo ſubſterni ſuſpectis locis utile eſt: uſta etiam fugant nidore.

DE FILIPENDVLA.

NOMENCLATVRAE.

Filipendula.
Saxifraga rubea.
Viſcago.
Schrophularia.

Rot Steynbrech.
Wilde Garbe.

A

ANNOTATIO IN FILIPENDVLAM.

FILIPENDVLA ab Herbarijs Latine dicitur, quæ alio nomine etiam Saxifraga rubea dicitur, est enim una specierum Saxifragæ, quæ uarias continet species, A multis Germanice **Wilde Garb**, hoc est Agreste millefolium uocatur, quia eius folia minora sunt Petroselino. Aliquç habent caulem continentem umbellam instar millefolij, & radicem nodosam, unde interdum Schrophularia minor appellatur. Laurentius Phrisius scribit eam à Grecis uocari, Seseli, cum quo uiribus bene conuenit, quamuis forma discrepat.

DESCRIPTIO.

Filipendula herba est in Apulia nascens, cuius radix in medicina usurpatur. Hæc radix in fine Autumni effodi debet, quę durat decem annos. Herba hęc Petroselino est similis, radix nodosa est.

TEMPERAMENTVM.

Calida & sicca est in tertio gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radix facit ad calculum, & uesicæ stillicidia, medeturq; Ischiadi.

Puluis ex hac radice sumptus in uino, conducit ad frigiditatem stomachi, concoctionemq; adiuuat.

Idem in cibo sumptus medetur comitialibus.

B Contra difficultatem spirandi, Accipe hunc puluerem, & Gentianam eodem pondere, & in cibo utere, auxiliatur absq; dubio.

DE AQVA FILIPENDVLAE.

Tempus electum ad distillandum eam est, ut herba unà cum radice inuicem minutim concisa, in fine Maij distilletur.

Aqua Filipendulę manc ac uesperi singulis uicibus iij. uncijs pota, medetur pesti.

Eadem iiij. uel vi. uncijs pota, contra uenenum opitulatur, si homo alicubi uenenum ederit, uel biberit.

Calculo renum & uesicę medetur, si prędicto modo bibatur.

DE FISTVLA PASTORIS.

NOMENCLATVRAE.

Ἀλίσμα.
Δαμασώνιον.

Fistula Pastoris.
Alisma.
Hirten Pfeiff.

ANNO.

ANNOTATIO IN FISTVLAM PASTORIS.

c FISTVLA Paſtoralis à recentioribus ea herba uocatᷓ, quæ apud Dioſcoridem, & Plinium Aliſma & Damaſonium dicitur, ut teſtatur Ruellius, Paſtoralem fiſtulam autem uocant, quod ſingulari ſcapo rudis Fiſtulæ, & longitudinem & effigiem quandam uideatur imitari. Officinæ quoq; & Herbarij à ſimilitudine & natalibus plantaginem uocant aquaticam.

DESCRIPTIO.

Fiſtula Paſtoris herba eſt in terram conuexa ut plantago, habet que uirides flores, radicem mollem. Aquoſa amat loca.

TEMPERAMENTVM,

Calefacit atq; humectat in ſecundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA,

Radix cum melle, & in uino decocta & pota, medetur dyſenteriæ. Eodem modo ſumpta, tollit dolorem ſcapularum.

Hæc herba uirtutem habet conſumendi apoſtemata indurata, ſi imponatur.

Si quis ex hac herba atq; radice eius biberit, tum calculum lumborum frangit.

Radix ſanat ulcera inteſtinorum, cum oleo oliuarum, & aqua mulſa uſurpata.

D

DE FLAMMVLA.

NOMENCLATVRAE.

Flammula.

Brenn Kraut.

ANNOTATIO IN FLAMMVLAM.

FLAMMVLAM hodie herbam dicunt in terra ſerpentem, foliis longiuſculis, flore uiduam, ſemine thyrſulos ambiente, ui urente & æſtuoſa, unde illi nomen. ferunt quidam eam eſſe alteram Clematidem apud Dioſcoridem. Fuere è recentioribus, ut Ruellius indicat, qui Flammulam uocauere herbam in ſalictis naſcentem, quæ ſalicaſtrum nominatur, folio duro cinericei coloris, uiticulis calloſis, rubentibus, qualiter flos quem Flammam Iouis appellamus, in uiolis ferentem ſemen punici mali ſimile in acinis, contra hominum, & quadrupedum ſcabiem efficacem.

TEM-

A

TEMPPRAMENTVM.

Flammula calida & ſicca eſt in tertio gradu. Habet naturam inflammandi.

VIRES AC IVVAMENTA.

Viridis uſurpari debet, non ſicca.

Si quis apoſtema durum & immaturum, quod ſuppurare non quiuerit, in corpore habuerit, Accipiat Flammulam contuſam ac modicum olei admiſceat, & imponat, hoc ſtatim emollit ac erodit.

Teritur eadem cum oleo roſaceo, & inſolatur triginta dies in uitro in diebus caniculatibus. Hoc oleum pondere unius drachmæ in cibo ſumptum, facit ad renum dolores.

Eodem modo medetur febri quartanæ, Paralyticis membris quoq; prodeſt illitum.

Idem utiliſſimum eſt clyſtere infuſum, pellit lapidem renum & ueſicæ. Ea recenti utendum quoq; cenſent ad phagedænas, gangræ naſq; addito ſalis momento; item lepris & impetiginibus imponit,

ED FLORE AMORIS.

NOMENCLATVRAE.

Ἀμαράνθος.

Flos amoris.
Amaranthus.

Tauſent Schön.
Floramor.

ANNOTATIO IN FLOREM AMORIS.

FLOS amoris eſt alterum Amaranthum, purpureo ſcilicet flore, ut Euritius Cordus in ſuo Botanologico teſtatur. Dicitur autem Amaranthus, quaſi flos immarceſcibilis: diutiſſimè enim colorem retinet. Eſt autem flos ille ſpicatus, admodum purpureus, aſpectu pulcherrimus, nullius odoris aut ſaporis. Solo colore commendatur Amaranthus. Spica Plinio purpurea uerius quàm flos. Purpuras Tyrias Laconicaſq; ſuo rutilanti nitore uincit, prouenit Auguſto menſe, durat in Autumnum, Mirumq; cum defecere cuncti flores, madefactus aqua reuiuiſcit, & hybernas coronas nectit. Qua

dote

C dote iam in fictilibus seritur, ut ab Augusto floreat in Octobrem, quo tempore gestit frequenter carpi. Collectum & furni tepore siccatum, puellæ ad coronarios hyemis usus recondunt. Siluit de eo Dioscorides, forsitan quòd paucis uiribus in medicina polleret.

DIVISIO EIVS.

Floramor herba est trium generum. Vna est Domestica, Aliæ duæ sunt Agrestes. Domestica nascitur in hortis, caule crasso, alto & pingui, inter folia florem habens purpureum, in quo quum maturuit, paruum & nigrum semen prouenit, unde seminari solet. Aliæ in campis nascuntur, cubitali longitudine, in quo continentur flores albicantes, & colore glauco, atq; etiam cum semine nigro. Mas caulem graciliorem quàm fœmina habet.

TEMPERAMENTVM.

Vtraq; natura refrigerat atq; siccat in tertio ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Herba hæc elixa & artubus contusis imposita, sanguinem conglobatum discutit, & statim sanat.

In uino cocta, & anus inde foueatur, tollit fluxum hemorrhoi-
D dum. Eodem modo usurpata, tenasmonem curat.

Radix in ore retenta, sedat dolorem dentium.

Eadem contusa & cum butyro uernali permista, si inde fiat unguentum, inflammationibus illita prodest.

DE FLORIBVS FRVMENTORVM.

NOMENCLETVRAE.

λύχνις ἀγρία.

Flos frumenti.

Korn Blümen.

ANNO.

ANNOTATIO IN FLOREM FRVMENTI.

A FLOS frumenti appellatur, quia in frumentis nascitur, & apud Dioscoridem & Plinium lychnis agrestis dicitur, ut Otto Brunsfelsius indicat.

DIVISIO.

Flores frumentorum triplici sunt colore, Alij sunt cœrulei, alij Purpurei, alij uerò candidi, cum acuta & candida radice.

VIRES AC IVVAMENTA.

Texuntur in coronis, & in medicina usurpantur ad putrida uulnera.

Herba horum florum intra corpus rarò usurpatur, sed extra corpus tribus modis, iuxta triplicem colorem quem habent flores, in medicina ea utuntur.

Primò flores cœrulei frumentorum commixti cum Aerugine, et uulneribus gangræna occupatis, impositi, eam citò absumunt. Purpurei flores bolo armeno permisti, & circum uulnera illiti, ardores inde tollunt.

Candidi flores cum cerussa, & oleo oliuarum commixti, emplastroq; inde facto, refrigerant atque sanant omnes calidas pustulas.

B Plinius huic herbæ occultam quandam uim attribuit. Hac enim perunctos uenustiores fieri, nec ullo malo medicamento lædi posse, si quis adalligatam gestet. Per inferna bilem trahit potum semen eius, ut Dioscorides tradit.

DE AQVA EX CŒRVLEIS FLORIBVS frumentorum.

Optimum tempus distillandi ipsos flores est circa finem Iunij.

Aqua horum florum facit ad ruborem, & exulcerationem oculorum, si inde lauentur.

Eadem albugines oculorum tollit, eosq; claros reddit, si unam horam ante noctem instilletur.

Conducit quoq; ad fistulas, si per diem bis ea lauentur, uel linteolo si imponatur. Tali modo & cancrum sanat.

Item cœrulei & purpurei flores siccati, & in puluerem redacti, saccharo bonum colorem efficiunt. Tale saccharum absq; noxia intra corpus sumitur.

DE FLORIBVS S. IOANNIS.

C

D

NOMENCLATVRAE.

Βουφθάλμου.

Flos S. Iohannis.

S. Johans Blůme.
Kinds Aug.

ANNOTATIO IN FLOREM S. IOANNIS.

FLOREM S. Iohannis Comes à Neuenare credit esse Buphthalmon Dioscoridis, cuius sententiam Ottho Brunsfelsius non improbat. Nam descriptio Dioscoridis huic herbæ, quam florem S. Ioannis uulgò appellant, omnino quadrat. Quidam etiam uernaculo idiomate florem orbicularem, siue annularem, propter rotunditatem, qua oculo assimilatur, appellant. Est tamen & alia Buphthalmon apud Dioscoridem, quę etiam Chrysanthemon uocatur, ab aureis foliis, ab alijs Chrysion, in segetibus passim crescens, floribus omnino aureis, & oculi figuram referentibus.

DESCRIPTIO.

Flores S. Ioannis in ambitu albi sunt, & intus ac in medio lutei, quemadmodum Anthemis, id est Chamomilla. Nascuntur in hortis & pratis. Radicem habet leuem.

TEMPERAMENTVM.

Hi flores natura sunt temperati.

VIRES AC IVVAMENTA.

Si quis fuerit qui noctu diuq; nullam quietem in capite habuerit, & libente

A & libenter rem cum mulieribus habere uelit, hunc florem adalligatum secum gestabit, tũ Melancholia illa, & mala uoluntas mutat.

Hæc herba, ut idem Comes à Neuenare testatur, ad uarios morbos efficax est, quanq; rarò ea utantur empirici nostri temporis.

Valet ad tineam, & serpiginem corporis, tam pota ex uino, quàm etiam illita foris. Apostemata etiam rumpit potui data, uel tanquam cataplasma superposita.

Eius flores cum cera subacti, ut Dioscorides inquit, tumores duritiesq; discutiunt. Ferunt præterea à balneo, statim potam ad aliquod tempus herbam, suffusis felle coloris bonitatem reddere. Ferunt quoq; flores contusos, & impositos ualde efficaces esse ad uermem interficiendum.

DE FOENICVLO.

B

NOMENCLATRAE.

Μάραθρον.

Fœniculum.
Marathrum.

Fenchel.

ANNOTATIO IN FOENICVLVM.

C FOENICVLVS siue Fœniculum Latinis, à Græcis Marathron dicitur, notissima est herba. Fœniculum autem dici putãt, quòd satum magno cum fœnore semen reddat. Hoc nobilitauere serpentes, gustatu senectam exuendo, oculorum aciem succo eius reficiendo: unde intellectum est hominum quoq; caliginem eo releuari. Cæcutientibus (ut Nicander tradit,) anguibus, cum uere suas spelunças exeunt, Marathri succo acies oculorum hebetata restituitur. Fœniculum ferulaceum Plinius uocat, quòd è ferulis, ut multa alia, nascatur. Est & aliud fœniculum maius, quod ueluti arborescit, & à Græcis hyppomarathrũ uocatur. Aliud est insuper quod nunquam attollitur in altam magnitudinem, & minora folia habet, quàm fœniculum cõmune: uocaturq; id à Græcis Meon, uulgò autem Fœniculus tortuosus dicitur. Sunt qui fœniculi ferulas superuenientc hyeme abradant usq; ad terram, fimoq; bubulo, aut humano stercore integant, quo sequenti anno dulcius fœniculum faciat.

DESCRIPTIO.

Fœniculum Anetho assimulatur, luteis est floribus & quotannis sua sponte iterum prouenit.

TEMPERAMENTVM.

D Calidum & siccum est in secundo ordine, Ægineta inquit, fœniculum calefacit in tertio ordine, desiccat uerò quasi in primo.

VIRES AC IVVAMENTA.

Semen, herba, cortex & etiam radix usurpantur in medicina.

Semen hoc colligi debet in principio Septembris, ita tres annos durat. Cortex atq; radix colliguntur in principio Maij, ita etiam tres annos seruari possunt.

Herbam fœniculi decoque, quam si habere non poteris, accipe semen & cum aqua fontana ebullire sine, & bibe ex ea per diem quantum uitreum poculum capere potest, tum calor non natiuus extinguitur, clarumq; reddit uisum.

Si quis rubentes maculas ex facie repellere uelit, quæ speciem lepræ repręsentant, Accipiat fœniculum minutim contritum, adipeq; porcino antiquo permisto, iterum parum per inuicem contundat, faciemq; inde leniter inungat, hoc faciem reddit uenustiorem, maculæq; illæ euauescunt. Fœniculum comestum abundantiam lactis puerperis præstat. Semen manducatum urinam ciet, & menstrua purgat. Idem facit ad obstructum atq; induratum lienem & iecur, stillicidioq; urinæ prodest.

Succus fœniculi tepido lacte permistus, & infantibus lactentibus potui datus, conducit illis contra difficultatem anhelitus.

Medetur.

A Medetur quoq; calculosis: si uerò ipsa ægritudo ex calida causa prouenerit, tum cortex & radix fœniculi in uino decoquentur, quo mane & uesperi, quando itur cubitum, utendum est.

Fœniculum manducatum confortat stomachum, & concoctionem adiuuat. Idem præstat puluis ex semine eius.

Accipe radicem fœniculi, eamq; tamdiu decoque, dum mollescat, tepidamq; mamillis suppurare incipientibus superimpone, & sanantur absq; incommodo.

Succus stanneo uasculo inditus, reponetur xv. dies ad solem, deinde potest usurpari ad oculos: & est certum remedium.

Paulum ex aloé epatico huic succo additum, & etiam xv. dies in stanneo uase insolatum, Collyrij modo oculis imponitur.

Sanant rabidorum canum morsus concisæ radices, & ex melle emplastri modo impositæ.

Succus ex folijs caulibusq; expressus, tum in sole siccatus, oculorum medicinæ, & remedijs utilis.

Semen uiride usurpatum, oculis felle suffusis alijsq; eorum uitijs medetur.

Succus quoq; ex radice oculis medetur.

Succus fœniculi cum melle temperatus, ac tepidus auribus instillatus, uermiculos qui in eis nascuntur, interficit.

B Radix cum ptisana atq; uino cocta & pota, hydropicis prodest.

Fœniculum in uino uel aqua elixum, pellit calculum uesicæ, & ducit menstrua.

Verendis amicissimum siue ad fouendum radice cum uino cocta siue contrita in oleo illitum.

Cum aceto coctum, & uulneribus impositum, prodest.

Tumoribus ardentibus illinuntur folia ex aceto.

Inter omnes flores apibus nullus est gratior flore fœniculi.

Si quis fœniculum contundat, indeq; aluearium illinat tum apes libenter in eo permanent.

Si quis medium caulem, dum adhuc floret, demetat, igniq; admoueat, tum ui caloris gummi ex se mittit, quod multo efficacius in medicina oculorum est quàm succus.

DE AQVA FOENICVLI.

Tempus nullum melius est distillandi fœniculum quàm in fine Maij. Verum radix in fine dierum canicularium distillatur.

Aqua Fœniculi mane ac uesperi singulis uicibus iij. uncijs pota, cor expurgat, cerebrum confortat, pota uel capiti illita, thoracem laxat, pellit tussim, bonamq; reddit uocem.

Eodem modo sępius pota, expurgat pulmonem, & prodest ad ulcus pulmonis, stomachum purgat, ardoremq; eius sedat.

C Iocineri quoq; medetur, aperit renes & ueſicam, ea enim expurgat, & lapidem inde expellit.

Sæpius pota, ſedat uentris tormina, pellit aquã intercutem cum uino pota, morbum regium diſcutit, lienſq; oppilationem aperit.

Hæc aqua pota facit ad omnes capitis dolores. A mulieribus & nutricibus pota, trahit menſes, & facit copiam lactis.

Eadem pota craſſam materiam, quę in ſtomacho & circa pectus continetur extenuat atq; educit, pellit nauſeam ac uomitum, medetur ueterno.

Claritatem inducit oculis, omnibuſq; uitijs oculorum auxiliatur ſiue ex calida ſiue ex frigida intemperie obortis, oculis inſtillata, & uenis temporum illita, extrahit enim tam calorem quàm frigus.

Oculis indita acuit uiſum, pellit ſuppurationem, & ruborẽ oculorum, uenuſtam reddit faciem, ſi hac aqua mane & ueſperi lauetur. Item ab illis pota, qui uitium illud oculorum metuunt quod hypochima appellatur, & mane, meridie ueſperiq; ſingulis uicibus iij. uel iiij. uncijs cum puluere eufragiæ permiſtis, ſumpta, mirificẽ opitulatur, & uiſum amiſſum reſtituit.

DE FOENOGRAECO.

D

NOMENCLATVRAE.

Τηλις.
Βούκερως.
Fœnum Gręcum.
Fœno græcum.
Silicula.
Silicia.
Sibengezeid.
Griechiſch Hew.

ANNOTATIO IN FOENO GRAECVM.

FOENVM Græcum notiſſima herba eſt, cuius ſemina in uſu medico, quotidie ſunt frequentia, A Theophraſto Βουκέρως appellatur, ab aliquibus Ceraitis, Epiceras Hippocrati, quoniam fructum corniculis ſimilem habeat, unde ſiliquam nonnulli appellant, Plinius Siliciam, Varro Siliculam.

DESCRIPTIO.

Fœnum Græcum herba eſt cubitali altitudine, tenuibus, & teneris foliis

A ris foliis ad uiciæ similitudinem, floribus candidis, siliquas gerens in quibus quadratum semen instar lentium continetur.

TEMPERAMENTVM.

Fœnum Gręcum in fine primi gradus calidum est, & siccum in primo. Galenus inquit Fœnum Gręcum ex secundo ordine calidum est, è primo siccum, idcirco feruidas inflammationes irritat, minus autem calidas induratasq; magis discutiendo persanat.

Virtutem habet molliendi ac dissoluendi.

VIRES AC IVVAMENTA.

Fœnum Gręcum ad apostemata emollienda utilissimum est, Accipe fœni græci farinam, atq; cum oui uitello permisce, & impone. Herba ipsa decocta, & ulceribus imposita, ea maturat.

Eadem herba per quindecim dies in uino & oleo macerata, & deinde cocta & colata per linteum, modicaque cera, & farina fœni græci admista, paratur ad unguenti modum. Quod magnopere conducit ad maturanda apostemata. Idem tumoribus illitum, eos discutit.

Fœnum Græcum elixum cum oleo rosaceo, & corpori illitum, colorem emendat, graueolentiam oris pellit, & fœtorem corporis
P ex putrido sudore prouenientem. Semen fœni græci decoctum alarum graueolentiam emendat.

Farina fœni græci inflammationibus cum oleo rosaceo imposita, ualde prodest.

Minuit lienem emplastri modo imposita, eadem cum nitro & aceto subacta.

Muliebrium locorum purgationibus quęcunq; inflammatione præclusioneue cessant, fœni græci decoctum insidentibus medetur. Capillum, furfures, & manantia capitis ulcera exterit ex decocto in aqua fœno græco expressus succus.

Cremorem eius ex adipe anserino in lana subiecit Dioscorides mulieribus, ad molliendos earum locos: aut si præclusi sunt, laxandos.

Facit quoq; fœni græci decoctum ad crebras, & inanes egerendę alui cupiditates, quas tenesmos dicunt, maleq; olentia in intestinorum torminibus excrementa.

Sumitur & sorbitio è farina ad pectus exulceratum, longamque tussim. Diu coquitur donec amaritudo desinat, postea mel additur.

DE FRAGARIA.

NOMENCLATVRAE.

Τριφύλλον.

Fragaria.
Fraga.
Trifolium.

Erdtber Kraut.
Erdtbeer.

ANNOTATIO IN FRAGARIAM.

FRAGARIA herba eſt, quę à Plinio Fraga dicitur, numeraturq;, ab eo inter herbas ſponte naſcentes, quibus plęręq; gentium utuntur in cibis. Apud alios autores ueteres nihil de ea memoriæ proditum eſt, Cenſenda eſt, ut Brunsfelſius, & Collinutius uolunt, de genere pentaphylli, A Latinis Trifolium à tribus foliis quę habet, nominatur. Ab alijs Fra-
D garia ex fructu quem producit appellatur. Fructum uerò ferteſui gratiſſimum, rubeſcentem, præſertim dum maturuit, nucis auellanæ magnitudine: qui æſtate habetur in delitijs, editurq; interdum cum cremore lactis, aut uino, ſaccharo imbuto, uocanturq; hi fructus Fraga, ſuntq; omnibus nota. Hinc Vergilius cecinit. Qui legitis flores, & humi naſcentia Fraga. Seruius Grammaticus fructus terræ, & mora terreſtria appellat.

DESCRIPTIO.

Fragaria tenues & breues habet caules, & Agrimonię ſimilis eſt, ſed latiora tantum, & maiora habet folia, Flores autem candidos, fructum rubeſcentem, radicem rubicundam, & criſpam habet. Herba ipſa non durat ultra annum.

TEMPERAMENTVM.

Fraga refrigerant & humectant in tertio ordine. Itidem & ipſa herba.

VIRES AC IVVAMENTA.

Vigonius inquit, Fragaria eſt frigidæ complexionis: & ſuccus eius cum uino granatorum, & modico aquæ roſaceæ, apoſtematibus calidis in principio, & augmento opitulatur.

Fragaria ſi quis in balneo utatur, contra calculum utiliſſima eſt.

Si quiſq;

A Si quiſcp̃ ingentes dolores coxendicum habuerit, Accipiat iij; aut iiij. M. Fragariæ, & in aqua ebullire ſinat, & ab inferiore parte ſe inde foueat, deinde inungat ſe hoc ſequenti unguento. Accipe unguenti dialtheæ unciam unam, & admiſce ſemiunciam mellis, cerę drachmã, & confice ex eo unguentum. Hoc coxendicibus ſuccurrit, & materiam in eis induratam emollit, urinamq; prouocat.

Fructus eius hominibus eſt accõmodus, & calorem innaturalem tollit, & inprimis prodeſt hominibus complexione Choleris, refrigerat enim & humectat eos.

Accipe ſucci fragorum & aquæ plantaginis ſingulorum viij. uncias, mellis roſati ij. uncias, ſucci ex moris unciam unam, albi græci, balauſtiæ ſingulorum drachmam, hæc in unum miſce, & ore inde colluto contra apoſtemata gutturis auxiliatur.

Herba hęc cibo ſumpta medetur lienoſis: item ſuccus ex melle potus. Idem cum pipere candido datur ſuſpirioſis. Fraga ſitim ſedant, ſtomacho proſunt, ſed præſertim bilioſo.

Succus fragis exprimitur uetuſtate uires accipiens, præſentaneo remedio ad faciei ulcera, oculorum ſuffuſiones, neq; nõ epiphoras.

Radicis decoctum iocineris feruores mulcet, matutino & meridie potum.

DE AQVA FRAGORVM.

B Optimum tempus diſtillandi Fraga eſt, quando matura ſunt, ſed tamen non nimium mollia: quę in montoſis ſyluis naſcuntur, meliora ſunt.

Aqua fragorum bibita, & potus inde mixtus facit ad malum calorem, & ſedat ſitim.

Eadem mane & ueſperi ſingulis uicibus quatuor uncijs pota, medetur lepre, ſanguinem enim purgat in uino bibita, aut alioqui cum pane manducata, impuram quoq; ſcabiem ex corpore remouet.

Eodem modo pota iocineri medetur, & morbo regio, pectus laxat, confortat cor, purgat ſanguinem, & opitulatur contra calculum lumborum, renum, & ueſicæ. Prodeſt aduerſus alcolam oris, & ulcera gutturis, anginas, & fœtorem oris, ſi quis in ore uel gutture gargarizet. A mulieribus in potu ſumpta, eas purgat, & menſtrua prouocat.

Item medetur illi cui crus fractum eſt, mane iiij. uncijs pota, & linteolis impoſita.

Omnia uitioſa crura ſanat, ſi mane & ueſperi ea lauentur, uel linteis ſi imponatur.

Sordida uulnera curat, ſi ex ea lota fuerint, uel ſi quiſquam in potu ea uſus fuerit.

Tumorem faciei diſcutit, ſi inde lauetur.

e Cum ſale permiſta,& iterum diſtillata, oculis ualde accomoda eſt,refrigerat enim & clarificat eos. Oculorum collyrium eſt efficax aqua fragorum, præſertim ſi nimio ex calore malè habeant.

DE AQVA DISTILLATA HERBAE Fragariæ.

Tempus conueniens diſtillandi eam eſt in medio Maij.

Hæc aqua mane & ueſperi ſingulis uicibus ad iiij. uncias pota, medetur morbo regio.

Iſidem bibita laxat thoracem, purgat pulmonem, medetur tuſſi & pellit lepram.

Eadem mane & ueſperi iniecta oculis ex rubore calentibus,mitigat calores.

Eadem nimium ſudorem cohibet.

Ad calorem & obſtructionem iocineris nihil eſt ſalubrius.

DE FRAXINO.

NOMENCLATVRAE.

Μελία.

D Fraxinus.

Eſch Baum.

ANNOTATIO IN FRAXINVM.

FRAXINVM Meliam & Mileam Græci uocant,cognominantq; triozon, hoc eſt trinodem, quòd ramos habeat prægrandes, ordinatos,pareſq; numero. Matutinas occidenteſq; umbras eius,quamuis ſint longiſſimæ, nulla ſerpens attingit. Expertum ſe Plinius dicit, ſi fronde ea gyro claudatur ignis & ſerpens, in ignem potius quàm in Fraxinum fugere ſerpentem. Fraxinus antequam ſerpentes prodeant floret: nec ante conditas,folia dimittit.

DESCRIPTIO.

Fraxinus arbor eſt in ramis ſiliquas habens ad lentium ſimilitudinem, quibus ſiccatis innaſcuntur uermiculi iuxta formam uermiculorum,qui in apibus naſcuntur. Duorum eſt generum. Altera eſt ſagina Fraxinus, Altera uerò Saxoſa Fraxinus, quę producit adnatum adhærens ad linguæ auis modum, unde & lingua auis uocatur: lignum habet candidiſſimum.

TEMPERAMENTVM.

Hæc arbor refrigerat atq; deſiccat in ſecundo gradu.

VIRES

A VIRES AC IVVAMENTA.

Radix Fraxini recentibus uulneribus accomoda est, si ea aqua in qua decocta fuerit uulnera lauentur.

Cortex huius arboris recens uulneribus nouis imposita, ea ita adstringit, ut non necesse sit ea consuere.

Vinum in quo cortices bullierunt, potum, malum Phlegma in homine consumit, tollit quoq; morbum unde cutis solet inflari. Idem potum emollit lienem induratum.

Item cortices in aceto elixi, & cum spongia stomacho impositi, facit ad uomitum per superiora.

Fraxinus contra serpentes pollet: folia medentur iocineris & lateris doloribus in uino, Aquam quę subijt cutem extrahunt, Corpus obesum leuant onere, sensim ad maciem reducentes, ijsdem foliis cum uino tritis ad uirium portionem, ita ut pueris folia quinq; tribus cyathis dentur: rubustioribus septẽ, quinq; cyathis uini. Viperarum ictus restinguunt, & potu & appositu. Corticis cremati cinis lepras illinit.

DE AQVA FOLIORVM FRAXINI.

Tempus conueniens distillandi folia Fraxini est in medio ueris, tum enim contusa & quinq; aut sex dies in aceto macerata, in Bal-
B neo Mariæ distillari debent.

Aqua foliorum Fraxini pustulas, atq; impuras maculas faciei pellit, si tribus hebdomadibus mane & uesperi facies inde lauetur, uel linteolis in ea madefactis imponatur.

Pustulas curat, si mane & uesperi sæpius illinantur uel lauentur. Cum linteis imposita, pustulas sanat quæ eruperunt.

DE FVMO TERRAE.

NOMENCLATVRAE.

Καπνός.
Κάπνιον.
Καπνίτης.
Fumus terræ.
Fumaria herba.
Capnitis.
Erdtrauch.
Tauben Kropff.
Katzen Kœrbel kraut.
Wilde Rauten.

ANNO.

ANNOTATIO IN FVMVM TERRAE.

C FVMVS terræ à Græcis Capnos seu Capnion appellatur. A Latinis quoq; Fumaria herba dicitur, propterea quòd uis illi contra hominis oculos lachrymosa sit, qualis in fumo est, & quòd non aliter quàm Fumus oculos mordicat, atq; lachrymas ciet, si succus oculis instilletur. Preciosa & efficax herba est ad atram bilem repellendam, & ad unamquanque scabiem curandam. Hinc & Mesue inquit: Fumus terræ est ex medicinis benedictis, uerum exuberantia eius & nimia copia exemit eam è numero medicinarum precioſarum.

DESCRIPTIO.

Fumus terræ est herba fruticosa, nascens in hortis & segetibus hordeaceis, florem habet paruum & purpureum, estq; ipsa herba præpinguis.

Est & alia Capnos Plinio, quam pedem gallinaceum uocant, nascens in parietibus & sepibus, ramis tenuissimis sparsisq;, flore purpureo, uiridis succo caliginem discutit, itaq; in medicamenta oculorum additur.

In medicina usurpari debet uiridis, nam quo uiridior herba ipsa fuerit, eo melior est, arida enim nullam magis habet uirtutem.

TEMPERAMENTVM.

D Calidæ & siccæ est complexionis in secundo. Acutæ simul & amaræ qualitatis. nec prosus ab acrore abest. Subtiliat & penetrare facit, aperit occlusa, & resoluit.

RECTIFICATIO.

Nihil equidem habet noxij, uerumtamen exacuatione indiget, ut uehementius operetur. Censet igitur Mesue, in laxanda aluo, adijciendam illi aquam casei, mirabolanos, uel senas. Item passulas & mel.

Succus eius æquiparatur succo Absinthij. Et si repleantur ex succo eius uitra angustis orificijs, superinfuso oleo oliuæ, durat integro anno.

Fumus terræ duabus uncijs cum saccharo admixto in calido iusculo sumptus, tollit malam scabiem, semen fœniculi quoque addi potest.

Accipe oleum nucum & parum aceti admisce, atq; succo Fumi terræ addito, inde unguentum confice, quo corpus tuum in balneo inunge, hoc malignam scabiem ex homine remouet, & præcipuè lepram.

Huius herbæ succus ter in hebdomade à ieiuno bibitus, prodest leproso, ut morbum suum diminuat.

A Contra hydiopisim & leucophlegma hoc modo utere: Accipe succi eiusdem drachmam, radicis Esulæ in puluerem redactæ & correctæ ij. drachmas, & in aqua calida bibendum exhibe,

Vel fiat Syrupus ex succo fumi terræ, apij, fœniculi decocti, puluere esulæ, addito saccharo.

Contra Podagram, Accipe ij. drachmas radicis Hermodactyli, in puluerem contritæ, & cum succo fumi terræ permisce, atq; decoque, pedibusq; impone, absq; dubio podagræ medetur.

Herba quoq; ipsa, ut Platearius scribit, in uino cocta, & cataplasmata super locum podagricum, multum ualet.

Herba hæc decocta & manducata & in potu sumpta, multos affectus per urinam repellit.

Cum aqua Scolopendriæ atq; saccharo permista, sanat iocineris atq; lienis obstructiones ex frigida causa creatas.

Eadem comesta uel in potu sumpta, & ad eum modum parata, parari debet: per inferiora educit Choleram, & omnes humores ad ustos, & mundificat sanguinem atq; uenas.

Succus eius, ut Vigonius testatur, inspissatus succo lapathi acuti, & modico Oximellis, unamquanq; morpheam curat.

Item decoctio Fumi terræ, maluarum, uiolarum, & lapathi acuti, cum furfure hordei, & nepeta, unamquanq; scabiem potentissimè
B curat & mundat.

Ad purgationem uesperi semper porrigitur cum aliquo uentositatem reprimente & dissoluente: ut semine fœniculi & anisi uel mastiche: humores enim uentris disijcit, & exinde tormina causat.

Huius succus claritatem facit oculis, delachrymationemq;, unde nomen traxit.

Illitus cum gummi, euulsas palpebras renasci prohibet. Commanducata herba, biliosam urinam cit.

DE DOSI ET MINISTRATIONE EIVS.

Potio succi ipsius est ab drahm. v. usq; ad ij. Et decoctionis eius ab unc. x. usq; xv. & puluueris eius ab drachm. iij. usq; ad v.

DE AQVA FVMI TERRAE.

Optimum tempus distillationis eius est, ut herba ipsa cum tota sua substantia inuicem concisa in fine ueris distilletur.

Aqua Fumi terræ mane ac uesperi singulis uicibus ij. uel iiij. unciis pota, medetur morbo regio, & facit ad impurã scabiem faciei, quæ lepræ speciem refert, & assidue ea utentem à lepra præseruat.

Eodem modo bibita unaquanq; scabiem, morpheam, & pruritum sanat.

Intraturus balneum hanc aquam cum modico Theriacæ sumat, tum prouocat sudorem ex quo sanguis emundatur, & occurrit

C morbo qui ex malo sanguine creatur. Tempore pestis etiam usurpari debet, nam ab ea præseruat. Eadem cum Theriaca & Bolo armeno commista, & peste laboranti potui data, tum eum liberat & auxilium præstat.

In potu sumpta aluum soluit, sanguinem concretum discutit, & tumorẽ tam foris quàm intus repellit, fœminis menses promouet.

Stomachum confortat bibita, mouet urinam, aluum laxat, educit crassos & adustos humores, pellit scabiem & pruritum, mundificat sanguinem. Potio eiusdem aquæ oris ulceribus & doloribus subuenit.

Sequuntur nomenclaturæ Herbarum à Litera G. incipientes.

DE GALANGA.

NOMENCLATVRAE.

Galanga.

D Galgan.

ANNOTATIO IN GALANGAM.

GALANGA in Pharmacopolijs aromatica radix est, & stomacho ualde accommodata. Huius historia apud Dioscoridem nusquam inuenitur, nec alius quispiam ex ueteribus Græcis de ea quicquam scripsit, sed inter medicinas quæ ab Arabibus inuentæ sunt, numeranda est, quarum complura nomina Euritius Cordus in suo Botanologico recenset. Ruellius putat eam esse speciem Cyperi, in capitulo enim de Cypero sic de ea scribit: Est radix non longe dissimilis Cypero, quę uocatur officinis, recentioribusq; medicis Galanga: quæ surculosa, geniculis scatens, subrubra, & in quosdam nodos crassiores ex interuallis intorta, sapore acerrimo, linguam admodum uellicante, odore Cyperum quadam tenus imitante: unde multi Herbarum coniectores Cyperum Babylonicum cognominarunt. Antonius Musa scribit se sępius à Leoniceno audiuisse, Galangam officinarum esse ueri acori radicem, uerum Leoniceno repugnant multi præstantissimi autores, qui uerum Acorum esse censent radicem illam quam Calamum aromaticum officinæ appellant, quemadmodum & in Acoro ostendimus.

A Galangæ radix per quinque annos in efficacia durat, Probatur quæ rubicunda est, & ponderosa, quęq; fracta non est puluerulenta, & quæ acris est, gustumq; erodit.

Galanga secundum Serapionem est uena intra terram ad cassiæ ligneæ modum: quod ex ea nascitur rubenti est colore, & uocatur Galanga.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; siccat in tertio ordine, habet uirtutem confortandi & consumendi.

VIRES AC IVVAMENTA.

Galanga prodest omnibus morbis ex frigiditate prouenientibus. Calefacit Galanga, concoctionem stomachi iuuat, finit dolores eiusdem quos frigida causa concitauerit, & spiritus digerit, cocta in uino & mane ac uesperi bibita. Si quis nullam appetentiam edendi uel bibendi habuerit, Accipiat Galangam, Piper, & semen Petroselini, pari mensura, & ea conterat in puluerem, melleq; uirgineo admisto, inde eclegma conficiat, atq; mane ac uesperi eo utatur. & proderit.

Cerebrum confortat naribus indita. Ex succo plantaginis datur, quibus cor palpitans micat. In uino cocta & pota, prodest ad graueolentiam oris, & sanguinem fœtidum mundificat. Halitum oris
B commendat, & multos prauos humores è corpore educit, concoctionem adiuuat ui caloris quo natura est prædita. Cœliacis & coli doloribus noxio spiritu conceptis auxiliatur: acidis subuenit ructibus.

Cum succo Boraginis sumpta, imbecillitati cordis subuenit.

DE GALLA.

NOMENCLATVRAE.

Κηκίς.
Ομφακίτις.

Galla.
Lapsana.

Gall öpffel.

ANNOTATIO IN GALLAM.

C GALLAM Quercus producit, uocaturq; in Gallæ genere, altera omphacitis, id est immatura, quę exigua & articulorum in digitis magnitudine est, solida nec perforata: altera leuore, leuitate & foraminibus differt. Præferenda omnibus immatura est, efficacior enim est. Est autem in multiplici differentia, ut Hermolaus testatur, ex Theophrasto de plantarum historia, quoniam alia solida est, perforata alia: hæc nigra, illa candida, altera maior, minor altera. Galenus ὀνοκκιδ'ας, hoc est quasi asininas à rusticis uocari Gallas eas scribit, quæ fungosæ, flauæ atq; magnæ sint, minus efficaces. Nascitur autem Galla sole de Geminis exeunte, erumpens noctu super uniuersa, crescit uno die candidior, & si excepta est æstu, arescit protinus, neque adiustum modum grandescit, hoc est, ut nucleo magnitudinem fabæ impleat.

Gallæ decerpendæ sunt ex arboribus, quum nondum sunt maturæ, & præcipuè quę crassæ & ponderosę sunt, & non foraminibus plenæ: hæ namq; optimę sunt, & in medicina magis usurpantur. Gallæ uirides sunt ualde acerbæ, earum sapor adstringit.

TEMPERAMENTVM.

Gallæ siccant & refrigerant in secundo ordine. Ægineta inquit:
D Galla ponitur in tertio siccantium ordine, secundo refrigerantium.

VIRES AC IVVAMENTA.

Galla omphacitis, id est immatura, medicamentum est affatim adstringens, eamq; ob causam siccat, fluxiones repellit contrahitq;, laxa stringit, & partes imbecillas firmat, fluidisq; omnibus affectionibus accommodata est.

Gallas atq; oui album commisce, & inde emplastrum confice, hoc aluo impositum fluxiones eius sistit. Puluis earum etiam cum aqua pluuiali potest sumi, ualde adstringit. Qui nimio uomitu uexatur, accipiat Gallas, & in aceto atq; aqua pluuiali coquat, linteumq; inde madefaciat, & stomacho foris applicet. Ad nimium fluxum menstruorum, accipiat mulier Gallas, & in aqua pluuiali ebullire sinat, succoq; plantaginis admisto, ex gossipio pessum inde faciat, & inter naturalia subiiciat, sistit & ualde auxiliatur. Ad nimium fluxum sanguinis narium, misce Gallas cum succo plantaginis, uel cum succo bursæ pastoris, & linteolum in eo intinctum, naribus indes. Emplastrum ex Gallis, & albumine oui simul mixtis, confectum & temporibus applicatum, ualde iuuat, & fluentem sanguinem potenter sistit.

Puluis earum uulneribus insperfus, fluxum sanguinis tollit, eaq; adstringit, adeo ut non oporteat ea consuere.

Qui de-

A Qui denigrare capillum uoluerit, accipiat gallas denſas & ponderoſas,& non foraminoſas,atq; in oleo decoquat, quod per linteum colatum ad ſolem ſiccari permittat, hunc puluerem in aqua pluuiali coquat, & inde capillum uel barbam lauet, tum nigredinem acquirunt. Denigrant eædem capillum in aceto aquâue madentes. Medius utriuſq; Gallæ nucleus cauis dentium inditus, dolores eorum ſedat. In puluerem redactæ & putridis maligniſq; uulneribus inditæ,putridam carnem erodunt,& uulnera purgant.

Carnium excreſcentias tritæ reprimunt,& in gingiuas oriſq; columellam deſtillationes. Reprimunt & oris ulcera quas aphtas dicunt. Crematæ in carbonibus uſq; dum concepto in ſe igne candeant Gallæ, tum uino acetòue reſtinctæ, ſiſtendo ſanguini utiles & accommodatę ſunt. Decocto earum inſidentibus utiliter fouentur procidentes muliebres loci,& in eos deſtillationes omnes. Cœliacis & torminibus inteſtinorum utiles in uino aquâue tritæ, & illitæ: quinetiam in hunc uſum utiliter bibuntur. Eſtq; in uniuerſum Galla utendum, ut Dioſcorides ſcribit, ubi adſtrigendum ſiccandumq; aliquid fuerit.

DE GALLITRICO.

B

NOMENCLATVRAE.

ὀρμινον ἄγριον.

Gallitricum.
Centrum galli.

Scharlach.

C

ANNOTATIO IN GALLITRICVM.

GALLITRICVM corrupte à neothericis medicis dicitur, pro Callitrichon, ut Comes à Neucnare testatur, magnoq; errore putant, sic appellari herbam quandam hortensem foliis amplis & odoratis, quæ uirus etiam odore ipso prodit. Caupones cum ea uinum inficiunt, & fortius reddunt, Vulgus in uernacula lingua eam uocat Scarlacum. Est autem uerum Gallitrichon siue (ut Barbari corruptè uocant,) Gallitricum herba Adiantos, à recentioribus dicta Capillus Veneris, Ruellius scribit apud Dioscoridem sylvestre orminon esse, herbam hanc quæ ab officinis Gallitricum, & ab Herbarijs Centrum galli, & à uulgo saluia transmarina uocatur. Enimuero saluia hæc transmarina folio est satiui ormini, satis ad saluiam accedente, unde nomen uulgò duxit, caule sesquipedali, aspero, leniter hirsuto & in quadrangulum striato, flore subcęsio, in aquilini rostri effigiem falcato, calyculis pluribus in terram depressis, in quibus ad summum quatuor grana reperias, parua, rotunda, fulvescentia.

DESCRIPTIO.

Gallitricum acris est herba ad sumendum intra corpus, grauem habet odorem, & gaudet hortis.

D

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & siccat in secundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Herba hæc in aqua elixa, & mulieres ab inferiore parte inde foueantur, matricem purgat, & menses trahit.

Semen oculis ualde accommodatum est, contusum cum succo fœniculi, & oculis instillatum.

Idem semen repellit affectum oculorum, quando per diem minus, noctu autem acutius uideant oculi, Debet autem semen cum aqua fœniculi misceri, & oculi inde inungentur.

Huius folia per nouem ex ordine dies usurpata, ut scilicet accipiatur primo die unum folium, secundo die duo folia, tertio die tria, & sic ulterius ex ordine usque ad nonum diem, in quo nouem folia debent accipi: hæc quascunq; febres, quę longissimum tempus durauerint, discutiunt.

Folia in uino cocta & bibita, flatus intestinorum creant.

Gallitricum cum semine Saxifragæ sumptum medetur calculo.

DE AQVA GALLITRICI.

Destillatio Gallitrici fit in medio Maij.

Aqua

A Aqua hæc pota, ſedat tormina uentris, & dolores ſtomachi atq; lateris, etiam linteis in ea madefactis & foris applicatis.

Per diem bis una uice tribus uncijs pota, tollit dolorem muliebrium locorum, & præparat eos ad facilem conceptionem: & præterea confortat, prodeſt quoq; ad membra ex frigida cauſa læſa, foris linteolis applicata.

Eadem capiti illita, id confortat.

DE SYLVESTRI GALLITRICHO.

B

NOMENCLATVRAE.

Gallitricum ſyluestre.

Wilder Scharlach.

DESCRIPTIO.

GALLITRICVM ſyluestre floret uiolaceo colore, Caulem habet praſino colore, radicem hirſutam, habet omnem proprietatem & naturam prioris, niſi quòd ad frigidos affectus non conducit.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; deſiccat in fine ſecundi gradus. Et eodem modo ad caliginem & debilitatem oculorum uſurpari debet, quemadmodum in priore ſuprà dictum eſt.

Gallitricum ſyluestre ferè uirtutes Verbenæ æquat.

DE GARYOPHYLLATA.

D

NOMENCLATVRAE.

ἀκγόπους.

Garyophyllata.
Caryophyllata.
Lagopus.
Pes Leporis.
Sana munda.
Herba Benedicta.

Negel Kraut.
Benedicten Wurtzel.
Benedicten Kraut.
Gariofilat.

ANNOTATIO IN GARYOPHYLLATAM.

GARYOPHYLLATA herba eſt quę ex radicis odore nomen ſumpſit, quæ in Martio effoſſa Caryophyllorum odorem præbet, Recentiores quidam Sanamundam & Lagopum, id eſt pedem Leporis, eam appellant. Sed certum eſt, ſi quis antiquorum autorum, picturas conſideret, Garyophyllatam non eſſe Lagopum. Conſtat enim Garyophyllatam in montibus naſci, & locis opacis, Lagopum uerò inter ſegetes: præterea Lagopo aliæ uires attribuuntur à Dioſcoride, quàm noſtra Garyophyllata habet. Quantum tamen ad formam attinet, non omnino ſunt impares, ut Brunſfelſius teſtatur. Apud Dioſcoridem de Garyophyllata nihil reperitur, ſi aliqua tamen ſit apud antiquos. Antonius Muſa ſuſpicatur eam eſſe quam Plinius lib. xxvi. cap. vij. Geum appellat, hanc enim radices nigras, & benè olentes habere tradit, eaſdem quoq; ei uires attribuit, quas Garyophyllata quoq; habet.

DESCRIPTIO.

Garyophyllata foliis Agrimonię eſt ſimilis, cuius radix odorem habet Garyophyllorum.

TEM.

A

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat in secundo ordine. Habet uirtutem consumendi, dissoluendi, ac confortandi, ut Albertus existimat.

VIRES AC IVVAMENTA.

Folia eius in medicina magis sunt usui, quàm radix. Et hæc recentia maiorem habent uirtutem, quàm antiqua. Garyophyllata siccata ultra annum non durat. Foliis recentibus in acetarijs utunt.

Succus ex herba contusa fistulis instillatus, eas persanat. Idem quoq; ad uitia oris est accomodatus.

Garyophyllata atq; parietaria in aqua pluuiali elixa, ac aluo imposita, tormina eius discutiunt.

Quicunq; malum & imbecillem stomachum, qui cibum ægrè concoquere potest, habuerit, Garyophyllatam in uino decoquat, illudq; bibat.

Hæc herba hominem uehementer arefacit.

Eadem pota quemcunq; fluxum capitis tollit, pectoris & lateris dolores, & stomachi cruditates iucundo sapore discutit.

Radix luto & sordibus eluta siccatur, & imbre aceti respersa arcas & uestes iucundo commendat odore.

DE AQVA GARYOPHYLLATAE.

Radix unà cum herba minutim concisa in fine Martij distillabit.

B Aqua Garyophyllatæ mane ac uesperi singulis uicibus ij. aut iiij. uncijs bibita, per quatuor aut quinq; dies, omnes prauos uiscososq; humores expurgat, atq; è corpore expellit.

Itidem pota cibum concoctu difficilem concoquit, & frigido stomacho opitulatur. Eadem in potu sumpta, prodest iocineri.

Vulnera sanat, mane ac uesperi singulis uicibus ij. aut iiij. uncijs pota, iuuat quoq;, si uulnera ex ea lauentur.

Apostemata sanat, si linteolum in ea madefactum imponatur. Fistulas etiam sanat mane ac uesperi, una uice tribus uncijs bibita: prodest quoq; si ea lauentur: uel cum linteolis, si imponatur.

Eadem expellit næuos & maculas, quas infantes ex matribus acceperunt, si sæpius in infantia ex ea lauentur.

DE GARYOPHYLLIS.

NOMENCLATVRAE.

καρυοφύλλον.
κακεινυφύλλον.
Garyophyllus.
Caryophyllon.
Cariophylum.
Negelin. ANNO.

C

ANNOTATIO IN GARYOPHYLON.

GARYOPHYLON frutex in India nascitur, sabuci forma, semine grano piperis grandiori fragilioriq;, ex atro ruffescente, in claui modū capitato, exertis in aduersum quatuor denticulis sese stellatim decussantibus, prominulo apice, quadrati alueoli sinu medio umbiculatim prodeunte. Huius nec Dioscorides nec Galenus in censu simplicium ullam fecerunt mentionem. Plinius hisce uerbis de eo scribit: Est etiamnum in India piperis grani simile quod Garyophylon uocatur, grandius fragiliusq;. Tradunt in Indico luco id gigni. Paulus Ægineta Garyophyllum uocat, quasi habens folia nucis, quę odorata sunt & optimi gustus. Platina inquit, Caryophilum fortassis χαξιενφύλλου dicitur. Arbor eius folia habens parua densaq;, in ramos trium cubitorum consurgit, cortice pallido, radice lata lignosaq;, In uirtute etiam fermè idem cū pipere est, epati tamen minus nocet quàm piper, ac uim contra uenena habet. Aduehebatur olim odoris gratia, nunc & in ganeam transiuit, ut sine Garyophyllis despiciantur dapes.

TEMPERAMENTVM.

Calefaciunt atq; siccant in tertio gradu. Colligendi sunt Garyophylli in æstate quum maturi sunt, durantq; sex annis synceris uiribus. Seruantur locis non admodum siccis, alioqui exarescunt, neq;
D locis admodum humidis.

Probantur qui lato sunt capitello, & quorum color aliquo modo in ruffum inclinat, quiq; paruam quandam humiditatem in se continent, dum digitis premuntur.

VIRES AC IVVAMENTA.

Contra oris fœtorem, Accipe corticem panis siliginei, galangam & parum Garyophyllorum, hæc inuicem commisce, & cum uino utere, bonumq; remedium præstant.

Garyophylli conducunt medicinæ, nam uisum acuunt, caliginem oculorum tollunt, & claritatem adferunt.

Stomacho accomodati sunt & iocineri, cor confortant, aluum sistunt, concoctionem adiuuant.

Si quis ex Garyophyllis semidrachmam cum lacte ieiunus biberit, ei genituram augent.

Caryophyllon, ut Aëtius inquit, iocineri, stomacho & cordi auxiliatur. Contractam humore nauseam leuat: sed uiscera lædit. Caryophyllon halitus emendat grauitatem: quare ijs mandi solet & ore contineri, quibus anima fœtet: nauseas sedat, corroborat stomachum, iuuat concoctiones; obstruentes iocineris infarctus aperit, uenerem stimulat.

A

DE GENISTA.

NOMENCLATVRAE.

Σπαρτιον.
Σπαρτον.

Genista.

Ginest.
Pfrimmen.
Ginsteren.

B

ANNOTATIO IN GENISTAM.

GENISTA frutex est, cuius usus est in re rustica ad uites ligandas. Apud Dioscoridem Græce Spartum siue Spartion dicitur, ut Vergilius Marcellus, Hermolaus Barbarus, Antonius Musa, alíjq; excellentissimi medici testantur, idq; etiam quilibet ex descriptione Dioscoridis ipse perspicere potest. Dicitur autem Genista, ut Hermolaus inquit, quia genu modo flexilis ad nexus sit, uel quia genibus medeatur dolentibus. Quidam uolunt differentiam esse inter Spartum & Genistam, & diuersas esse herbas, quum Plinius xiii. uolumine cap. ii. Spartum aliter describit quàm Dioscorides, ita ut eius descriptio uulgari Genistæ omnino non quadret. Sed illi non uident duo Sparti esse genera apud autores, unum quod à Dioscoride describitur, & est uera Genista, Alterum uerò quod à Plinio describitur & in Hispania atq; Africa nascitur, quodq; illi præcipuum ab eo tribuitur, ad funes pertinet, & hoc Spartum ferè Romani semper consueuerunt appellare, ut Marcellus indicat: nostrate uerò & omnibus commune alterum illud genus, Genistam.

Flos genistis decerpitur luteus coronis texendis, estque apibus quoq; gratissimus.

DESCRI-

DESCRIPTIO.

C Geniſta naſcitur prope ſyluas & in locis aridis atq; arenoſis, uirgas longas habens, ferentes luteos flores. Siliquas phaſeolorum modo fert, in quibus ſemen inſtar lentis naſcitur. Radicē habet flauam.

TEMPERAMENTVM.

Calida & ſicca eſt in ſecundo ordine. Semen quoq; calidæ eſt facultatis.

VIRES AC IVVAMENTA.

In floribus & ramis abundās eſt humiditas, qua ex homine multi humores educuntur per uomitum.

Bibuntur flores ſemenq; eius in mulſa aqua pondere obulorum quinq;, purgantq; per ſuperna egregiè ueratri modo ſine periculo. Solum ſemen itidem per inferna purgat.

Flores contuſi atq; cum oleo roſaceo, aut mollibus ouis permiſti & uſurpati, purgant inteſtina & renes, cient urinam, pellunt calculum ex renibus & ueſica.

Qui floribus & ſemine utuntur, illis calculus non obdureſcit, atque à podagra immunes ſunt.

Semen ad menſes mulierum accomodatum eſt, reſtringit diuturnum fluxum, purgat matricem.

Florum foliorumq; eius decoctum, ut Vitalis inquit, ſplenis tu-
D morem compeſcit, dentium dolori ſubuenit, menſtrua, fluxus uentris ac dyſenteriam ſtringit.

Foliorum ſuccus atq; florum, lendes atq; pediculos necat.

Ramis ſimiliter cum fronde in aceto maceratis pluribus diebus, & tuſis, ſuccum dant iſchiadicis utilem, cyathi unius potu. Perunguntur eodem ſucco iſchiadici addito oleo.

Geniſta tuſa cum axungia, genua dolentia ſanat.

DE AQVA FLORVM GENISTAE.

Diſtillatio florum eius fit in Balneo Mariæ, quando flores plene ſunt maturi, & fermè decidere incipiunt.

Aqua florum Geniſtæ xij. aut xiiij. dies ſingulis uicibus duabus aut tribus uncijs pota, auxiliatur contra fellis ſuffuſionem.

Eadem ſex uncijs pota, urinam mouet, purgat renes ac ueſicam.

Capiti illita prodeſt, ſi per ſe ſiccet, pellit laſſitudinē mēbrorum.

DE GENTIANA.

NOMENCLATVRAE.

ρυτιανή.
Gentiana.
Enzian.

ANNO.

A

ANNOTATIO IN GENTIANAM.

GENTIANAM Romani pariter Grȩcis dicunt, A Gentio, uel ut Dioſcorides ait, à Gentide Illyriorū rege inuenta primum eſſe creditur, à quo etiam factum illi nomen eſt. Centauriam radicem eam aliqui nominauerunt, quia Centaurio ſimilis ſit. Præſtantiſſima radix & nomine & re Gentiana eſt, nunc in Germania etiam notiſſima & uſitatiſſima. Nam chirurgi paſſim ea utuntur in ſtrictis, & cauis ulceribus, ut latiora euadant, nec cȩcas cauernas parturiant: præmunt radicem ad ulceris quantitatem, & imponunt. Nec uulgus meliorem Theriacam, & ſtomachi medicinam nouit, quàm ipſam Gentianam, nam quaſcunq; interiores corporis affectus, Gentiana, calamo aromatico, & Ginzibere, ſanant melioreſque inde experiuntur effectus, quàm ſi omnia remedia ex Pharmacopolȩs deuoraſſent. Prȩterea Gentiana magnam uim habet cõtra uenena, ſcribitq; Serapion ſe nihil præſtantius expertum eſſe aduerſus morſum rabidi canis, quàm ipſam Gentianam.

DESCRIPTIO.

Gentianę caulis folia habet iuglandi nuci ſimilia, & eundem odorem, in ſummo cacumine breuibus inciſuris diuiſa ſunt folia. Caulis illi eſt grandis & duorum cubitorum altitudine, geniculis interB fectus. Semen fundit in calycibus latum, ſpondylio ſimile. Radicem mittit Ariſtolochiæ longę non diſſimilem, craſſam amaramq;. Naſcitur in altiſſimis montium uerticibus, ijſdemq; umbroſis & aquoſis.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; deſiccat in tertio gradu. Virtutem habet incidendi, conſumendi, humores attrahendi, & aperiendi: non ſolum hominibus, ſed & pecoribus utiliſſima eſt.

Vſus eius, in radice & ſucco eius, Herba ipſa non uſurpatur.

Radix circa finem ueris colligenda eſt, & ſiccanda, ea durat quatuor annis integris uiribus, probatur quæ craſſa, dura, atq; ualde amara fuerit. Colore ſimilis erit malo granato, quæ pallidum & nigricantem colorem habuerit, ea nullius eſt bonitatis.

VIRES AC IVVAMENTA.

Aduerſus morſum rabidi canis nullum eſt remedium præſtantius, parabis ergo talem potionem: Accipe Gentianæ contuſæ drachmam, & admiſce myrrhæ drachmam, cancrorumq; oculis combuſtis additis, pondere ij. drachmarum, ea cū uino decoque, quod per tres ex ordine dies matutino tempore bibes, & mire proderit, uulnera autem aperta manebunt, & lauanda ſunt aceto, uel aquæ ſalſa, cucurbitæ quoq; ponendæ, ut inde uenenum educatur.

C Succurrit uenenatorum morſibus pondere drachmarum duarum pota cum pipere, ruta, & uino.

Gentiana medetur uenęno, pellit ſerpentes.

Contra ſerpentium morſus, Herbæ gentianę radicem ſiccam, & in puluerem redactam, pondo drachmæ unius dabis in uino cyathis tribus, ſumptumq; ualidiſſimè proderit.

Ad membra contuſa, Accipe puluerem Gentianæ, oleoq; oliuę admiſto, illine, hoc auxiliatur.

Potatur ruptis, conuulſis, & ex alto deiectis, radix trita.

Succus quoq; drachmæ pondere contra lateris dolores, ex alto caſus, rupta, conuulſaq; bibitur. Bibitur iocinoroſis etiam, & cibum in ſtomacho non continentibus, cum aqua uel uino utiliter.

Succus ex ea colligitur & paratur hoc modo, ut Dioſcor. tradit: Tunditur radix, diebus quinq; madeſcit in aqua, coquitur deinde in eadem aqua, uſq; dum ſuperſtent radices. Deinde refrigeratur aqua, & linteolo percolata iterum coquitur, uſq; ad craſſitudinem mellis: picatoq; uel ſtanneo uaſe repoſitus, ſeruatur. Hic ſuccus abſtergit omnes maculas cutis & præcipuè uitiligines, Inunguntur eo itidem oculorum inflammationes.

Gentiana prægnantibus non bibenda. Pellit ex utero fœtus collyrij modo fœminis ſubdita. Corroborat ſtomachum ex aqua pota. Datur madefacta pridie contrita, denarij pondere in uini cyathis tribus ad tuſſim, ſuſpiria, tormina. Farina eius ex aqua tepida fabę magnitudine pota, interaneorum uitijs occurrit. Illinitur ulceribus quæ ſerpunt, radice tuſa uel decocta, in aqua ad mellis craſſitudinem, uel ſucco uulneribus. Tanta huic uis tribuitur, ut iumentis etiam non tuſſientibus modo, ſed ilia quoq; trahentibus auxilietur pota.

D

DE AQVA GENTIANAE.

Ad tempeſtiuam diſtillationem radix unà cum ipſa herba minutim concidenda eſt in fine Maij, uel quod magis probatur, radix ſola in fine dierum canicularium diſtillatur.

Aqua Gentianæ ſæpius ſingulis uicibus iij. uncijs à ieiunis pota, uitam hominis protrahit, omnes enim uiſcoſos humores in ſtomacho conſumit.

Itidem pota à mulieribus menſes mouet.

Ab illo bibita qui uenenatum, & menſtruum ſanguinem à mulière intrò ſumpſerit, ipſum pellit, neq; ſinit homini ullam infirmitatem noxiam accidere.

Eadem pota appetentiam ciborum facit, ſtomachum ex glutinoſis humoribus expurgat, ſi ſemidrachma boni calami aromatici in puluerem contriti, & drachma ſacchari admiſceatur, ea potio ter

aut qua

aut quater ſumpta, edendi deſiderium & ſaporem uehementer re-
A ducit.

DE GLADIOLO.

NOMENCLATVRAE.

Ξύρις.
Ξιφίον.
Φάσγανον.
Μαχαιρώνιον.

Gladiolus.

Gele Schwertelen.
Geel Lilien.
Blaw Lilien.

B

ANNOTATIO IN GLADIOLVM.

GLADIOLVS Iridis ſpecies eſt, ac nomen inde accepit quòd folium gladij præbeat ſpeciem. Vulgò eam Acorum appellant, quum Acorus ut ſuprà demonſtrauimus ex autoritate doctorum, apud Dioſcoridem longe alia ſit herba, quæ radicem habet odoratam, habeturq; certò à Doctis pro uulgari calamo aromatico. Vagum ſane ac commune multis herbis nomen Gladioli eſt, uerum herbarum pertiſſimi id nominis tantum tribuunt duabus eiuſdem ſpeciei & cognatis herbis, quę à Germanis **Geel Lilien/ oder Schwertel/ vnnd Blawe Lilien**, id eſt luteum & cœruleum Lilium dicuntur, ambæq; referuntur à Doctis ad capitulum Dioſcoridis de Xyride, inquit enim Dioſcor. Xyrin, Sunt qui ſylueſtrem irim uocent. Romani Gladio

C lum appellant. Aliqui tamen ad Xiphion Dioſcoridis referunt Gladiolum, & præcipuè eam quę cœruleis eſt floribus, quorum iudicium non improbandum eſt.

DESCRIPTIO.

Gladiolus habet paruum caulem, foliaq; quę ex radice naſcuntur inſtar acuminati mucronis gladij. Et eſt duorum generum; Vna quę ſiccis locis naſcitur, florem habens ſublimen & odoratum. Altera quæ locis aquoſis creſcit, etiam habens florem ſublimen, ſed luteum. Radicem uerò geniculis interſectam, ea eſt frigidæ, & humidæ naturæ.

TEMPERAMENTVM.

Gladiolus calefacit & ſiccat in ſecundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Emplaſtrum ex radice cui admiſtū ſit mel & oleum, confectum, & tumido lieni impoſitum, auxiliatur. Vinum bibitum in quo radix Gladioli elixa fuerit, ſedat tuſſim. Radix bonum ſaporem præbet cibis qui ea condiuntur.

Puluis ex radice in uino ſumptus, mulieribus diſcutit ſuppurationem mamillarum.

Radix contrita & cum Centaurij radice, atq; melle aceto q; permiſta, membris contuſis & quaſſatis opitulatur impoſita. Itidem

D uſurpata & aluo impoſita, medetur urinæ ſtillicidio.

Semen Gladioli contuſum & cū aceto mixtum, lienoſis medet.

Radix in uino bibita, ſubuenit illis qui uenenum hauſerunt, uel uenenoſum aliquid manducauerunt. Eodem modo ſumpta, fœminarum menſes promouet.

Radix contuſa & impoſita, ſagittas atque ſpinas corpori infixas ſtatim extrahit.

Surculos telaq; omnia, addita æris floris tertia parte, Centaurij uerò radicis quinta, & melle, ſine dolore extrahit.

Eadem in uere effoſſa & collo appenſa, ſpaſmo medetur. In aqua decocta & rubris ciceribus permiſta & percolata, ſaccharoq; edulcata, facit ad fellis ſuffuſionem. Idem ita uſurpatum ad lienis obſtructionem prodeſt. Eadem ex aceto emplaſtri modo impoſita, tumores inflammationeſq; ſanat. Bibitur pręterea cōtra conuulſa, rupta, dolores coxendicis, ueſicæ ſtillicidia, & alui fluores, in mulſo trita.

DE AQVA GLADIOLI.

Optima diſtillatio gladioli eſt, quādo flores iā plenè ſunt maturi.

Aqua Gladioli cœrulei mane & ueſperi ſingulis uicibus iiij. uncijs ſępius pota, nimium fluxum menſtruorum reſtringit. Eadem pota ad quodlibet uenenū prodeſt, ad febres ardentes, ad inflammationem iocineris, & pleuritin ex calida cauſa creatam.

DE

DE MALO GRANATO.

A

NOMENCLATVRAE.

Ποῖα.

Malum Punicum.
Malum Granatum.
Granat öpffel.

ANNOTATIO IN GRANATVM.

MALVM Granatum, ut Dioſcorides inquit, Græci Rhœam appellant. Latinis quoq; Malum punicum à regione qua naſcitur, dicitur, A numeroſis acinorum granis quibus intus farctum eſt, Granatum malum appellatur. Eius uſus eſt & ante cibum, & in cibo, maximè uerò cum aſſis & frictis carnibus. Qui ualidi ſtomachi ſunt ea tutius ante cibum ſument, quàm qui imbecillis: poſt cibum uapores ad caput aſcendentes reprimunt, & ferè uim cotoneorum habent. Mala punica ut diu ſeruentur, in aquam ferucntem merge, & ſtatim leua ac ſuſpende: longo quoq; tempore cuſtodiuntur, ſi in feruentem aquam intingantur, & protinus erepta, in ſicca
B arena componantur. Item ſi tactu inuicem ſeparata paleis obruantur: aut ſi induantur argilla, & ea ſiccata loco frigido pendeant. Alij integra in aqua marina uel muria demergunt, ut combibant, de in ſole ſiccata, loco ſuſpendunt frigido: & cum uti uolunt aqua dulci macerant. Horum multa ſunt genera, quę enumerare ſuperuacuum eſſe uidetur, ſufficiat ergo de eorum qualitatibus dicere.

TEMPERAMENTVM.

Mala Granata duorum ſunt generum. Acida refrigerant & ſiccant in ſecundo gradu, Dulcia uerò in primo gradu. Malum granatum, inquit Galenus, omne adſtringentem qualitatem obtinet, qua refrigerat ſiccatq;, uerum dulce alijs minus, auſterum magis refrigerat ſicciuſq; eſt & ſtomacho amicum, acidum refrigerat quoq; & maiorem quandam incidendi uirtutem repręſentat, uerum acini ſucco magis adſtringunt ſiccantq;, efficacius hic adhuc cortices mali Punici, quos malicorium appellant. Huic uirtute reſpondet flos qui cytinus appellatur. De hoc uide ſuprà in Balauſtio.

VIRES AC IVVAMENTA.

Dioſcorides inquit, Boni ſucci & ſtomacho accommodatū Punicum omne malum eſt, idem tamen non nutrit, Stomacho utiliora quæ in Punicorum genere dulcia ſunt: in febribus tamen uitanda, quòd ſtomacho calorem quendam afferunt & inflant. Quæ aci

C da ſunt ſtomachi ardoribus proſunt, maioreſq; ad reprimendum uires habent,& ad ciendã urinam efficatiores: eadem ori ingratã guſtum adſtringunt: uinoſa medias habent uires.

Mala Punica acida Choleram reprimunt, præcipuè in uino cocta, illudq; ſi bibatur.

Grana ex malis punicis cum melle permiſta,& ardentibus puſtulis illita, multos calores extrahunt. Acidorum acini in ſole ſiccati, tum obſoniſs concocti, inſperſoue tritorum puluere, aluũ,& in ſtomachum deſtillationes ſiſtunt. Iidem cœleſti aqua madentes, ſanguinem expuentibus utiliter bibuntur: quinetiam inſidentibus contra inteſtinorum tormina & fœminarum fluctiones proſunt. Vtiliſſimum præterea quod expreſſum ex Punicorum acinis fuerit, addito melle, contra oris, genitalium ſediſq; ulcera: utile & contra digitorum pterygia, quę paſcendo ſerpunt, excreſcentias, dolores aurium & narium uitia, in quos uſus præfertur omnibus, quod ex acidis expreſſum fuerit.

Dulcia bonitate antecellunt, & nuclei corticibus in uirtute præferuntur: nuclei ex dulcibus contuſi,& cum melle permiſti, parotidas ſanant, ſi inde inungantur. Nuclei dulciorum ſtomacho ſunt accommodati, acidorum uerò nuclei ſtomacho noxij.

Mala Granata cor hominis confortant & iecur, in primis autem dulcia.

D

DE GRAMINE.

NOMENCLATVRAE.

Ἀγρώσις.

Gramen.

Graß.

ANNOTATIO IN GRAMEN.

GRAMEN, ut Plinius inquit, uulgatiſſimum eſt inter herbas, ſic dictum, quòd geniculatis internodijs mirificè ſerpat, à gradiendo, uel à gignendi fœcunditate: crebro enim nouas ſpargit radices. Gramen partim bubus & iumentis gratum eſt pabulum, partim in medicina quoq; maximos habet effectus. Nihil uilius eſt Gramine,

A mine, uerum in re medica ſuarum laudum ac uirtutum nullus eſt finis. Hinc & Plinius inquit: Plæraſq; herbas pedibus conculcamus, quarum uirtus ſi nobis perſpecta eſſet, eas in cœlum laudibus ferremus. Antiqui medicinę autores gramen inter diuretica ſimpliciter numerant, magnamque uim ei attribuunt in frangendis calculis. Duo ſunt genera Graminis: Vnum quod uerum Gramen eſt antiquorum, & à Dioſcoride lib. 4. cap. 31. Ἀγρώστις Græce dicitur, quod cognoſcitur geniculatis ramulis ſerpens, radiceſq; ab ijs geniculatas dulceſq; ſpargens, Folia habet acuminata, dura, & lata paruæ harundinis modo. Alterum quod Polygonon à Græcis autoribus, & Latine ab Herbarijs proſerpinata & centumnodia dicitur. Germani uerò **Weggraß oder Wegdrit** appellant. Hoc quidam ex doctis medicis uerum Gramen eſſe contendunt, & ubicunque graminis mentio fiat, non alia herba utendum eſſe, horum opinionem Hieronymus Tragus omnino improbat. Quamuis Gramen quod Græce Ἀγρώστις dicitur, aliud ſit à Polygono, credendum tamen eſt non multum referre, utrum accipiatur, quum ferè eiſdem ſint uiribus, unde & Plinius ea inuicem ita confudit, quaſi nihil differant, nec diuerſæ ſint herbę. Gramen Marti conſecrauit antiquitas, quòd ex humano cruore procreatum crediderit, inde & ſanguinalis appellata fuit. Quidam Saturno dicant, quòd ab eo ſatū primo perhibēt.

B

TEMPERAMENTVM.

Gramen refrigerat atq; ſiccat in principio primi gradus.

VIRES AC IVVAMENTA.

In aqua decoctum & potum, lapidem ueſicæ frangit. Idem præſtat & radix, ea enim in uino decocta torminibus medetur, & uringę difficultatibus, ulceribus ueſicæ, calculos frangit.

Semen quoq; cū uino ſumptum, uehementius urinam impellit.

Ad lienem induratum decoque Gramen cū ſemine, & calidum ſuperimpone, hoc ſtatim auxiliatur. Decoctum eius bibitum, diſcutit ſtranguriam: prodeſt quoq; ſi calidum aluo imponatur.

Siſtit & refrigerat Gramen, quare & ſanguinem excreantibus ſubuenit. Succus quoq; bibitus dyſenteriæ medetur. Cpitulatur ſtillicidio urinæ, uehementerq; eam prouocat. In uino bibitum Gramen, medetur morſui uenenatorum.

Gramen in uino decoctum atq; cum melle, ſanat ulcera genitalium, ſi imponatur.

Sacris ignibus medetur, calidiſq; apoſtematibus & uulneribus.

Glutinat uulnera, graminis radix conciſa & emplaſtri modo impoſita.

Gramen capiti circumdatū, ſanguinis è naribus fluxiones ſiſtit.

Canes purgare ſe uolentes, gramen comedunt.

DE AQVA GRAMINIS.

C Distillatio eius conueniens fit ex herba unà cum radice, & tota substantia concisa, in fine Maij.

Aqua Graminis mane, meridie ac uesperi singulis uicibus iiij. uncijs pota, nimium fluxum alui sistit.

Eadem pota purgat renes, prouocat urinam, aperit oppilationem membrorum.

Lumbricos uentris pellit mane à ieiunis sumpta: infantes duabus uncijs, qui mediocri sunt ætate tribus uncijs, natu autem grandes iiij. uncijs intrò sument.

Sacros ignes sedat, linteolis in ea madefactis applicata.

Febrem quæ cum calore exoritur pellit, uel pota, uel corpori foris applicata.

Facit ad quoscunq; dolores uulnerum, quæ erysipelas aut alioqui inflammatio aliqua obsedit, si linteolo in ea madefacto uulnera lauentur, aut linteolis imponatur.

Auribus purulentis tepida instillata medetur. Ad putredinem gingiuarum prodest, si inde lauentur: facit quoq; ad nigras pustulas, si linteum uel stupa in ea madefiat, & per diem bis aut ter imponatur, & singulis uicibus tribus aut quatuor uncijs bibatur.

Sedat quosuis calores extrinsecus linteolis imposita.

D In hominibus iuuenibus hæc aqua plus operatur quàm in natu grandibus.

De Gramine Polygeno infrà reperies.

Sequuntur nomenclaturæ Herbarum ex Litera H. incipientium.

DE HEDERA.

NOMENCLATVRAE.

Κῖσος.
Χρυσοκάρπος.
Διονύσιον.

Hedera.
Sylua mater:
Eppich.
Ephéw.

A

ANNOTATIO IN HEDERAM.

HEDERA ab hærendo dicta est, quòd uetustis parietibus inhæreat. Quibusdam tamen magis placet ab edendo fuisse dictam Hederam, quòd uetustas parietes dum serpit, & latius per muros quibus adhæret diuagatur, corrumpat & exedat, atque ita sine aspiratione & diphthongo contendũt scribi debere. Neq; uero desunt, qui Hederam dictam uelint, quòd loca edita petat, & altè diuagetur, atq; etiam altissimos parietes conscendat. prior tamen ethimologia magis arridet. Ab aureis corymbis, ut Dioscorides ait, chrysocarpon dicitur. sunt qui Poëticam frondem appellent, propterea quõd Poëtæ ea coronantur. Antiquitas dionysiam à Bacho, id est Bacchicam appellauit, hoc honore Liberum patrem dignata, qui primus ex Indis in Græciam Hederam asportauit.

DESCRIPTIO.

Hederæ apud autores multæ numerantur species. Est autem prima omnium, Hedera celsa, quæ per se stans arboresc it, quam Græci dendrocyssον appellant: siue orthocyssον, ut uult Columella, hoc est rectam & rigentem, & quæ sola sine adminiculo stat. Est & alia celsa, omnium maximè uiuax quæ suis cyrris, & clauiculis parietes conscendit, arbores amplexu suo perstringit, & succum habet ar-

B bori quam amplectitur similem: unde quernea Hedera in medicinis magis probatur, & ubicunq; antiquiores Hederam absolute ponunt, arboream & querneam Hederam semper intelligunt. Atq; huius Hederæ celsæ tres sunt rursus species. Est enim nigra, quæ mas à Plinio uocatur, fertq; corymbos nigros, hoc est racemos in orbem circumactos. Alia est Hedera alba, quam fœminan Plinius uocat. Est autem alba, uel solo semine, aut fructu, aut folio. Verg. Candidior, cygnis Hedera formosior alba. Seruius tamen nõ ex foliis, sed ex ligno cognosci utranq; Hederam contendit. Atqui Hedera etiam antiquis satiua fuit, cuius succus tædia narium, grauco lentiamq; emendat. Plin. lib. 24. Quarta est inter celsas quæ dicitur helix, folia multo minora habens quàm aliæ, dicta helix quòd multas habeat inuolutiones: nunquam autem fert fructum: ac ne quis putet id uitio ætatis fieri, Theophrastus ait, quantumuis diu uiuat, nunquam helicem fructum edere. Est & alia præter has Hederæ species, quæ Græcis chamæcissos, Latinis Hedera humilis siue terrestris dicitur, Serpit em̃ humi, & folia minuta habet ac pauca, præsertim in syluis, Caue autem ne putes eam esse herbam quæ uulgò corruptè Hedera terrestris pro herba terrestri uocatur, atq; in officinis pro Hedera terrestri uenit in usum, nam neq; folia Hederæ habet: sunt enim incisa magis & latiora, qualia marrubij: præterea alium omnino odorem & saporem refert, est enim odoris teterrimi.

Cęterum

C Cęterum chamæcissos Hederæ omnino similis est, nisi quòd imbecillis, ut conscendere arbores non possit, etiam si illis hæreat, nullos enim corymbos aut cyrrhos habet.

Hedera oblongos ramos habet, & ubicunq; nascitur, hæret, arbores alias conscendit, easq; multis radicibus amplectitur, raroq; flores uel fructus gerit, tam frigidæ est naturæ, gaudetq; locis frigidis. Cum fructum fert, omnem succum ex radicibus quas complectitur, exugit, odorem grauem habet, & semper uiret, nigrosq; profructu producit corymbos.

TEMPERAMENTVM.

Hederam calidam & siccam esse Theophrastus prodidit, Galenus contrarijs uiribus constare, nempe quę nonnihil adstringentis facultatis habeat, quę terrestris & frigida demonstratur, & acrimoniam possidet, quam esse calidam testatur gustus. Hedera omnis acris & adstringens est, ut inquit Dioscorides.

VIRES AC IVVAMENTA.

Succus Hederæ naribus inditus, caput purgat ex malis fluxibus. Infunditur præterea purulentis auribus, & in earum dolore cum oleo. Infunditur naribus foliorum corymborumq; succus, additis irino unguento, melle & nitro: facitq; ad antiquos capitis dolores. Inspergitur & in eundem usum cum aceto & oleo rosaceo. Flores

D trium digitorum carptu, faciunt ad dysenteriam, bis per diem cum uino poti. Medentur lieni tenera folia in uino decocta, aut cruda cum pane coacta. Folia in uino decocta, omnium generum ulceribus illinuntur, etiam si cacoëthe sint. Foliorum pediculi in melle decocti, & fœminarum naturalibus subditi, menses & fœtus ex utero trahunt. Corymbi triti & subditi, item uinum in quo decocti fuerint, idem præstant. Depilat Hederæ lachryma, pediculosq; aclendes inuncta necat. Folia in uino decocta & illita, emendant discolorem, & ceu sole adustam cutem.

Herbę Hederę baccas aut septem aut undecim contritas ex aqua potui sumptas mire calculos in uesica congregatos frangere & extrahere per urinam certum est.

Folia eiusdem mollissimè trita in aceto & oleo rosaceo illinuntur contra dolorem capitis ex sole cõtractum, & aduersus omnem capitis dolorem. Tædia narium, graueolentiam, & quę in naribus exeduntur, purgat & sanat Hederæ succus.

Leniunt dentium dolores acini quinq; ex corymbo Hederæ decerpti, cum oleo rosaceo in mali corio calefacti, & in contrariam aurem instillati.

Succus ex corymbis Hederæ illitus denigrat capillum.

Nigræ Hederæ succus & corymbi eiusdem epoti corpus infirmant,

A mant, torpidoſq; reddunt ſenſus, mentem turbant largius ſumpti.

Honeſtæ fœminę cauebunt, nec ſuccum aut decoctū aut aquam diſtillatam hederæ in corpus ſumant, eſtq; hoc arcanum proſtitutæ pudicitiæ ancillis & mulierculis cælandum.

DE AQVA HEDERAE.

Optimum tempus diſtillationis eius eſt, ut folia unà cum corymbis quercui adhærentia, diſtillentur in medio Aprilis.

Aqua Hederæ mane ac ueſperi ſingulis uicibus duabus aut tribus uncijs pota, medetur ictero. Itidem bibita facit ad calculum lumborum & ueſicæ, ciet urinam.

Medetur doloribus capitis, ſi ſæpius inde illinatur, & per ſe iterum ſiccetur.

DE HEDERA TERRESTRI.

B

NOMENCLATVRAE.

Ελατίνη.
Χαμαίκισσος.

Hedera terreſtris.
Terræ corona.

Gundelreb.
Erden Eppich.
Erden Krentzlin.

C ANNOTATIO IN HEDERAM TERRESTREM.

HEDERA terrestris Elatine à Græcis dicitur, putantq; recentiores ueram eius descriptionem apud Dioscoridem esse Elatinen, & non Chamęcissον. Huius sententię etiam est generosissimus Comes à Neuenare, quum scribit hisce uerbis de Hedera terrestri: Constat autem errare istos recentiores, qui Hederam terrestrem putarunt esse Chamæcissον, cum illam longioribus foliis quàm Hederam Dioscorides describat, ista uerò multo breuioribus rotundioribusq; constet. Quidam tamen ex insignioribus medicis affirmant uulgarem Hederam terrestrem esse Chamæcyssον, neq; Dioscoridis descriptionem ab ea discrepare. Quisq; ergo per se etiam legat, & iudicet apud Dioscoridem, num Elatines an Chamęcissi descriptio magis Hederæ terrestri quadret. Hæc sterilis Hedera à plerisq; dicta quondam fuit, quia nullos fert corymbos. Eadem terræ corona quondum uocabatur, quoniam ramulos suos per eam spargens, folioso ueluti serto terram coronare uidetur.

DESCRIPTIO.

Hedera terrestris folia habet incisuris diuisa, & rotunda, in terra nascitur, lateq; se spargens, flores habet cœruleos ad ozimi uel
D Rosmarini formam. Herba hęc in medicina usurpatur, radix minimè.

TEMPERAMENTVM.

Frigidæ & siccæ fertur esse complexionis. Et uirtutem habet mundificandi, exiccandi, incarnandi, & uulnera consolidandi.

Hedera terrestris duplicem habet substantiam, Vnam quæ frigidæ naturæ est. Alteram uerò quę calidæ naturæ est.

VIRES AC IVVAMENTA.

Folia in aqua decocta ac pota, fellis suffusionem emendant. Herba hęc ad balneum utilissima est, & eo modo facit ad calculum lumborum ac podagram. In aceto cocta & lieni imposita, inflationem eius sedat.

Succus auribus instillatus, restituit auditum: facit quoq; ad dolores dentium.

Herba hæc in aqua elixa & pota, dysenteriam sistit. Et cum larido Elleboroq; contusa, ac illita, tineam capitis depellit. Fistulis nihil magis prodest, quàm ut succus ex herba contusa eis instillet.

Ad malam scabiem in corpore citò curandam, Accipe Aquilegiam, farinam triticeam, Hederam terrestrem, ac oleum tartari, ex his simul contusis permistisq; unguentum confice, quod scabiei illitum eam curat.

A Item Hedera terreſtris in uino aut aqua decocta, exulcerationem oris, quæ ex putridis humoribus exorta eſt, ſanat, ſi os decocto colluatur.

Sanguis hirci ex ea diutius nutriti, calculoſis potenter medetur.

DE AQVA HEDERAE TERRESTRIS.

Tempeſtiua diſtillatio eius fit in principio Iunij, tum herba ipſa cum caulibus ad diſtillationem concidenda eſt.

Aqua Hederæ terreſtris mane ac ueſperi ſingulis uicibus ponderе duarum unciarum pota, auxiliatur aduerſus cordis tremorem, morbum regium, & debilem ſtomachum. In balneo pota conſumit, uiſcoſos humores, qui in ſtomacho, pulmone, iocinere & ueſica continentur: & hominem ſanum reddit. Itidem pota opem fert contra uenenum peſtis. illud enim expellit.

Eadem pota medetur ulceribus capitis, aperit obſtructionem iocinoris atq; ſplenis, menſes mulierum trahit, atq; ciet urinam.

Mane, meridie ac ueſperi ad iiij. uncias pota, conducit mulieribus ad laſſitudinem membrorum, ſi inde per diem quater fricentur.

Aqua hæc lippientibus oculis inſtillata, eos exiccat, folia quoq; in ſucco uel aqua hac contrita & impoſita, idem præſtant.

B

DE HEPATICA.

NOMENCLATVRAE.

Λειχήν.

Hepatica.
Hepataria.
Iecoraria.
Matriſylua.
Herba ſtellaris.

Leber Kraut.

ANNOTATIO IN HEPATICAM.

HEPATICAM recentiores medici & officinæ appellant eam herbam, quę apud antiquos autores & Græcos, nempe apud

C Dioſcoridem, Galenum & Plinium, Lichen dicitur, ut Leonardus Fuchſius, de medicina optimè meritus, in libro primo paradoxorũ medicinæ multis argumentis & teſtimonijs comprobat, eiuſq; iudicio præſtantiſſimi medici ſubſcribunt. Nam ſi quis deſcriptionem Hepaticę apud Serapionem, & deſcriptionem Lichenes apud Dioſcoridem uel Galenum ſimul conferat, ille haud dubie inueniet, & uidebit, Hepaticam non eſſe aliam herbam præter eam, quę à Græcis Latiniſq; Lichen dicitur, ita in omnibus conueniunt. Quod ſiue rum eſt, ut eſt utiq;, ſatis dilucidum eſt, Hepaticam id nominis non aſſecutam quòd hepati proſit, quemadmodum Plateārius ſomniat, quòd is effectus neq; à Dioſcor. neq; à Galeno, aut aliquo alio ueterum, licheni tribuatur. Itaq; præter omnem rationem, hæc herba Hepatica à Plateario dicta eſt, quando id nominis Eupatorio potius ueterum teſtimonio conueniat, ea enim propter inſignem iuuandi iecur facultatem, hoc nomine inſigniri meretur, quare & Hepatorium & Hepatitis Dioſcoride etiam teſte dicta eſt, quòd hepati non parum proſit, quod ſuprà in Eupatorio ſatis demonſtrauimus. Nemo tamen inficias ibit Lichenem ideo Hepaticam dici poſſe, quòd iecoris fibræ ſimilis ſit, uel quòd hepar, quod plærunq; caliditate peccat, refrigeret, ſed quòd per excellentiam Hepatica dici mereatur, nemo probare poteſt. Lichen uerò dicta eſt, quoniam
D peculiariter impetigini ſuccurrit.

DESCRIPTIO.

Hepatica naſcitur foliȷs caulem circulatim circumeuntibus ordineque cohærentibus inſtar ſtellæ, candidoſq; flores producens: amat humidos campos, & petroſos umbroſoſq; locos. Herba hæc pluuium humorem & rorem ſuper ſe continet. Quanto autem habet maiora folia, tanto melior eſt.

Hepatica in triplici habetur differentia, ut Hieronymus Herbarius indicat. Prima, quę in obſoletis & ruinoſis fontibus ſub dio, petroſis quoq; lapidibus adhæret, foliȷs inuicem pinnatis, ſibi adhęrentibus, non admodum abſimilis ei, quæ pulmonaria uulgò uocatur. Altera, quam nunc paſſim Matris ſyluam uel Stellarem herbam uocant, Germanice **Waldt meyſter**, tametſi Caprifolium uulgò etiam Matrem ſyluę faciunt. Tertia trifolium aureum: teutonice **Gulden Klee**, quod ipſum naſcitur in ſyluis & aſperis locis.

TEMPERAMENTVM.

Hepatica, ut Vigonius teſtatur, frigida eſt & ſicca in primo gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Serapion inquit, Virtus prima Hepaticę eſt deſiccare, idq; immodice. Altera eſt abſtergere. Tertia uetare impetiginem, & quęlibet

apoſtemata

A apoſtemata calida. Hepatica ſiccat,purgat,refrigerat, propterea aperit iecur oppilatum & lienem,repellitq; morbum regium.

Si quis ex Hepatica bibat; uitio iecoris ſubuenit, ipſumq; refrigerat.

Vehementer prodeſt ad lienis iocineriſq; oppilationem cum calore exortam.

Facit ad omnes affectus ex calida intemperie creatos, nam leniter refrigerat,& eſt temperatæ facultatis. Calidis apoſtematibus impoſita,ea refrigerat,& calorem inde diſcutit.

Emplaſtrum inde factū & genitalibus fœminarum impoſitum, tollit nimium fluxum menſium. Vino impoſita & pota,diſcutit ictericiam.

Folia eius cum farina hordei in uino granatorum contrita, modicoq; ſandali albi cum oleo roſaceo admixto,ſi emplaſtri modo imponantur,omnia calida apoſtemata Hepatis ſedant & reſoluunt.

Syrupus ex decoctione eius & Rhabarbaro, ſanat icteritiam.

Et decoctio eius facta cum Endiuia domeſtica & ſylueſtri,& parum Capillorum Veneris, parumq; Cicoreæ, cum aqua & ſaccharo,confecta,& cum modico uino granatorum,laborantibus Hepatis diſcraſia calida optimè medetur.

B Emplaſtri modo impoſita,ut Dioſcor. in Lichene ſcribit, ſanguinis eruptiones ſiſtit, inflammationes compeſcit, & impetigines ſanat.

Inungitur etiam utiliter ex melle ſuffuſis felle:& in os linguamq; deſtillationes cohibet.

DE AQVA HEPATICAE.

Ad conuenientem diſtillationem folia rite colliguntur,& in fine Maij,& in principio Iunij diſtillantur.

Aqua Hepaticæ mane, meridie, ac ueſperi, ſingulis uicibus iij. aut iiij.uncijs pota,medetur calidis febribus.

Itidem bibita per xiiij. dies,ſubuenit calidæ iecteritiæ, prodeſt quoq; eodem modo pota,iocineri, confortat enim & confirmat iecur, & aperit obſtructiones eius, & inflammationem inde pellit, linteolis in ea madefactis,& ad regionem Hepatis impoſitis.

Medetur quoq; illis,qui ex intemperata libidine, uitium iocineris contraxerunt, mane ac ueſperi ſingulis uicibus pondere iij. aut iiij.unciarum per vi,aut vij.ex ordine dies pota.

DE HERBA PARALYSI.

C

NOMENCLATVRAE.

Herba paralysis.
Margarita.

Schlüſſel blümen.
S. Peters Schlüſſel.
Himmel Schlüſſel.
Weiß Betonien.

ANNOTATIO IN HERBAM PARALYSIM.

HERBA paralysis foliis Betonicam refert, præterq; quòd eius folia latiora, candidiora atq; humiliora sunt,& magis contracta, unde & in aliquibus regionibus Betonica candida appellatur, creditq; Brunsfelsius eam esse Betonicæ speciem, quia etiam in uiribus multum conueniant. Apud Dioscoridem huius herbæ, non est certa descriptio neq; certum nomen, nisi Britannica fuerit, ut Hieronymus Bock opinatur, Hermolaus Barbarus in syluestri cucu-
D mere herbam paralysim scribit esse florem illum pratensem & candidum, qui à Plinio Bellis seu Bellius minor dicitur. Alij Margaritam eam appellant, quòd emaculato candore à longinquo conspicuus sit.

Herbæ paralysis folia florere incipiunt tempore hyemis, quæ se extendunt in terra, habentq; luteos flores.

Herbarij ut Brunsfelsius indicat, longe aliã hodie nobis demonstrant, principio ueris subalbidam, & sublucentem, floribus Betonicæ ferè foliis erumpentem, cui tam similis est, ut nullum lac lacti sit similius, Prouenit ultro in pratis uirentibus,

TEMPERAMENTVM.

Calidæ & siccæ est complexionis.

VIRES AC IVVAMENTA.

Herba hæc in medicina præcipuè usurpatur ad paralysim, quam in quacunq; parte corporis fuerit, repellit, si quis utatur. Melior tamen est contusa, & parti dolenti imposita.

Herba in uino decocta & bibita, medetur quoq; paralysi.

Macerantur flores eius in oleo oliuarum, & fit ex eis unguentum ad paralysim, & neruos frigore & humoribus resolutos.

Flores cum saccharo conditi, prosunt imbecillibus & lipothymia laboran-

A mia laborantibus, longaq; ualetudine confectis, eos enim corroborant, & uires restituunt.

DE AQVA HERBAE PARALYSIS.

Optimum tempus distillationis eius est, ut folia & flores cum tota substantia concisa, in principio ueris distillentur.

Aqua eius per diem bis & singulis uicibus duabus uncijs pota, stomachum calefacit, & Hepar, & matricem. Quamobrem conuenit & grauidis laborantibus, menstruaq; prouocat.

Modo iam predicto bibita, tumores capitis sedat, & repercutit, lineo panno in eius aqua intincto, & subinde applicata.

Humores parientes Ischiada resoluit, expellitq; & per urinam educit.

Facit hæc aqua ad omnem capitis dolorem ex frigore creatum, linteolo in ea madefacto, & dolenti capiti applicato. Serpentium quoq; morsus sanat, & uenenatorum omnium.

Vitiligines & alias maculas exterit, & in facie, & in reliquo corpore, cutem enim reddit nitidam, si sæpius inde lauetur.

DE HERBA ROBERTI, VEL ROSTRO CICONIAE.

B

NOMENCLATVRAE.

Γεράνιον.

Rostrum Ciconiæ.
Herba Roberti.
Geranion.
Robertiana.
Gratia Dei.
Acus muscata.

Storcken Schnabel.
Gottes gnade.
Kranich Half.

ANNOTATIO IN HERBAM ROBERTI.

C HERBAM Roberti uulgus Herbariorum uocat Gratiam dei, & Roſtrum Ciconiæ, partim ab ſimilitudine, & figura transſumpto nomine, partim ab inſigni eius effectu. Apud Dioſcoridem Geranion dicitur, ut Hermolaus Barbarus herbarum longe pertiſſimus in ſuis Corollarijs indicat, cuius in ſecundo Geranio hæc ſunt uerba: Geranion ſecundum medicis inutile, aliter à Græcis, aliter à Latinis deſcribitur. Dioſcorides & omnino Græci, folijs paulo candidioribus quàm maluæ, ramoſum ex interuallis. Hanc ego aut eandem, aut omnino ſimilem eſſe uideo cum ea, quam Galliæ tranſalpinæ uulneribus, & fiſtulis in potum commendant, & herbam Robertianam cognominant, coliculis rubentibus, flore paruo ſubpurpureoq;, ac cæteris notis omnibus, quę hoc loco à Dioſcoride Geranio redduntur, etiamſi ab eo medicinæ aliena exiſtimetur: Quid enim prohibet ignoratas eius uires fuiſſe olim. Noſtri, ut inquit Plinius, Geranion oſtendunt cicutæ folijs minutioribus, & caule breuius rotundo, ſaporis & odoris iocundi: uerum hæc proprie Geranion non eſt, ſed myrrhis, confuſione orta, quod Geranion à quibuſdam myrrhis etiam dicatur: unde natum & illud ſit, ut Geranion in Latino cicutaria nomen habeat: cum alioqui cicutaria proprie myrrhis eſſe uideatur, Hactenus Barbarus.

DESCRIPTIO.

D Eſt autem quatuor generum, ut Brunſfelſius indicat, Primum quod ab Dioſcoride alterum Geranion inſcribitur, caulibus minutis, & piloſis, ſeſquipedalibus, folijs maluæ, floribus in gruum roſtra deſinentibus. Alterum genus quod in umbroſis, & nullibi non ſubpurpureo flore, odore graueolentum, coliculo & flore Petroſelini, ſed hirtis, roſtroq; Ciconiæ ſimilibus prouenit. Tertium quod in tectis ruinoſis, parietiniſq;, & circa mortuorum ſepulchra ſua ſpōte ſeritur, in uniuerſum rubentibus coliculis, & excepto rubore à priori nihil diuerſum. Quartum minuſculum, & humi repens, ſed roſtro prioribus per omnia ſimile.

TEMPERAMENTVM.

Roſtrum Ciconiæ mixtæ facultatis eſt in frigiditate & humiditate.

VIRES AC IVVAMENTA.

Aduerſus calculum. Accipe hanc herbam & Saxifragam eodem pondere, & in aqua decoque, linteoloq; percola, deinde ſudatorio parato, accipe ſtramen auenaceum, & in aqua ebullire ſine, inde ignitos lapides conſperges: quum autem ſudare inceperis, decoctū huius herbæ bibes, hoc ter ex ordine fiet, tum calculus leniter frangitur.

Quicunq;

Quicunq; graui sanguine abundat, semperq; tristis est, utatur hac herba cum pulegio & ruta pari mensura, & in puluerem redactas cum pane edet, tum cor confortant, & lætitiam generant.

DE AQVA ROSTRI CICONIAE.

Optimum tempus distillationis eius est, ut caules unà cum foliis cum tota substantia inuicem cõcidantur, & in fine Maij, uel in principio Iunij distillentur.

Aqua eius prodest ad exulcerationem locorum muliebrium: si per diem bis ex ea lauentur, & linteolum in ea intinctũ applicetur.

Liuorem cutis ex casu uel ictu contractum, hæc aqua repellit, si per diem ter uel quater linteolis ea applicetur, nam sanguinem sub cute concretum dissoluit & consumit, facit ad fistulas, si mane ac uesperi inde lauentur, uel si linteolis in ea intinctis applicetur.

Conducit aduersus artheticam humerorum & pedum, si loco dolenti illinatur, uel linteolis imponatur.

Tumorem mamillarum pellit linteis applicata, & sedat dolorem.

Membris contusis ac conquassatis imposita medetur, & pellit sanguinem conglobatum.

DE HERBA VRINALI.

B

NOMENCLATVRAE.

ὀσύρις.

Herba Vrinalis.
Pseudolinum.
Esula adulterina.
Linaria.

Harn kraut.
Flachß kraut.
Lein kraut.
Vnser Frawen flachß.
Nabel kraut.
Scheiß kraut.

ANNOTATIO IN HERBAM VRINALEM.

C HERBAM Vrinalem Ottho Brunsfelsius in Germanico suo Herbario scribit, Latinis nominibus appellari pseudolinum, & Esulam adulterinam. Verum Euritius Cordus olim meus in medicina præceptor, herbarumq; peritissimus, in Botanologico suo inquit Herbam Vrinalem esse ipsam linariam, contra uulgares Herbarios, qui has quasi duas disiungunt, & quod apud Dioscoridem Grece Osyris dicatur, cuius sane iuditium, haud facilè aliquis refellere poterit, si modo rectè has herbas examinauerit. Testatur quoq; Ruellius Linariam esse Osyrim apud Dioscoridem. Hieronymus Herbarius quoq; indicat, Herbam Vrinalem Linariam esse, dicitur autem Vrinalis herba quòd urinam moueat. Linaria uerò, quòd lini formam repræsentet.

DESCRIPTIO.

Herba Vrinalis caulem habet duorum palmorum altitudine, neque ultra eam mensuram nascitur, flores eius sunt lutei, ad herbæ paralysis figuram.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat in tertio gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

D Hæc herba dissoluit atq; consumit omnes glutinosos humores in uesica & lumbis retentos, unde calculus creari solet. Radix atque flores, si coquantur ac bibantur, mane ac uesperi, tollunt omnem dolorem uesicæ & lumborum, expellunt calculum.

Radix contusa & ita mollis imposita inter umbilicum, & pudenda, diabeten, id est urinæ profluuium sedat.

Ita quoq; sumpta medetur stranguriæ.

Ad posteriora hæc duo remedia, hæc radix commisceri debet cum oleo oliuarum. Sed ad primum non est necesse. Hic obseruandum est, quòd morbi iam prædicti quum ueniant ex frigiditate, tum hæc herba saluberrima est, si uerò à calore prouenerit, non est utilis.

Ottho Brunsfelsius in suo Germanico Herbario aliam herbam Vrinalem ponit, cui uim refrigerandi ac humectandi attribuit, quę procul dubio alia species est, & alijs uiribus prædita, sunt enim plures species huius herbæ, ut Hieronymus Bock enumerat, præterea & aliæ herbæ quæ Vrinales appellantur.

DE HERMODACTYLO.

NOMEN.

A

NOMENCLATVRAE.

Κολχικον.
Εφήμερον.

Hermodactylus.
Narcissus.

Zeitlosen/in Septembri.
Hornungs blůmen in Martio.

HERMODACTYLVM Arabes & recentiores medici Colchicon Ephimeron uocant, quod à Dioscoride describitur lib. 4. cap. 62. Sciendum autem est Galenum & Æginetam Dioscoridem secutos, duo facere Ephimeri genera. Vnum quod Colchicon à natali solo dicitur, & uenenosum est. Alterum quod Ephimeron simpliciter dicitur, & innocens est, & remedij rationem habet, per quod Hermodactylum oportet intelligere, unde in officinis catapotia fiunt, quæ ad
B morbum articularem, & podagram commendantur. Quidam tamen hæsitant an Hermodactylus Colchicon Dioscoridis sit, quũ Paulus Ægineta diuersis capitibus de Hermodactylo & Colchico scribat, quicquid hoc sit, descriptio Colchici cum Hermodactylo omnino quadrat, Ottho Brunsfelsius Hermodactylum Narcyssum credit esse, tanta est opinionum diuersitas de nomenclaturis Herbarum.

DESCRIPTIO.

Hermodactylus herba est, quę nullo anni tempore in pratis floret, quàm in fine Septembris, Flores habens cœruleos qui croci floribus similes sunt. Radicem habet è nigro rufescentem: quæ cortice suo nudata, candida, tenera, dulcis & liquore plena inuenitur. Radix est rotunda ad bulborum similitudinem.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & siccat in principio secundi gradus, uirtutem habet purgandi & dissoluendi.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radices Hermodactyli aluum cient, præcipuè decoctum eius.
Facit Hermodactylus ad morbum articularem, & inprimis podagram repellit.

Electuarium

C Electuarium contra podagram hoc modo conficitur, Accipe ſuccum fœniculi, & cum melle decoque, huic melli admiſcebis iiij. uncias Hermodactyli, ac duas uncias ſeminis fœniculi, ſaccharíq; quantum uolueris, & inde electuarium conficies. Quo per diem uel noctem uti licebit, quocunq; tempore quis uoluerit, oportetq; duas horas poſtea ieiunare: ualde auxiliatur podagræ, & omnem morbum articularem conſumit.

Hermodactylus in puluerem redactus & permiſtus Veneto ſmegmate, linamentumq; ſi fiat ex Goſſipio, fiſtuliſq; inſeratur, ita ut puluis ſmegmate circum linamentum hæreat, abſq; dubio fiſtulas curat.

Quicunq; Hermodactylo plurimũ utuntur, habitiores fiunt, augeturq; eis genitura.

In puluerem redactus atq; antiquis uulueribus inſperſus ualde prodeſt, nam gangrænam in eis conſumit, & renouat ea funditus.

Cum ſemine fœniculi & ſemine cartami in puluerem contritus, & modico ſacchari admiſto, in uino decoctus, ſubuenit doloribus inteſtinorum & coxendicum.

Hermodactylus in lixiuio coctus, & præcipuè flores, pediculos abigit, caput ſi ex eo lauetur. Pediculos inguinarios ubicunq; fuerint, ſuccus illitus etiam pellit.

D Bulbi ex Hermodactylis contuſi, ſuccoq; inde expreſſo & mariſcis illito, eas funditus ſanat.

DE HIPPVRI.

NOMENCLATVRAE.

Ἱππουρις.
Ἀνάβασις.

Hippuris.
Equiſetum.
Equinalis herba.
Cauda equina.

Roß Schwantz.
Katzen zagel.
Schafft hew.
Tauben rock.
Kannen kraut.

ANNO.

A

ANNOTATIO IN HIPPVRIM.

HIPPVRIS à Græcis, Equiſetum uel Equinalis herba à Romanis dicitur, ut Dioſcorides inquit. Eſt autem pilus terræ, equinæ ſetæ & caudæ equinæ ſimilis, unde & nomen ſortita eſt. Nota omnibus planta eſt, & qua nulla in foſſis prope aquas in umbroſis locis frequentior naſcitur, Plinius eam inimicam fœniſecis, & inutilem pratis dixit. Anabaſin ab aſcendendo aliqui eam dixerunt, quoniam infirma aliis ſtirpibus libenter hæret. Sunt autem huius herbæ duæ ſpecies. Altera longior, altera breuior. Longiorem Dioſcorides à ſaliendo ſalicē Equinalem appellat, uulgò Caudam Equinam, cum qua ſimilitudinem habet. Minorem Hippurin, uulgò caudam felinam appellant, quâ in polliendis ac clarificandis ſtanneis ac coquinariis uaſis mulierculæ utuntur.

DESCRIPTIO.

Hippuris longis & iunceis eſt foliis, ramis geniculatis, qui concreſcunt inſtar caudæ equinæ: gaudet naſci prope aquas & locos humidos.

TEMPERAMENTVM.

Hippuris, ut Galenus inquit, adſtringentem cum amaritudine facultatem poſſidet, ac proinde ualenter, ſimulq; citra mordacitatem exiccantem.

B

VIRES AC IVVAMENTA.

Facit potenter ad ſanguinem ex uulneribus uel naribus prorumpentem, uulnera conglutinat impoſita, etiamſi præfectos eſſe neruos contigerit. Ardenti iocineri impoſita, ipſum refrigerat. Omnibus calidis puſtulis uel affectibus adhibita, emplaſtri modo citò ſanat.

Ad ſanguinis reiectionem, ad profluuium muliebre, potiſſimum rubeum, ad dyſenterias, & reliquos uentris fluxus ſtrenuum ac generoſum eſt remedium herba ipſa aut ex aqua aut ex uino epota.

Succus eius cum ſucco Scariolæ permiſtus & potus, omne profluuium ſanguinis uulnerum abſq; noxa ſiſtit. Idem ſanguinem excreantibus prodeſt, folia recentibus uulneribus impoſita, adeo ea committunt & conglutinant, ut nulla cicatrix appareat.

Succurrit radix & herba pariter tuſſientibus, non niſi recta ceruice ſpirantibus, & ruptis. Quinetiam inteſtinorum diuiſiones, ueſicam diſſectam, & inteſtinorum ramices glutinare feruntur folia cum aqua pota.

DE AQVA HIPPVRIS.

Aqua Hippuris manè ac ueſperi ſingulis uicibus duabus uncijs pota, medetur ſanguinem excreantibus, ſanat inteſtina exulcerata & lęſa, ſiſtit menſtrua mulierum, ueſicam exulceratam curat, ſtomachum

chum offensum confortat atq; iecur linteolis foris applicata.

Eadem mane, meridie, ac uesperi singulis uicibus ad iiij. uncias pota, & etiam linteolis in ea intinctis emplastri modo imposita, facit ad erysipeleta & sacros ignes.

Subuenit calculo & strangurię. Dysenteriae auxiliatur, si linteolum in ea madefactum ano indatur.

Tumido membro uirili calida linteolis imposita, tumorem pellit & sedat dolorem.

Sanat uulnera pedum & aperta foramina, si ex ea lauentur.

Eadem linteolis imposita ad tumorem hydropis mane & uesperi, ipsum discutit.

Fronti & naso linteolis applicata, atq; etiam naribus indita, adstringit atq; sistit sanguinem narium, pellit quoq; destillationes narium, ipsis naribus attracta.

DE HIRVNDINARIA.

D

NOMENCLATVRAE.

Hirundinaria.

Schwalben wurtz.

HIRVNDINARIA procul dubio inde nomen habet quòd acuti & aperti eius folliculi cum candida lanugine uolanti Hirundini fermè similes sint. Est autem ipsa herba prçmorsa decurtaq; inferius radicis trunco, ut Brunsfelsius scribit, multis alijs tenuibus, albis, & graue olentibus radiculis adhærentibus, admodum iniqua

proportione

A proportione respondens herbæ quam germinat, quæ tenuis prorsus, uix cubitum excedit, radice interim duarum librarum pondo æquante. Hirundinaria, ut Hieronymus Bock scribit, caulibus suis & foliis Aristolochiæ longæ ualde similis est, odorem tantum in radice obtinens, Nascitur autem in hirsutis, editis, ac arenosis montibus & syluis atq; in rupibus locisq; desertis ac incultis. Radicem habet fruticosam & retortam, cui multæ radiculæ adhærent. Quo nomine apud antiquos medicos appellata sit, nondum satis constat. Idem Hieronymus Bock credit eam esse herbam, quę à Plinio lib. 27. cap. 5. & Dioscor. lib. 3. cap. 97. Asclepias dicitur.

VIRES AC IVVAMENTA.

Hirundinaria eadem natura & uirtute est prædita qua Aristolochia longa, præstantissima radix ad ciendos menses mulierum. Potest intrò sumi, & quoq; foris applicari.

Radices in uino elixæ & potæ, subueniunt torminibus, & uenenatorum morsibus, arcet uenenum ne cor petat.

Hæc radix pondere semilibræ per noctem in uino macerata, & deinde usq; ad tertias decocta, si singulis matutinis temporibus calidus haustus inde in lecto ab aliquo sumatur, & super hoc sudauerit, mirificè expellit aquam intercutem, adeo ut in pedum plantis erumpat: & est singulare exprimentum.

B

Si mulier calidæ huic herbæ insederit, & uaporem quoq; ex ea exceperit, discutit dolores matricis, suppressos menses emollit & trahit. Herba cum floribus contusa, & mamillis inflatis emplastri modo imposita, tumorem deprimit. Puluis ex herba & radice, curat omnia sordida ulcera ac uulnera, quemadmodum etiam facit Aristolochia longa, potestq; una pro altera sumi.

Brunsfelsius scribit Empiricos Hirundinaria usurpare contra rupturas & uulnera curanda.

DE HORDEO.

NOMENCLATVRAE.

Κριθη.
Hordeum.

Gerst.

ANNOTATIO IN HORDEVM.

C HORDEVM inter fruges omnibus notum, frugumq; omnium nobiliſſimum habetur, ut Platina inquit, quòd in ſicca & ſoluta terra ſeri uelit, quòd citò matureſcat, & ob gracilitatem calami ante omnia frumenta ſuccidatur. Dicitur autem Hordeum ab horrore, quoniam licet calamus altior frumento quàm Hordeo ſit, ariſta tamen mordacior eſt Hordeo. Vel dicitur ab oriendi celeritate, quòd ante omnia frumenta ſit aridum. Ex Hordeo Polenta & Ptiſana parantur, quæ apud ueteres in quotidiano medicinæ uſu fuerunt. Polenta multiplicem quondam habebat confectionem, Græci perfuſum aqua nocte una Hordeum ſiccabant, poſtero dein die frixum molis frangebant, Germani uocant Ein Gerſten miß. Ptiſana uidetur fuiſſe pultis genus ex farina Hordacea, in quo eſt maxima uis nutriendi, & reſtaurandi uires. Ptiſanæ eulogium atq; coctura uariam deſcriptionem paſſim apud autores colligere datur, præcipuè apud Hippoc. lib. 1. de ratione uictus in morbis acutis, Galenum in fine libri 12. ſuæ method. med. tum in 7. libro eiuſdem operis cap. 11. ad hæc in 4. de ſanitate tuenda. Manardus Epiſtola 2. lib. 5. inquit, Ptiſanam noſtro æno inſuetam, quę etiam ab Italicis medicis penitus fuit prætermiſſa, uel rarò admodum in uſum recepta. Ob eius enim hodie inſuauitatem minimè admitten-

D dam eſſe, præcipuè quum à recentioribus non ritè paretur, tum quòd Hordeum noſtrum ad uſum illum minus ſit aptum. In cuius locum nobis pulliculorum iura & auicularum, quæ ægrotantibus dari poſſunt, addita etiam aliquando carne contuſa, ſuccedant. Noſtri Ptiſanam Maltz appellant, ut ſit Hordeum aqua mollitum, & iterum toſtum ad Ceruiſiam coquendam. Panem ex Hordeo ueteribus uſitatum uita damnauit, quadrupedum q; tradidit refectibus, exiguam quoq; in corpus alimoniam concedit, præcipuecp, ſi ex uili Hordeo fiat, ut teſtatur Galenus lib. 1. de alimentorum facultatibus.

DESCRIPTIO.

Hordeum eſt genus frumenti in agris, Zeæ ſimile, & acutis granis colore ſubflauo.

TEMPERAMENTVM.

Frigidum & ſiccum eſt Hordeum in ſecundo gradu. Galenus inquit: Hordeum primi eſt ordinis in exiccando & refrigerando, habet etiam pauxillum abſterſionis.

VIRES AC IVVAMENTA.

Hordeum in medicina ad multa uſurpatur, & præcipuè ad refrigerandum.

Polenta in aqua decoctum conducit febricitantibus, quæ aqua ſumenda

A sumenda est cum adhuc calida est. Grana Hordei tamdiu in aqua efferueant, dum aqua aliquantulum rubra fiat. Ea aqua pota subue nit illis qui ingentes calores habent, & reprimit inflammationem. Expellit eadem calores ex calidis humoribus procreatos. Prodest quoq; ad faucium asperitatem, & opitulatur illis qui ægrè deglutire possunt.

Emplastrum ex farina Hordeacea, & nucleis cotoneorum acetóq; confectum inflammationes podagræ lenit impositum. Calidamq́; scabiem curat.

Farina Hordeacea dolorem calidorum apostematum lenit, eaq́; refrigerat emplastri modo imposita.

Si ulcera & pustulas cito curare uolueris, Accipe farinam Hordeaceam atq; lac recenter mulctum aquaq́; temperatum, ac unguentum inde confice, quod impositum citò sanat.

Quicunq; in facie asperam & duram scabiem habuerit, quæ ex uento solet fieri asperior, decoquat Hordeum in aqua, linteoloq́; percola, quo decocto calido faciem leniter ac sæpius lauabis, tum cutis recuperat bonum colorem, atq; lenior & nitidior fit.

Puls ex farina Hordeacea, & paululo sacchari admixto, cum paruis uuis passis, bonus cibus est pro febricitantibus, & facit ad calorem iecinoris. Discutit quoq; farina Hordeacea cum fico, & mul
B sa aqua elixa tumores collectionesq; omnes.

Cum pice, resina & columbino fimo, duricies mollit. Illinitur & contra intestinorum inflationes, cum lini foeniograeciq; semine & ruta. Eadem cum liquida pice ceraq́;, & impubis pueri urina, addito oleo strumas maturat. Cum myrti baccis uinoq́; aut syluestribus piris, aut rubro, aut mali corio alui fluores compescit. Expressus cum aqua Hordeaceæ farinæ succus, mox cum pice, & oleo coctus suppurationes adiuuat. Ex aceto autem pariter expressus, decoctusq́; cum pice, destillationibus in articulos prodest. Succus ex Hordeo in aqua pluuiali decocto, facit ad interiora corporis, & locorum muliebrium ulcera. Cinis eius ambustis illinitur, & carnibus quæ recedunt ab ossibus, & eruptionibus pituitę: item muris aranei morsibus. Idem aspersо sale & melle, candorem dentibus, suauitatem oris facit.

Hordei farina, & furfur cum aceto & butyro bene temperata, membris luxatis medentur imposita.

DE AQVA EX HERBA HORDEI.

Conueniens tempus distillandi illam aquam est in exitu Maij.

Hæc aqua oculis instillata mala uitia eorum sanat, claritatem inducit atq; exiccat eos.

DE HERBIS, CAETERISQVE DE HVMVLO.

NOMENCLATVRAE.

Lupulus.
Humulus.
Lupus ſalictarius.
Volubilis magna.

Hopff.

ANNOTATIO IN HVMVLVM.

D HVMVLVS uſitatiore uocabulo à Latinis plærunq; Lupulus dicitur: herba eſt apud Germanos notiſſima, qua Ceruiſiam ſuam maceratis humore floribus condiunt, Folia habet bryoniæ ſimilia, ſed paulò aſperiuſcula, flores foliaceos & candidos, qui ferè allium uinumq; ſubolent. Quo nomine apud Dioſcoridem appelletur nondum conſtat. Plinius Lupum ſalictarium appellat, ut autores tradunt, ſubit enim & ſcandit ſalices atq; arbuſta omnia, quę circumuoluendo ſe cõplectitur. In Flaminia quoq;, ut Hermolaus inquit, lupus reptiuus uulgari nomine appellatur, Græci uulgõ Britona uocant. Quidam falſõ pro uite nigra acceperunt: aliĳ etiam ineptiſſimè pro corruda.

TEMPERAMENTVM.

Humulus in ſecundo gradu calefacit atq; deſiccat.

VIRES AC IVVAMENTA.

Virtutem habet diſſoluendi, maturandi, & aperiendi omnia apoſtemata.

Humulus uſurpatus expellit Melancholiam, & craſſum ſanguinem. Succus eius calidus inſtillatus auribus, purulentiam ac ſuppurationem earum tollit.

Vinum in quo Lupulus, & Scolopendria elixa fuerint, bibitum, quartanam febrem expellit.

Si quis ex eo bibat, aſthma ac oppilationem pectoris emendat.

In uino decoctus morbum regium diſcutit, & hydropem, atq; aluum laxat.

Ita quoq;

A Ita quoq; lieni impositus uel potus, dolorem inde tollit.

DE AQVA HVMVLI.

Optimum tempus distillationis eius est, ut superiora cacumina, & prima germina duorum palmorum altitudine decerpta, atque concisa, in fine Aprilis distillentur.

Hæc aqua mane ac uesperi singulis uicibus iij. uncijs pota, atque etiam si potus tribus, aut quatuor hebdomadis inde misceatur, sanguinem purgat, pellit Melancholiam, unde generari solet scabies, pruritus, & lepra, & id genus similia, quæ ex impuro sanguine prouenire solent.

Eadem pota aperit obstructionem lienis, pellit punctionem, & omnes affectus qui ex liene obstructo creari solent.

Vesperi auribus instillata ac pota, purgat atq; consumit purulentiam earum.

DE HYOSCYAMO.

B

NOMENCLATVRAE.

Υοσκυαμος.
Διοσκυαμος.
Απολλιναρ.
Υπνοτικος.

Hyoscyamus.
Herba Apollinaris.
Faba Suilla.
Altercum.
Bilsam Kraut.
Saw Bonen.

ANNOTATIO IN HYOSCYAMVM.

HYOSCYAMOS Latinis Apollinaria dicta est: officinæ Iusquiamum corruptè uocant, Græci autem Hyoscyamon, id est suium Fabam ideo uocauerunt, quòd ut in historia sua retulit Helianus, pastu eius conuellantur sues, præsenti mortis periculo, nisi copiosa aqua statim se foris & intus proluerint. Aquas quoq; adeunt & cancros uenantur, atq; ita protinus saluti restituuntur. Alij cum ope eius à dolere ad indolentiam, quasi diuino quodam beneficio restituti fuissent, non ultrà Hyoscyamon à suibus, sed à Ioue Dioscyamum, id est Iouis Fabam dixerunt. Vsi eadem nominis ratione illi etiam sunt, qui à medicinæ autore deo Apolline, Apollinarem herbam & Pythonion eam dixerunt. Quidam etiam hy-

C pnoticon, à somno quem facit, appellauerunt. Scribonius Largus scribit, Alterum quoq; à Græcis Hyoscyamon uocari.

DESCRIPTIO.

Hyoscyamos frutex est caulibus crassis, foliis latis & oblongis, secundum uerò caulem ordine prodeunt, flores specie cytinorum mali punici, clypeolis semine plenis.

Triplex discrimen & genus Apollinaris herbæ est, purpureo enim flore altera est, & nigro semine, duriſq; & aculeatis cytinis. Altera flore luteo est, foliis & siliquis teneriorib., semine subflauo. Insaniam soporemq; hæ ambæ faciunt, Ideo in medicinæ usu damnantur. Tertia pinguibus est foliis, & humore plenis, flore albo & semine, nascitur propè arbores & fluuios. Huius semen in medicina usurpatur. In cuius deficientis uicem ruffum usurpari oportet.

TEMPERAMENTVM.

Flos & semen albi ex tertio ordine sunt refrigerantium, siccantium uerò secundo.

VIRES AC IVVAMENTA.

Succus auribus instillatus occidit in eis uermes.

Herba hæc contusa, farinaq; hordeacea admixta, & apostemati ex calore exorto impósita, illud repellit. Radice eius in aceto
D elixa, utiliter in dolore dentes colluuntur.

Succus ex uiridi semine contuso expressus, & purulentis oculis illitus, pus ex eis remouet.

Semen aut herba cruda comesta, uenenum est.

Semen contusum cum uino permistum, & suppurantibus mulierum mamillis impositum uehementer prodest.

Idem cum aqua mulsa permistum & potum, auxiliatur excreantibus sanguinem.

Semen in puluerem contritum, & cum lacte muliebri albumineque oui & modico aceti permistum, ac temporibus illitum, somnum conciliat.

Ad somnum quoq; prouocandum in acuta ægritudine, ut Platearius docet, talis sit usus: fiat fomentum ex aqua decoctionis illius herbæ, circa pedes & frontem ac tempora, & fiat ablutio prius, postea præcedens unguentum debet inungi, uel emplastri modo applicari.

Succus ex herba & semine, somnum inducit & sedat dolorem.

Vtilis & contra acres calidasq; in oculos destillationes, dolores aurium, & muliebrium locorum uitia.

Cum farina autem polentàue contra podagras oculorumq; inflammationes imponitur.

Folia

A Folia recentia omnibus ulceribus,& membris quæ dolent impo ſita,dolorem leuant,& potiſſimum dolorem aurium.

Omnes facile tumores pellit & ſedat,pedum,inguinum,teſticulorum, pectinis & fœmorum,túſa & impoſita.

Herba Apollinaris tuſa cum ſua radice,& ſuper pedes poſita,mirè dolorem & tumorem pedum tollit.

EXPERIMENTVM.

Ad dolorem dentium,ſemen eius ſuper carbones ponitur,ut fumum recipiat patiens per os,idq; per cannam:inde aqua abluuntur dentes. Seruatur ſemen ipſum ad decennium.

Contra calida apoſtemata, in principio fiat emplaſtrum ex ipſa herba trita, & ſuperpoſita : uel ex ſemine eiuſdem, & oleo roſarum.

Contra diſſuriam,fiat emplaſtrum ex ſemine eius, & albumine oui,& modico aceti,ſuper pectinem,& renes ponatur.

NOCVMENTA EIVSDEM EX DIOSCO-
ride Libro ſexto.

Pota,in cibóue ſumpta Apollinaris herba, ebrietati ſimilem amentiam facit.

REMEDIA.

B Facilimè tamen curantur,qui eam hauſerint,ſi copioſe pota mulſa aqua illis,& lacte ſuccurratur, aſininoq; præſertim,ſin minus caprino bubulòue, aut caricarum decocto. Proſunt & pinei nuclei, cucumerumq; ſemina cum paſſo ſumpta. Quinetiam urticæ ſemen, aut cum aqua nitrum accommodatum eſt. Prodeſt & Cichorium,prodeſt Sinapi,naſturtium,raphani,cæpe & allia,ſingula cum uino ſumpta. Quies imperanda his eſt,ut potum uinū ſomno concoquant.

DE AQVA HYOSCYAMI.

Electum tempus diſtillationis eius eſt, ut herba ipſa unà cum radice, & floribus conciſa atq; contuſa, circa diem Ioannis Baptiſtæ diſtilletur.

Aqua Hyoſcyami omnem dolorem capitis ex calore exortum ſedat,ſi caput ex ea inungatur & fricetur.

Eadem fronti & temporibus illita,conciliat ſomnum. Omnem calorem reprimit, ſi linteolis in ea madefactis ſuperponatur : ſic leuat omnem dolorem membrorum, formam lepræ in facie occultat, ſi ſæpius inde facies lauetur. Facit quoq; ad calidam paralyſim membris ſæpius inde lotis & fricatis, extrahit omnem calorem non naturalem.

Prodeſt illis qui non habent naturalem quietem,tam intra quàm

C extra corpus, si capiti sæpius illinatur, & pannis lienis applicetur, tum facit hominem naturaliter quiescere.

DE HYSSOPO.

NOMENCLATVRAE.

Υσσωπος.

Hyssopus.

Hisop.

D ANNOTATIO IN HYSSOPVM.

HYSSOPVS in fœminino genere, & Hyssopum neutro genere apud autores reperitur. Romani autem pariter Græcis Hyssopum dicunt. Est autem herba hortensis, non negligendi in medicina usus, quæ pulmoni & pectori ualde utilis est, inter herbas quoque odoratas etiamnum annumeratur, quanquam tamen iusculis condiendis etiam cõmoda sit: sed & floris cœrulei iucunditate coronamentis prodest: habet autem odorem satis acutum.

DESCRIPTIO.

Hyssopus ferè folia habet pulegio similia, caulem oblongum, in quo flores gerit Serpillo similes. Duorum generum Hyssopus est, ut Dioscorides inquit, Altera hortensis, altera uerò montana. In æstate quando floret Hyssopus, abscindenda est, & siccanda in loco opaco, & non soli exposito. Quando uerò in medicina ea uti uolumus, folia ex caulibus sunt decerpenda, caulesq; abijciendi, folia ad annum durant syncerisuiribus.

TEMPERAMENTVM.

Hyssopus calefacit & siccat in secundo ordine. Galenus inquit, Hyssopum desiccat & excalfacit ordine tertio: sed est tenuium partium.

VIRES

A VIRES AC IVVAMENTA.

Hyſſopus decocta fico cũ aqua, melle rutaq;, mox pota, pulmonarijs, ſuſpirioſis, antiquæ tuſſi, à capite in ſubiectas partes deſtillationibus, & in difficultate ſpiritus non niſi recta ceruice ſpirantibus opitulatur: uentris lumbricos omnes necat.

Idem præſtat & cum melle lincta.

Succus eius potus cum Oxymelle, aluum conſtipatum laxat. Idem cum ſemine naſturtij ſumptus, leniter aluum ſoluit.

Nitidam reddit faciem, cutiſq; colorem commendat, ſi quis ex ea bibat.

Cum puro adipe & caricis decocta, atq; lieni emplaſtri modo impoſita, tumorem inde remouet.

Contra lienem & cutem ſubeuntes aquas cum fico nitroq; emplaſtri modo imponitur.

Cum uino pota thoracem expurgat.

In aqua decocta, ſuppurantes gingiuas emendat, ore inde colluto.

In uino elixa, cui admixtum ſit ſemen fœniculi: illud uinum bibitum tollit ſtomachi atq; inteſtinorum dolorem: fomentum quoq; illius decoctionis idem præſtat. Idem fomentum ſubditum locos muliebres à ſuperfluis humoribus purgat, & mundificat.

B Sugillata ex feruenti aqua impoſita, emendat.

In anginis cum ficorum decocto gargariſſatur utiliter. Colluuntur præſenti remedio decocto hyſſopi in aceto dolore dentes. Solùit eadem incenſa uaporis ſuffitu aurium inflationes.

In oleo contritum hyſſopum, phthiriaſi, hoc eſt morbo pediculari reſiſtit, & capitis pruriginem tollit.

Quadrupedum ſcabiem ſanat, ex oleo fotum.

Ex hyſſopo conficitur uinum hyſſopite, quod facit ad pectoris, lateris & pulmonis uitia, ueterem tuſſim & ſuſpiria. Vrinam præterea cit, Torminibus accommodatum eſt. Vtile contra circularium febrium in acceſſionibus cum tremore algores, menſes poſtremò etiam ducit.

DE AQVA HYSSOPI.

Quando floret Hyſſopus, folia tantum decerpenda ſunt, ad diſtillationem, in Auguſto.

Aqua Hyſſopi mane ac ueſperi ſingulis uicibus iij. uncijs pota, medetur ſuſpirioſis. facit ad raucedinem uocis. tuſſim ſedat. facilem reddit excreationem.

Contra omnia pulmonis uitia prodeſt pota: thoracem à uiſcoſis & Phlegmaticis humoribus expurgat, abſceſſus pulmonis ſanat.

Eadem

C Eadem iuxta modum suprà dictum bibita, lumbricos expellit è corpore, uenas in corpore læsas aperit, educit malum sudorem, interiora apostemata sanat, facit ad aquam intercutem ex frigida intemperie prouenientem.

Itidem bibita opitulatur contra suppurationem stomachi, & lienis, adiuuat concoctionem, facit ad dolorem lateris & costarũ, medetur ictericis.

A mulieribus pota, prodest contra nimium fluxum menstruorum, confortat cor, stomachum, & lienem, emollit pectus, aperit oppilationem iocineris.

Aqua hæc pota, & facies inde lota si fuerit, eam nitidam & puram reddit, ore ex ea colluto subuenit doloribus dentium: tinnitum atq; susurrum aurium discutit instillata.

DE HYDROPIPERE.

D

NOMENCLATVRAE.

Ὑδροπεπερι.

Hydropiper.
Aquaticum Piper.
Piper montanum.

Wasser Pfeffer.
Floe Kraut.

A

ANNOTATIO IN HYDROPIPER.

HYDROPIPER nomen, ut Galenus Autor est, à locis quibus nascitur,& Piperis sapore,quem prę se fert,possidet, quasi Piper dixeris aquatile, nam iuxta stantes aquas, aut profluentes pigro lapsu,prouenit,quare à natali solo,& Pipere quod gustu imitatur, appellationem contraxit. Antonius Musa & Euritius Cordus scribunt,Hydropiper esse eam Persicarię speciem quę lituris caret.Ponuntur enim duę ab illis species. Vna quę acri mordacitate pungit, nullamq; habet maculam, atq; hęc Hydropiper dicitur. Altera quę ferè fatuo est sapore, uel aliquantulū acido, ut acetosa,& in folio lituram habet maculę modo conscriptam, & ab Herbarijs ferè persicaria appellatur. Hanc differentiam Persicarię non animaduertunt, qui negant Hydropiper non esse Persicariam. Cordus apud Plinium Siliquastrum seu piperitida uocari credit,Brunffelsius & Hieronymus Bock herbam pulicariam etiam nominant, quòd & ipsa pulices necare creditur.

DESCRIPTIO.

Hydropiper herba est mentastro similis, folia tantum molliora atq; latiora habet. Radix & folia saporem Piperis habent, sed non adeo acrem. Caulem habet geniculatum,in quo semen fert ad uua
B rum immaturarum similitudinem.Herba ipsa magis ad medicinam utilis est quàm radix. Præterea herba, & semen in medicina plus prosunt uiridia quàm siccata.

TEMPERAMENTVM.

Hydropiper herba est calida, sed non usq; adeo ut Piper est.

VIRES AC IVVAMENTA.

Hęc herba cum radice in aqua decocta ac ita oculis imposita,malos humores inde tollit. Purulentis oculis foris imposita ualde prodest, ita ut prius in mortario contusa sit, & ita humida cum succo imponatur.

Ad maculas corporis succum huius herbę mane & uesperi illine, tum intra triduum consumuntur. Ad affectū illum quem uermem digiti,nominant, Accipe hanc herbam cum membranula, quæ ex ouis elixis decedit eodem pondere, & emplastri modo impone,& uermis morietur absq; dubio.

Hydropiper uiride cum semine suo illitum,sugillata,& tumores induratos discutit.

Sequuntur nomenclaturæ Herbarum incipientium à Litera I.

DE

DE IACEA.

NOMENCLATVRAE:

Iacea.
Herba trinitatis.
Herba clauellata.

Freyſchem kraut
Dreifaltigkeyt blümen.
Nagelkraut.
Creutz blümlin.

ANNOTATIO IN IACEAM.

IACEA, ut Hieronymus Herbarius inquit, Latine dicitur herba Clauellata, & uulgò Herba Trinitatis uocatur, à triplici florum differentia, quos luteos, cœruleos, & candidos habet. Seritur in hortis ad coronas inde nectendas. Apud Dioſcoridē adhuc certo nomine ſignificari non poteſt, ut Ottho Brunsfelſius ſcribit. Ruellius putat apud Dioſcoridē uocari Ocimoides. Hieronymus Bock uerò cenſet eam eſſe Polygalon Dioſcoridis, & præcipuè quę candidis eſt floribus. Poteſt ergo Herbariæ medicinæ ſtudioſus Dioſcoridem ipſe conſulere, & iudicare an Iacea, uel Herba Trinitatis uulgò dicta, cū iſtis duabus herbis iam antè nominatis conueniat.

DESCRIPTIO.

Iacea ferè in palmi altitudinem à terra creſcit, flores eius triplici ſunt colore, cœruleo, luteo, & candido. Caulem habet inſtar lauendulæ acutis & paruis foliis. Vbicunq; ſemel in horto ſata eſt, ibi poſtea ſe ipſam ſeminat & propagat.

A Herba ipsa & non radix in usu medicinæ est, atq; ad multas res conducit,& præsertim aqua inde distillata.

VIRES AC IVVAMENTA.

Hæc herba decocta cum uino & bibita educit malos humores, & inflammationem erysipelaceam in corpore existentem fortiter expellit.

Infantibus quibus erysipelas periculo est, hæc herba in pultem concidenda est, uel dabitur eis potui aqua eius, & absq; dubio citò sanantur. Decoque in uino, florum Chamomillæ, Alchimillæ & Iaceæ, singulorum manipulum unum, atq; illud per octo dies matutino tempore ieiunus bibe, & intra octo illos dies bis lauabis: Ea potio tollit omnem glutinosum humorem & illuuiem, quæ longo tempore se collegit inter cutem & carnem. Prodestq; in primis scabiosis hominibus, si ex hac herba edant, uel aquam inde distillatam bibant.

DE AQVA IACEAE.

Optima eius distillatio erit, ut si quando herba ipsa floret, simul cum caulibus distilletur.

Aqua Iaceæ infantibus in potu data ad ℥. uncias medetur inflammationi quę eos corripuit. Mane & uesperi singulis uicibus ℥. aut ii℥. uncijs pota, subuenit asthmaticis, & qui angustiam habet circa
B cor & pectus, atque etiam qui ibidem ulcus aliquod uel tumorem habent.

Eodem modo bibita auxiliatur illis qui apostema in pulmone habent.

DE INCENSARIA.

NOMENCLATVRAE.

Incensaria.

Brennwurtz.

INCENSARIAM Ruellius genus Libanotidis credit esse, atq; sic appellari, quòd thus, quod incensum uocant, redoleat.

DESCRIPTIO.

Incensaria herba est, quæ fermè similis est plantagini, nascitur in arenosis montibus, per terram se propagat, odorem habet thuri similem.

C

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & siccat in tertio gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Consumit humores pectoris, unde exoriri posset apostema pectoris uel lateris, uiridis imposita.

Radix eius confortat membra paralytica, sanguinemq; eis affert imposita.

Herba hæc atq; radix tollunt obstructionem narium quæ ex destillatione cerebri prouenit. Radix habet uirtutem attrahendi malos humores, usurpatur propterea ad uulnera soluenda, & præcipuè ad pus educendum. Succus ex radice permistus cum resina & cera, unguentoq; inde facto ualdè attrahit.

DE INGVINALI.

NOMENCLATVRAE.

Ἀστὴρ ἀττικός.
Ἀστέριον.
Βουβώνιον.
Inguinalis.
Aster Atticus.

D

Asterion.
Bubonion.
Stellaria.

Stern Kraut.

ANNOTATIO IN INGVINALEM.

INGVINALIS est herba quæ apud Dioscoridem, & Plinium Aster atticus appellatur. Foliorum in flore Inguinalis herbæ numerus, positura & forma, quibus stellæ modo radiatur, cognominem stellis uulgarem, alioqui & in sepibus nascentem herbam fecerunt, ut Marcellus Vergilius inquit. Vsus deinde medicorumq; cœtus utilem inguinibus cognitam, in Græcis Bubonion, in Latinis Inguinalem, appellauit. Inguina enim Græci Bubonas appellant. Tanta siquidem tamq; præsens contra inguina eorumq; dolores uis Inguinalis herbæ est, ut adalligata solum in eo malo medicinam faciat. Idq; grauissimi Græcorum medici testati sunt: Galenus, Ægineta, Dioscorides, & Plinius.

DESCRIPTIO.

Inguinalis herba est oblonga & acuta folia habens, quæ in summo stellæ sunt similia. Nascitur inter petras & aspero solo.

Dioscorides.

A Dioſcorides hoc modo deſcribit: Inguinaria herba lignoſus caulis eſt, purpureum & luteum habet in ſummo florem ueluti anthemis, capitulum undiq; per orbem inciſuris diuiſum: foliolis ſtellæ ſimilibus. Quæ circa caulem folia ſunt, oblonga & hirſuta ſunt. Hæc herba noctu tanquam ſtella in cœlo lucet, & qui uiderit ignorans, putat ſe ignē uel phantaſmata uidere, & metu plenus, ridetur à paſtoribus pecorum. Vergilius Marcellus hoc confutat atque reiicit, tanq; ſuperſtitioſum aliquid, quia in antiquiſſimis Græcis, Latiniſq; autoribus non inueniatur. Quidam etiam Bubonion à bufonibus, hoc eſt, uenenoſis uermibus dictum uolunt, quod non ſolum ineptum ac falſum eſt, ſed etiam contra omnem autoritatem ueterum, fingunt enim quòd bufonibus Inguinalis magna ſit medicina, quando in pugna cum araneis habita uicti fuerint, & uulnerati atq; icti ab eis. Et quòd bufones aliaq; animalcula uenenoſa huius herbę gratia in locis petroſis ſe contineant, atq; ea herba ſe reficiant atq; ſanent.

VIRES AC IVVAMENTA.

Inguinalis prodeſt æſtuanti ſtomacho emplaſtri modo impoſita. Prodeſt & oculorum inflammationibus, inguinibus, procidentiq; ſedi. Ferunt præterea, quod in flore eius purpureſcit, anginis cum aqua potum præſidio eſſe: prodeſſe & comitialibus infanti-
B bus. Contra inguinum inflammationes recens utiliter emplaſtri modo imponitur.

Sicca eadem quæ tamen ſiniſtra manu eius, qui ſibi remedium querit decerpa fuerit, inguini adalligata, dolores inguinum finit.

Caduco morbo laborantibus opitulatur, ut Apuleius teſtatur. Si baccas Aſteriį, id eſt Inguinalis dederis manducare Luna decreſcente, quū erit ſignum uirginis, & ipſam herbam laborans habeat in collo ſuſpenſam, remediabitur.

DE IRINGO.

NOMENCLATVRAE.

Ἠρύγγιον. Ἑκατογκέφαλον.
Eryngion. Iringus.
Centum capita.
Krauß Diſtell.
Bracken Diſtell.
Manß trew.
Elend. Rad Diſtell.

ANNOTATIO IN IRINGVM.

C IRINGVS seu Iringium corrupto, ut constat, uocabulo ab Herbarijs, & Pharmacopolis uulgò dicitur, pro ea herba aculeata, quę apud Dioscoridem & Plinium Eryngion appellatur. Idq; ita esse omnes medici qui de herbis scripserunt, uno ore consentiunt. A numero capitum, Centumcapita à Dioscoride, & Plinio dicitur, quamuis etiam Plinius candidam ea uoce uocari solitam scribat. Est em̃ Eryngion carduus multis atq; stellatis capitibus, omnibus carduis aspectu spectosior. Herba est quouis Protheo mutabilior, nunc album, nunc cæruleum, nunc pallidum mentitur colorem.

DESCRIPTIO.

Iringus aculeata planta est, cuius folia adhuc nascentia & tenera recipiuntur in cibos sale condita, ea sunt lata, per ambitum aspera, gustu odorata & rubentia colore, hæc ubi adoleuere, multis caulium fastigijs in spinas aculeantur. In cacuminibus capitella in formam pilæ coacta cernuntur, etiam aspera & spinosa, quę stellæ modo rodiantur. Radix foris est colore nigro, intus candido. Nascitur petrosis montibus, & campestribus atq; asperis locis.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; humectat secundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

D Radix contusa & calidis apostematibus emplastri modo imposita, calorem extinguit, & emollit.

Si quis ex floribus bibat, medentur anginæ.

Radix Iringi in melle macerata, & sæpius sumpta, uirilem genituram adauget, bonumq; generat sanguinem. Pastinaca eiusdem est uirtutis cum Iringo. Pharmacopolę quoq;, ut Antonius Musa scribit, in Italia radicem saccharo melleq; condiunt, & ad uirile membrum erigendum, & hyeme, ut uentriculus calescat, utunt̃.

Iringus pota menses & urinam trahit. Tormina & inflationes discutit. Bibitur cum uino utiliter iocinerosis, & contra uenenatorum morsus & epota uenena.

Pota cum hydromelite radix, opisthotonicis, & comitialibus medetur.

Auxiliatur Iringus cordis uitijs, lieni, renibus, stranguriæ, opisthotonicis, spasmis, hydropicis. Extrahit spinas & corpori infixa cum melle strumas, potridas, panos discutit.

DE AQVA IRINGI.

Radix tantum Iringi minutim concisa in fine Maij distillatur.

Aqua Iringi mane ac uesperi singulis uicibus ij. aut iij. uncijs pota, medetur stranguriæ, auget genituram.

DE IVIVBIS.

A

NOMENCLATVRAE.

Iuiubæ.
Zizipha.
Serica.

Welsch Hanbitten.
Arß Kitzelen.

ANNOTATIO IN IVIVBAS.

B IVIVBAE Zizipha à Latinis appellantur, quæ potius baccæ uidentur, quàm poma, licet autores inter Poma numerent, peregrina arbor, de qua nuſq; Dioſcorides, Duplex Ziziphi genus, ut Columellæ placet, rutilum, & candidum. Rutilum in officinis in frequentiori eſt uſu. Candidum rarò ad nos adfertur. Galenus Iuiubas Serica uocat, ut Brunsfelſius & Ruellius indicant. A recentioribus medicis pro tuſſi exhibentur, in decoctis pro pectore: hoc à Galeno improbatur, utpote quę potius incraſſent quàm attenuent. Optimus ſeruandi modus eſt ſi acu perforentur, & lineæ inſuantur, ut mulierum indices imitari uideantur, quibus numeratas preculas ſingulis diebus deo pendunt. Vel ut Ruellius docet, Zizipha collecta matura in longo uaſe fictili ſeruantur oblito, & loco ſicciore compoſito: uel ſi recenter lecta poma, ſi guttis uini ueteris perfundas, efficitur ne ea rugarum deformet attractio.

DESCRIPTIO.

Iuiubæ frigidæ ſunt in primo gradu, & in ſiccitate & humiditate temperatæ. Galenus inquit, Serica imbecilliſſima ſunt, & difficillimè concoquuntur, cumq; hoc ſtomacho inutilia ſunt. Ab inſolentibus & effrenatis pueris ac mulierculis cibo duntaxat, appetuntur, exiguumq; præbent alimentum, maiora præferuntur, proſunt æſtu anti ſanguini, nam ipſum incraſſant.

Candida Zizipha concoctu difficillia ſunt.

C Zizipha calore & humore temperata tradit Aëtius, ideo sanguinis acrimoniam edomant, probum succum creant, serosum sanguinis humorem eliciunt: decoctum eorum tussim & difficultatem spirandi lenit: pectori, renibus, uesicæ prodest: præstantiora sunt maiora, cuiusmodi sunt quæ ædesina nominantur. Vomitionem acri concitatam humore sedant, uerum ægrè coquuntur, & lienem lædunt. Eorum decoctum salubrius propinatur.

Cum melle condita si fuerint Zizipha ac sumpta, prosunt thoraci obstructo, & uitiato pulmoni, atq; tussi. Subueniunt contra calculum renum & uesicæ.

DE IVNIPERO.



NOMENCLATVRAE.

Ἀρκευθὶς.
Iuniperus.
Grana Iuniperi.
Wegholder.
Fewer baum.
Kramet Baum.
Wegholder Beer.

ANNOTATIO IN IVNIPERVM.

D IVNIPERVM Græci arceuthida uocant, ideo autem sic dictam putant, quòd iuniores, & nouellos fructus pariat, sola em̃ ferè arborū fœtus suos in bienniū prorogat, qui ne matureſcant quidem, nouis superuenientibus, perpetua coma uiret, unde & topiario operi idonea: & pergulis applicari solet: præterea carioſam senectam non sentit, ut ex trabibus templi Dianæ usum est, inquit Plinius: eius lignum & rami odoratissimi. Baccas item fert nigras admodum odoras, quibus in suffitibus cubiculorum utimur. Has Germani etiam **Kramet beer** appellant, id est turdorum baccas: his enim turdi pinguescunt, & carnem bene olentem faciunt, ut nullo tempore ganeæ aptiores sint, quàm quum iuniperus maturum fructum habet. Iuniperus uirens adhuc cum igni dicatur, crepitat, & non iniucundum fumum expuit, qui odoris suauitate grassantia pestilentiæ contagia depellit, & sequentem perniciem eluit. Humor quoq; in Iunipero ad lachrymæ modum concreſcit, qui crematus nidorem odore thuri non cedentem expirat. Hęc lachryma Iuniperi caloris beneficio durata in gummi, Vernix peculiari uocabulo dicitur, ut autores tradunt.

DESCRIPTIO.

Iuniperi fructus primum circa tertium annum matureſcit. Arbor per

A bor per totum annum uiret: fructus cum maturi sunt, nigrescunt, luteos habent flores, lignum & fructus bonum odorem præbent. Duo eius genera, Altera maior, altera minor, utraq; accensa serpentes fugat.

TEMPERAMENTVM.

Iuniperus calfacit & siccat in tertio ordine, fructus autem calefacit quidem similiter, ut Galenus inquit, sed in primo gradu siccat.

VIRES AC IVVAMENTA.

Grana Iuniperi in ore retenta, malum aërem expellunt, Malos humores in homine consumunt quocunq; modo usurpata fuerint.

Oleum Iuniperinum facit maximè ad morbum articulorum ex frigiditate contractum, quod hoc modo conficitur: Accipe duas fictiles ollas uitro inc..ustatas, quarū unam super aliam pone, superiorem autem ollam implebis ligno Iuniperi, minutim concisso, & inter ollas erit lamina foraminola, ita ne lignum cadat in ollam inferiorem: obturabuntur uerò ambæ ollæ, ne fumus inde exire possit & ponentur intra terram, ita ut superior aliquantum è terra promineat, circū quam ignem ex carbonibus strues, tū quàm primum lignum in superiore olla intus calefactum fuerit, oleum ex superiore olla in inferiorem manat. Hoc oleum auxiliatur paralysi in corpore existente, si spina dorsi inde inungatur, & multos iuuit. Prodest quoq; comitialibus, si spinam dorsi eo inungant. Facit ad Me-
B lancholiam in cibo sumptum. Valet contra Iliacam passionem si dolentis partes inde perungantur. Auditum emendat auribus instillatum. Idem medetur omnibus morbis interioribus corporis ex frigida intemperie prouenientibus. Lapidem in uesica frangit, si instrumento chirurgico immittatur. Facit ad quartanā, si quotidie pondere unius drachmæ in cibo, uel alio modo sumitur. Confert confectionibus cutis, & malo tibiarum, serpigini & cancro.

Suffitus ex ligno Iuniperi factus emendat pestilentem aërem. Baccæ Iuniperi in uino decoctæ, medentur stranguriæ, & doloribus coxendicum. Semen stomachi, pectoris, lateris doloribus utile: inflationes, tormina, languoresq; discutit.

DE AQVA BACCARVM IVNIPERI.

Distillatio conueniens baccarum Iuniperi est in principio Septembris, quando maturę sunt, & nigricantes, tum contundi debent & distillari. Aqua illa mane, meridie ac uesperi singulis uicibus ij. unciis pota, medetur calculo renum & uesicæ, purgatq; renes & uesicam, urinam ciet, menses mulierum trahit ad iij. uncias pota.

Expellit fœtum mortuum iiij. unciis bibita, & uenenum: prodestq; contra morsum uenenatorum. Facit ad omnes morbos articulorum ex frigidate contractos, si mane, meridie ac uesperi articuli inde fricentur, & deinde per se iterum exiccentur. Eadem attenuat, aperit, & purgat immunda ulcera, si inde lauentur.

Sequuntur Herbæ à Litera L. incipientes.

DE LACTVCA.

NOMENCLATVRAE.

θρίδαξ ἥμερος. θρίδαξ ἀγρία.
Lactuca domestica. Lactuca agrestis.
Lattich. Wild Lattich.

ANNOTATIO IN LACTVCAM.

DE LACTVCA quam Græci Thridacem uocant, dicta est, (ut Palladius in Ianuario inquit,) quòd abundantia lactis exuberat. Verum Apuleius inde dictam putat, quòd lacte nutrientes fœminas impleat. Lactuca, ut tradit Athenæus, prima mensa apud ueteres non offerebatur, sed conuiuia cœnasq; finiebat: nunc ex aceto & sale condita mensas inchoare solet, quod & Martialis ostendit hisce uersibus.

Claudere quę cœnas Lactuca solebat auorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

Præfertur Lactuca, ut Galenus inquit, nec iniuria reliquis oleribus, cum ne ullum quidem succi melioris inueniatur. Aestate gratus est cibus, quia natura refrigerat. Quare & Galenus scribit, se in iuuenta cum os uentriculi crebrò flaua bile incandesceret, æstus moderandi gratia, Lactucam esitasse: & cum ad prouectam ætatem peruenisset, quo posset placidiorem inire somnum, comedisse, ad quem conciliandum Lactucam uesperi mansam præsens attulisse remedium. Ferunt Augustum Cæsarem in ægritudine usu Lactucæ conseruatum. Nec mirum cum & concoctionem adiuuet, & meliorem quàm cætera olera sanguinem generet.

Lactuca duorum generũ est. Altera Domestica est, altera uerò Agrestis.

A Agreſtis. Domeſtica rurſum in tres ſpecies diducitur. Vna quæ lati caulis eſt, Altera criſpa, Tertia uerò ſeſſilis. Agreſtis Lactuca eſt quam Hieronymus Herbarius & recentiores quidam medici pro uera Endiuia oſtendunt, hæc folio eſt cichorij, latiore tamen, albiore & minus inciſo, ſed lacteſcit quemadmodum Lactuca. Comes à Neuenare ſcribit eam eſſe herbam quæ à Germanis dicitur Saw Diſtel, id eſt Carduus porcarius. Domeſtica uerò eſt uulgaris Lactuca, quę in hortis paſſim creſcit. Sunt adhuc pulra eius genera quæ à Columella enumerantur.

Domeſtica in cibo uti licet. uerum eruda manducata, homini eſt noxia. Eſtur tamen quum adhuc tenera eſt, nec multum efficax.

TEMPERAMENTVM.

Lactuca refrigerat & humectat in ſecundo gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Ægineta inquit: Lactuca manifeſtè & refrigerat & humectat, eoq; ſomnum accerſit, ut autem inter olera ualenter nutrit, ita boni ſucci ſanguinis efficax eſt.

Lactuca ſtomacho accommodata eſt, ſomnum conciliat, aluum mollit, & lactis abundantiam facit.

Semen Lactucæ lactantibus fœminis abundantiam lactis præ-
B bet in cibo ſumptum, & uiſum acuit. Idem in uino ſumptum ſomnum conciliat.

Emplaſtrum ex Lactuca confectum, & calidis apoſtematibus impoſitum atq; ſacris ignibus, ualde refrigerat.

Lactuca elixa atq; oleo oliuarum permiſta, medetur hydropicis in cibo ſumpta.

Crebro uſu cerebrum perturbat, & frigido ſtomacho noxia eſt, atq; claritati oculorum officit.

Lactuca manducata bonum generat ſanguinem, & medetur febri tertianæ. Cruda comeſta uel elixa cum aceto ſaccharoq; permiſta, diſſoluit obſtructionem lienis atq; iocineris.

Semen Lactucæ lacte muliebri & albo oui temperatum, & temporibus illitum, conciliat ſomnum.

Semine trito & poto crebras libidinum imaginationes in ſomno compeſcit, & Veneris impetus cohibet.

Succus fronti male ualentis illitus, ſomnum acerſit.

Cauendus tamen Lactucarum uſus ſuſpirioſis, ſanguinem excreantibus, pituitoſis, & iis quoq; qui procreãdis liberis dant operam. Si quidem, ut fertur, non fœcunditatem modò minuunt, ſed quos poſtmodum ſuſtulerint filios, uelut amentes & inepti à progenitorum ingenio degenerant.

C Lactuca Agrestis decocta, & fouendo mulieribus subdita, facit ad uuluæ procidentiam.

Syluestris succus uiribus quoq; papaueri similis est. Carpitur per messes, inciso caule, insolatusq; conditur in fictili nouo, ad multa pręclarus. Sanat oculorum uitia, cum lacte mulierum. Arcet cum eodem nubeculas, cicatrices, adustionesq; omnes. Caligines itidem & argemas emendat. Imponitur etiam oculis in lana contra epiphoras. Vrinæ difficultates succus emendat. In summa uis ei est somnifica, dolores sopit quos per quietē leuari sit opus, menses euocat.

Est & aliud Lactucæ genus quod intrinsecus est uiride, extrinsecus candidum. Est etiam quę uocatur à Germanis **Brant Lattich**, quam Herbarij appellant Latine Vngulam caballinam.

Cui ulcera in corpore. Accipiat ex hisce Lactucis & extremitates foliorum decerpat, ut magnitudini ulceris quadrent, & cum melle lita, imponat per iij. dies & iij. noctes priusquam ulcus erumpat, emplastris autem siccatis, alia iterum imponenda sunt recentia, ulcus inde absq; dubio curatur.

DE AQVA LACTVCAE.

Lactuca crispa prius, deinde uulgaris Lactuca in medio Maij distillari debet.

D Aqua Lactucæ mane & uesperi singulis uicibus ij. uncijs pota, prodest iocineri, nam natura ipsum refrigerat atq; confortat, refrigeratq; sanguinem inflammatum.

Itidem bibita sistit dysenteriam, & alios uehementes alui fluxus, facit ad tremorem membrorum, conducit illis qui dormire nequeunt, temporibus capitis & pulsibus manuum illita, somnum conciliat.

Conducit fœminis lactantibus quæ modicum lac habent, si eam biberint uel potum suum inde miscuerint, generat lactis copiam.

Sedat siccam & calidam tussim in potu sumpta, lenit guttur, expurgat thoracem & pulmonem, sitim sedat, calorem iocineris stomachi, & renum temperat. Largius sumpta aluum laxat.

Medetur uertigini capitis ex calida causa prouenienti, si caput sæpius ex ea illinatur, ut postea per se iterum siccetur. Paralysim arcet, ne hominem inuadere possit, si membra ex ea inungantur & fricentur, medetur apoplexię. Phreneticis medetur, capiti illita.

DE LAPPATIO ET EIVS SPECIEBVS.

NOMEN

A

B

NOMENCLATVRAE.

λάπαθον. ὀξυλάπαθον.

Lapathum. Lapatium. Rumex. Hippolapathum. Oxylapathum. Lappatium maius. Lapatium minus.

Groß Klett. Grindt wurtzel. Mengel wurtz.

ANNOTATIO IN LAPATHVM.

LAPATHVM Græci, Latini Rumicem, Barbari Lapatium uocant, Lapathum autem, uel uti Theocritus protulit, Alapathum, ab effectu nomen accepit, quoniam exinaniat, etenim Attici ἀλάπαθα, quę nos inanitiones dicimus, appellant, & λαπάττειν uacuare uel exinanire Græci omnes dixerunt. Oxylapathum quamuis anceps in acidum saporem uel

acutam

C acutam figuram uideatur significatio, nomen sortitum est, quòd folia desinant in mucronem. Hippolapathum Græci quasi grande Lapathum dicunt, magnis amplisq; rebus hippo præponere soliti, ab equo excellentis amplitudinis animali magnitudinẽ mutuantes.

Lapathi quatuor genera facit Dioscorides. Inter ea Oxylapathon quasi acuta Rumex dicitur, paluſtribus locis nascens, in cacumine acutiora duraq; folia habet, ob id officinæ nostrates Lapatium acutum nominant. Est præter hanc hortensis Rumex priori dissimilis, Aliud Lapathum est agreste & erraticum, quod quidem in pratis, syluis ac montibus frequentissimum est: habetq; folia plantagini similia acidula aut minuta. Oxalis uulgò dictum, Quartum habet genus quod alij Oxaliden, alij Anaxariden, alij Rumicem syluaticum appellant, cuius folia syluestri, & exiguo sunt similia, caulis teres, sesquicubitum altus, semine Rubro, in mucronem acuminato, quod foliaceo uestitur inuolucro, sapore acri, è scapo & agnascentibus coliculis erumpente. id partim seritur, partim sua sponte prouenit. Omnes ferè quòd gratum acorem palato repræsentet, acetosam cœperunt appellare, de qua suprà dictum est.

Est & aliud Lapathum maius, quod Græci Hippolapathum uocant, quasi Lapathum equinum: non quòd aliquid habeat cum equo simile: sed quòd tantum sit omnium maximum. Atqui hoc La-

D pathum maius latissimum folium habet, & longissimum, semen & radicem Rhabarbaro similem, hoc tantum folia inter se differunt, quòd folia Rhabarbari parte inferna incisa sunt, & ad pediculum minus lunata. Hieronymus Bock qui nuper librum de herbis Germanice conscriptum in lucem ædidit, credit eam herbam quam nunc ubiq; pro Rhabarbaro in Germania ostentant, esse Hippolapathum Dioscoridis, quam per omnia refert, scribitq; se experimento didicisse, eam Phlegma, & Choleram purgare, si quis accipiat radicis eius siccatæ drachmam, & Gingiberis tertiam partem drachmæ, hoc simul in puluerem redactum, in calido iusculo sumetur.

DESCRIPTIO AC TEMPERAMENTVM.

Quatuor sunt genera Lapathorũ, quę ferè eiusdem naturæ sunt, ut frigida & sicca in tertio ordine. Primum acuta habet folia, quod bonitate alijs antecellit. Aliud rotundis est folijs, quod nõ est adeò bonum ut primum. Tertium folia latiora, & oblongiora habet, cuius in cibo non est usus. Quartum est Lapatium acutum quę à saporis aciditate à Germanis **Sauer Kletten** dicitur, quæ rubros producit flores, & radicem habet longam & candidam. Hanc quidam Acetosam uocant.

VIRES AC IVVAMENTA.

Lapathum moderatè digerentem sortitum est facultatem, ut Galenus scri-

A lenus ſcribit, at Oxylapathum miſtam, nam cum eo quòd digerit, nonnihil quoq; repercutit. Semen eorum manifeſtam quoq; quandam aſtrictionem obtinet, ut & dyſenterias & diarrhoeas, ſiue profluuia ſanet, & maximè Oxylapathi. Porrò Hippolapathum quod in totum in paludibus prouenit, eaſdem dictis facultates obtinet, ſed imbecilliores.

Succus ex acuto Lapatho cum oleo nucum & terebinthina pari menſura ſimul decoctus, deinde linteolo percolabitur, & addetur pulueris tartari, tertia pars ponderis priorum, & conficietur inde unguentum, quo ſi impura ſcabies corporis, quę lepra obducta eſt, inungatur, cutem nitidam & pulchram reddit.

Comes à Neuenare inquit, errori potius quàm experimento tribuendum, Quòd lapatio acuto magis in ſcabie, & pruritu empirici uſi fuerint, quandoquidem acetoſam, ſi eodem modo præparetur, multo citius pruritum tollere, ſcabiemq; exiccare & ſanare, ſcribit ſe experimento comprobaſſe.

Radix cum forti uino uel aceto elixa, poſtea contundetur, & emplaſtri modo impoſita, lienis tumorem tollit.

Eadem in uino decocta & bibita, facit ad difficultatem ſpirandi.

Lapathium acutum cum axungia decoctum, & duris apoſtematibus impoſitum, ea citò emollit, malam materiam & ſaniem in eis
B contrahit, & eo citius poſtea ſanat.

Idem Lapathium habet uirtutem penetrandi, & educendi malos humores: quare facit ad calculum, & ad ſaniem extrahendam ex malis puſtulis.

Semen ex acuto Lapatho fluxus alui, & dyſenteriam ſiſtit, & præcipuè etiam menſes mulierum nimium fluentes. Lappatium maius uirtutes omnes minoris poſſidet, eius ſemen, ſi quis in aqua coxerit, & uulnera in quibus gangræna eſt, inde lauerit, ea hoc decoctum ualde mundat.

Lapathum ualde uſurpatur in balneis pro calculo renum.

Lapathum maius habet ſingularem uirtutem diſcutiendi tumorem, ſi imponatur.

Agreſtis ſemen, ut Dioſcorides teſtatur, itemq; Oxylapathi, & eius quam ab acido ſapore, oxalidem uocant, utiliter in aqua uino ue bibitur, contra inteſtinorum tormina, cœliacas alui fluctiones, & ſtomachi ex repletione faſtidia, & ſcorpionum ictus.

Sanant Lapathorum omnium radices in aceto coctæ crudæq;, mox emplaſtri modo impoſitæ lepras, impetigines, Scabroſq; ungues detrahunt: uerum oportet locum nitro acetoq;, in ſole confricatum antea præparaſſe. Fouentur & eorum decocto prurigines uti liter. Radix in uino cocta doloribus aurium dentiumq; prodeſt, ſi

C colluantur iure. Strumas eadem & secundum aures abscessus, quos parotidas dicunt, in uino elixa & illita discutit. In aceto autem lienem minuit. Concisæ & fœminis subditæ radices eædem, muliebres fluctiones sistunt.

Quinetiam in uino decoctæ, fellis suffusionem emendant: calculos in ueficis frangunt, & menses ducunt, & scorpionum ictibus succurrunt.

DE AQVA LAPATHI.

Optimum tempus distillandi Lapathum est, ut radix & herba inuicē concisa in Iunio distillentur, uel herba sola in Maio. Radix uerò inter Iulium & Septembrem.

Aqua Lapathi medetur scabiei, si per duas aut tres hebdomades quotidie bis uel ter, & singulis uicibus ℥j. aut iij. uncijs bibatur, prodest quoq; foris corpori illita.

Sanat quoq; uitiligines, si quotidie ex ea illinantur, & postea per se iterum siccentur, & præcipuè, si addatur Sal gemmæ uel commune sal, & parum aceti.

DE LAPATIO MINORE.

D

NOMENCLATVRAE.

Lapathum minus.

Kleyn Klet.

DESCRIPTIO.

LAPATHVM minus simile est rotundo Lapatho, fructum habet rotundum & spinosum. Radices eius intra terram, sunt oblongæ & candidæ.

VIRES AC IVVAMENTA.

Habet ferè easdem uirtutes quas maius Lapathum habet, & præcipue semen.

Radix in uino decocta & bibita, tollit calculum, qui diu renibus & ueficæ inhæsit.

Radix in puluerem contrita & Rhabarbaro admisto in uino sumpta, discutit omnes malos humores, unde lepra exoriri posset.

Collectio & distillatio eius est eadem cum maiore Lapatho.

DE LAPATIO ROTVNDO.

LAPATIVM rotundum, quære infrà in ungula Caballina.

DE

A

DE LAVENDVLA.

NOMENCLATVRAE.

Κελτικη νάρδος.
Ψευδόναρδος.

Lauendula.
Nardus Celtica.
Pseudonardus.

Lauendel.

ANNOTATIO IN LAVENDVLAM.

B LAVENDVLA herba odorata est, ubiq; in hortis nascens. Marcellus Lauendulam inde dictã scribit, quòd magnum uectigal Genuensibus mercatoribus præbet, quotannis in Africam eam ferentibus, ubi lauandis fouendisq; corporibus, Lybes ea utuntur, nec nisi decocto eius abluti, mane domo egrediuntur. Estq; Lauendula nostra apud Dioscoridem Nardus celtica, ut Vergilius Marcellus testatur. Ruellius Pseudonardum eam esse inquit. Cuius duo cernuntur genera, Vnum procerius adolescit, & maiorem spirat odorem, quod quia non minus quàm nardum placet, sibi spicæ nomen arrogauit. Alterum tum amplitudine tum odore minus: quod quia balneis, & hominũ lauacris expetitur, elotaq; omnia, si permisceatur, odoris suauitate commendat, & uulgò Lauendula appellatur. Nunc doctioribus censendum relinquimus, utrius sententia magis sit probanda.

DESCRIPTIO.

Lauendula ferè Spicę est similis, flores tantum habet teneriores, caulem & herbam macram, flores cœruleos, & iucundo odore, gaudet nasci in hortis.

TEMPERAMENTVM.

Habet uirtutem calefaciendi & siccandi: ad cibum nõ conducit.

Vis ei calfactoria & resiccans abscessu secundo, tenuibusq; constat particulis, nec multo à natura Celtici dissidens, ut Ruellius inquit.

VIRES AC IVVAMENTA.

C Lauendulam si quis sępius naribus admoueat, & odoretur, tum uisum confortat atq; clarificat.

Si quis Lauendulam in aqua decoquat, & indusium in ea madefaciat, & postea iterum siccari sinat, tum nullus pediculus uenit ad ipsum indusium, quamdiu odorem illum retinet.

Flores singulares uirtutes in se retinent, & prępuè ad Apoplexiam. Flores in uino macerati distillantur, atq; illud uinum in ore retentum, loquelam hominis conseruat, Apoplexia ueniente, habetq; alias plures uirtutes.

DE AQVA LAVENDVLAE.

Herba ipsa unà cum floribus ad destillationem concidenda est in Iunio.

Aqua Lauendulæ facit ad uertiginem, capiti illita, & postea per se iterum siccescat: prodest quoq; duabus uncijs pota. Itidem usurpata, facit ad spasmum, apoplexiam, torporem & tremorem membrorum, atq; manuum.

Prodest etiam si cui lingua adeo grauis fuerit, ut eã mouere, uel leuare non potuerit, pondere unius uel iij. unciarum pota.

Conducit ad membrorum paralysim, si inde fricentur, inungantur & foueantur.

D Medetur doloribus & ulceribus dentium sępius in ore retenta. Ore inde colluto sanat exulcerationem oris.

Si quis Apoplexia tactus fuerit, ut loqui non possit, hæc aqua iij. uncijs pota, loquelam restituit.

Si cui caput dolet ex frigore, uertici eam illinat, dolor statim sedatur.

DE LAVRO, ET LAVRI BACCIS.

NOMENCLATVRAE.

Δαφνη.
Δαφνίδες.
Laurus.
Lauri baccæ.
Lorber baum. Lorber.

ANNOTATIO IN LAVRVM.

LAVRVS genus arboris est, quæ Grece *δαφνη* dicitur. **Hæc arbor** Apollini sacra est, ppter Daphnen, quam amauit, in eam transformatam, siue quòd spectatissima nascitur in Parnasso. Euso

bius

A sebius scribit eam Soli dicatam, quoniam ignea est, unde odio maximo à dæmonibus habetur: siue quòd plurimum sonat, si uratur, quod prædicendi artem designat. Diuinationis autem Deus Apollo existimatur. Sola arborum fulmine non tangitur, unde & aduersus fulmen, huius uis tueri uidetur. Id adeo uerum credidit Cæsar Tiberius, ut nunq̃ non gestaret capite coronam Lauream, ut in ipsius uita prodidit Suetonius. Quidam seniles baculos è Lauro faciunt. Cæsarum pontificumq; domos, militum arma, fasces imperatorum ornare quondam solita. Pacis ut olea, sic uictoriarum semper index Laurus. Duo eius genera tradit Cato, Delphicam & Cypriam. Delphica Laurus dicta, quòd uictores Delphis ea coronarentur, & est uiridior Laurus. Cypriã, folio breui, nigro suberispã.

Laurus duplex est, Mas scilicet & Fœmina, utraq; ualde calida & sicca est. Fructus Lauri seruari possunt per biennium, folia uerò ad unum annum.

TEMPERAMENTVM.

Lauri arboris & folia, & fructus, ut Galenus inquit, desiccant & calfaciunt uehementer, plusq; etiam fructus quàm folia.

VIRES AC IVVAMENTA.

Suffitus ex folijs Lauri factus, & mulieri ab inferiore parte alui adhibitus, uuluam eius purgat, & fœtum confortat.

B Folia in uino decocta & bibita, emendant stomachi cruditatem, eructationem & uomitum.

Ad frigidas destillationes capitis, folia Lauri, & rosas pari pondere in aqua decoque, & uaporem inde per infundibulum in os attrahe, deinde frontem laua, & temporibus hanc aquam illine, & multum opitulatur.

Qui debile caput habuerit, Lauri baccas contundat, & per noctem in sacculo capiti imponat.

Laurinum oleum malo stomacho foris illitum bonum præstat remedium. Quod sic conficietur:

Baccas Lauri recentes in puluerem contunde, & in sescuplo olei oliuarum decoque, ac deinde linteolo percola, & erit oleum Laurinum. A Palladio lib. 11. dissimilis confectio hisce uerbis traditur. Ex Lauri baccis oleum conficietur, hoc modo: Lauri baccas quàm plurimas, & maturitate turgentes, in aqua calida bullire facies, & ubi diu ferbuerint, olei quod ex se dimiserint, supernatantis undam pennis leuiter cogentibus in uasa transfundes. Eius quoq; confectionem apud Dioscoridem uide.

Calefacit Laurinum oleum, mollit, laxat, & lassitudines recreat. Vtile præterea cunctis neruorum malis, febrium horroribus, aurium doloribus, & destillationibus, contra renum ex frigore dolores utilissimè inungitur,

C Ad multa adhuc conducit, nempe contra paralysim & morbum articulorum ex frigida causa procreatum, si inungatur.

Si quis drachmam baccarum Lauri in puluerem contusarum in uino biberit, & cubitum iuerit, beneq; uestibus opertus sudauerit, multos interiores affectus ex homine pellit.

Idem puluis in sudatorio lapidibus ignitis super impositus, & antequam quis lauerit in potu sumptus, discutit hydropisim.

Lauri baccæ in uino potę, urinam cient, frangunt calculum lumborum & uesicæ.

Medentur iocinerosis, & locis muliebribus refrigeratis, stomachum quoq; calefaciunt, & omnia membra corporis.

Cum melle uel passo tabescentibus prosunt, eodem modo, & omnibus thoracis rheumatismis, nam & excoquunt Pituitam, & extrahunt. Vitiligines emaculant: epinyctidas ex oleo illitę, & lentigines & ulcera capitis manantia, & furfures tollunt, cutis pruriginem baccarum succus emendat.

DE LAVREA.

D

NOMENCLATVRAE.

Laurea.

Dußwurtz.

ANNOTATIO IN LAVREAM.

LAVREAM recentiores Herbarij uulgò appellant, herbam quandam quæ in terra nascitur ad quinq; folij similitudinem, flores luteos habens ad protentillæ modum, radicem intra terram profundam, habetq; candidum ac rotundũ rapulum instar globuli.

VIRES AC IVVAMENTA.

Succus eius auribus inditus suppurationem expellit.

Laurea

A Laurea contusa,& emplastri modo occipiti applicata,pellit apo stema capitis.

Radix eius cum sale & pane contusa,pruritum tollit illita.

Succus radicis discutit abscessus secundū aures, quos parotidas dicunt,emplastri modo si imponatur.

Herba ipsa sacris ignibus imposita medetur.

DE LENTE.

NOMENCLATVRAE.

φάκος.

Lens. Lenticula.

Linsen.

ANNOTATIO IN LENTEM.

LENS uel Lenticula Latine, φάκος autem Græce dicitur. Legumi nis genus est, à lenis nomen deductū, quòd qui ea uescuntur, lenes ac moderati fiunt. Hinc Plinius inquit. Inuenio apud ueteres
B autores æquanimitatem fieri uescentibus Lente. Ex Leguminibus autem Nouembri seruntur Lens,& in Græcia pisum, ut Plinius scri bit, Lens amat solum tenue magis quàm pingue, cœlum utiq; sic cum, Duo genera eius in Aegypto : alterum rotundius nigriusq;, alterū sua figura,unde uario usu translatū est in Lenticulas nomen.

DESCRIPTIO.

Lens est leguminis genus nascens mediocribus caulibus,sed du ris & minoribus quàm uicię sunt,paruis & breuibus siliquis, in qui bus grana sunt spadiceo colore,floribus est candidis.

TEMPERAMENTVM.

Lentes natura sunt frigidæ & calidæ,sed medium tenent calidi tatis & frigiditatis, natura quoq; adstringunt. Ægineta inquit, Lentes in secundo ordine siccant,medio caloris & frigiditatis tem peramento donatæ, sed astrictionis quoq; nonnihil habent.

VIRES AC IVVAMENTA.

Probatissimę sunt,quę in aqua maceratæ statim siccantur. Me lior quæ facillime coquitur, & quæ maximè aquam absorbet.

Decoctum earum bibitum soluit aluum.

Lentes cum decoquere uolueris,priorem aquam in qua aliquan diu elixæ sunt defundes, & aliam iterum super infundes, ea aqua sumpta ualde prodest, aluum enim expurgat & deijcit. Galenus inquit, decoctum Lentis aluum proritat, ideoq; prior aqua defun-

C ditur, quum adstringendi gratia lentes assumuntur.

Lentes crebro esu aciem oculorum obtundunt, egre concoquuntur, stomachoq; nocent. Inflant quoq; stomachum & intestina.

Grauia etiam & tumultuosa insomnia faciunt, pulmonibus inimicæ.

Lentes in cibo sumptę sistunt, urinam male promouent, sanguinem in uenis incrassant atq; densant.

In aceto decoctæ ad pultis crassitiem, & morbo laterali impositæ, præstant auxilium.

Contra stomachi subuersionem triginta lentis grana, suis corticibus denudata utiliter deuorantur.

Podagræ dolores lenit decocta Lens, & cum polenta emplastri modo imposita.

In uentris profluuio melius est eam in aceto coquere cum intybo satiuo, portulaca, aut beta nigra, aut myrto, aut plantagine, aut mali corio, aut sorbo, aut mespilo, aut cotoneo. In hoc usu acetum cū lente diligenter coquendū prȩcipiunt, alioqui cōturbat̃ aluus.

Crustulas ulcerum rumpit, eaq; sordibus expurgat. Collectiones omnes impositа sedat, maximè exulceratas & rimosas. Ex aceto duritias & strumas discutit, oculorum autē epiphoras cum mellilото aut cotoneo. Ad collectiones sedis adhibetur ex rosaceo.

D Contra suppurantia cum polenta imponitur. Quæ sunt ambusta, aqua semicocta curat, decoctæ cremor ad oris ulcerationes, & genitalium adhibetur, Quibus uitiosa est habitudo, ob aquam in carne diffusam, Lens cibo utiliter præbetur, ut Galenus testatur.

DE LENTICVLA AQVAE.

NOMENCLATVRAE.

φάκος ὁ ἐπι τ̃ τελμάτων.
Lens palustris:
Lenticula aquæ.
Weiß Meer Linsen.

ANNOTATIO IN LENTICVLAM.

LENTICVLA aquæ à uulgo appellatur herba quæ à Dioscoride, & Plinio Lens palustris dicitur, ea stagnantibus aquis inuenitur, & fluitat in summa aqua lentis figura, à cuius similitudine nomen inuenit, ut Vergil. Marcellus indicat.

DESCRIPTIO.

Lens palustris est herba, in aqua fluitans, herbaceo colore, forma tereti & parua, capillamenta habens infra aquam. Sine radice nascitur, fo-

A tur, foliis est Semperuiui & perpetuò uirentibus.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat atq; humectat in secundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Lens palustris natura & ui sistit omnes fluxus sanguinis, ex calore prouenientes:

Ad fistulas ani maximè prodest, si succus instilletur. Sacris ignibus medetur, emplastri modo imposita. Omnibus quoq; inflammationibus medetur, si succus illinatur. Glutinat & in pueris intestinorum ramices.

DE AQVA LENTICVLAE AQVAE.

Modus distillationis eius est, ut quum collecta fuerit, bene laue tur, & deinde parum siccata in lunio distilletur.

Aqua illa in mediocri quantitate pota, extinguit omnes interiores calores, idem præstat linteolis imposita, sedat sacros ignes, omnia calida apostemata, mitigat æstuantem podagram, adstringit omnes fluxus sanguinis, ex calore creatos, diuerso modo assumpta.

DE LEVISTICO.

B

NOMEN

Λιγυστικόν.

Liguſticum. Lybiſticum. Leuiſticum.

Lieb ſtöckel.

ANNOTATIO IN LIGVSTICVM.

LIGVSTICVM Romani pariter Græcis dicunt: plurimum in Liguria naſcitur, unde & nomẽ inuenit, ut Dioſcorides inquit, in monte qui Apenninus dicitur, Alpibus contermino. Sunt qui panaciam, ſiue panaces uocant, neq; id abre, quando & radix & caulis, & uires Herculeo panaci ſimiles ſunt. Galenus uniuſ inuerſione literæ Libyſticum appellat, Recentiores, & officinæ Leuiſticum dicunt. Hieroymus Herbarius inquit, illud à Germanis uocari Lieb ſtöckel, eo quòd aqua eius cutem hominis candidam ac amabilem reddat. Odorata herba eſt, & accommodata balneis. Pro pipere Liguſtici ſemine utebatur antiquitas, imò & nunc ruſtici Ligures pro pipere in obſoniorum condimentis utuntur, ut Antonius Muſa ſcribit.

DESCRIPTIO.

Liguſticum amat naſci prope uias, & ſub imbricibus: folia habet inciſuris & pinguia, caulem longum, & intus concauũ, ramos breD ues, ſemen latum, rotundum, & tenue. Flores autem habet luteos, & radicem candidam. In ſemine maior uis ac uirtus continetur.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; ſiccat in ſecundo gradu. Semen tribus annis durat in ſuis uiribus & uirtute.

VIRES AC IVVAMENTA.

Ex ſemine Liguſtici, ſi quis mane ieiunus biberit, per ſuperiora, & inferiora hominem fortiter purgat. Quorum pedes podagra infeſtantur, eis prodeſt ſemen clyſtere exhibitum.

In uino per noctem maceratum, & potum, menſes mulierum trahit.

Semen ad uſum medicinæ nimium eſt efficax, nam ulcera rumpit, & aperit impoſitum, fœtus mortuos potenter expellit. Propterea uis huius ſeminis temperari, cum ſemine fœniculi & Aniſi, in codem pondere debet, & deinde aſſumi, tum enim in homine operatur abſq; nocumento. Extra corpus tamen ſemen hoc poteſt uiurpari, abſq; ullo additamento.

Herba ipſa in lauachro multum prodeſt, ſi corpus ex ea fricetur, aperit enim poros, & attrahit malos humores.

Liguſticum in uino uel aqua elixum & potum, aperit oppillationem iocineris atq; lienis.

Contuſum

A Contusum atq; cum cymino permistum, ualde prodest, si in uino bibatur, nam stomachum emendat, & noxios uentos, ex intestinis repellit.

Ligusticum, Galanga & Cinamomum in uino decocta, medentur doloribus stomachi, lienis & intestinorum.

Tragea facta ex semine Ligustici, & cinamomo, Reupontica atque Galanga, saccharoq; admisto, in uino si sumatur, ad morbum antè dictum prodest.

Semen Ligustici sedat dolorem uentris, & intestinorum, tumorem stomachi discutit, humorem stomachi concoquit, morsum serpentum sanat, mouet urinam atq; menstrua.

Lauachrum factum ex Ligustico, Rosmarino, matricaria, chamomilla, meliloto, Stæchade citrino, & fœnogræco, ijsq; simul in uino decoctis, prodest aduersus arthritim, & morbum regium.

DE AQVA LIGVSTICI.

Tempus destillationis eius est, ut folia unà cum caulibus concisa, in medio Maij destillentur.

Aqua Ligustici mane ac uesperi singulis uicibus ij. aut iij. uncijs pota, medetur illis qui punctura circa latera uel thoracem sentiunt, succurrit lithiasi lumborum & uesicæ, raucedinem tollit, &
B anginas pellit, gutture ex ea colluto.

Prodest quoq; si cui caput intumuerit, aut doluerit, si linteolis in ea intinctis capiti applicetur.

Faciem reddit uenustam & nitidam, si mane ac uesperi ex ea lauetur.

Conducit quoq; si quis pustulas in crure habuerit, & crus ex calore ruberet, tum lineis pannis applicata calorem sedat, & remedium præstat.

Curat etiam cancrum oris, si sæpius inde lauetur, & singulis uicibus, puluis inspergatur ex radice Berberis.

Sanat exulcerationem & dolorem locorum muliebrium, si per diem ter uel quater inde lauentur. Idem præstat aqua ipsa lineis pannis applicata.

DE LIGVSTRO.

NOMEN.

C

NOMENCLATVRAE.

Κύπρος.

Ligustrum.
Alcanna.
Oliuella.

Rein weiden.
Mundtholtz.
Hartriegel.
Beyn höltzlin.

ANNOTATIO IN LIGVSTRVM.

LIGVSTRVM uulgaris & paratus frutex est, ubicũq; in sepibus crescens, Maio mense floret, Autumno autem maturis baccis nigrescit, A Græcis Cypros dicitur, quod & Plinius testatur inquiens, Cypron esse arborem quam Itali Liguſtrum uocant. Arabes Alcannam siue Hennè uocauerunt, quod etiam nomen officinæ retinuere, appellant enim oleum de Alcanna, quod ex floribus Ligu-
D stri fieri solet. Coquitur flos in oleo premiturq;, hoc oleum à Græcis Cyprinum uocatur. Mirum autem est Cyprini tam commodum usum obsoleuisse, quo ferè omnia ueterũ monumenta scatent, Itali Oliuellam etiam Liguſtrum appellant, à foliorum similitudine quam habet cum Oliua. Germani autẽ à ligni soliditate illud **Hartriegel** appellant, & **Mundtholtz**, id est, Stomaticum lignum, fortè quòd oris Aphtas, quas Arabes Alcola uocant, curet. Valde hallucinantur literatores, qui Liguſtrum conuoluuli florem esse produnt, in uersu illo Vergiliano, Alba liguſtra cadunt &c. in qua sententia est Seruius Grammaticus, qui Liguſtrum florem esse scribit, candidissimum ac uilissimum, qui in conuoluulo herba nascitur, sed euidentior error, quàm ut explodi mereatur: quum conuoluuli flos prægrandis sit, & ut uerbis utar Plinij, quasi rudimentum naturæ Lilia facere condiscentis, De hoc uide Ruellium, Cordum, reliquosq; medicos, qui de Herbaria medicina scripserunt.

DESCRIPTIO.

Liguſtrum arbor est, quę olcæ similia folia per uirgas profert, latiora tantum molliora q;, & magis herbaceo colore: Flores habet candidos, muscosos & odoratos: fructũ fert nigrũ, Sambuco simile.

VIRES AC IVVAMENTA.

Est foliis astringendi uis, ut Dioscor. tradit, eamque ob causam commanducata

A commanducata oris ulceribus, quas Aphtas dicunt, feruidisq; alijs collectionibus, & carbunculis illita, opitulantur.

Decocto eorum fouentur Ambusta. Sedat capitis dolores concisus flos, & ex aceto fronti illitus.

Succus eius neruis, articulis quos humor impleuit, auxiliatur. Folia ubiq; ueteri ulceri cum salis mica, & oris exulcerationi prosunt. Sanant Gallinaceorum pituitas acini: pollent & contra Phthiriasim, item contra intertrigines.

Ex interioribus corticibus fit lauachrum, quod in grauibus casibus sanguinem concretum dissoluit, Vlcera palati, gutturis, linguę, ueretri, mirificè persanat succus illius, cum aqua rosacea, aut arnoglossæ mixtus, aut decocta folia cum uino, ut docet Comes à Neuenare. Oleum Cyprinum excalfacit, & emollit neruos.

Ligustri florem Plutarchus putat corollis intorquendum, quòd placidum suauemq; somnum potoribus accersat, quippe qui lenem auram, & mitem expiret, quæ tenulentorum salebrosas aspritudines, sensim leuiget, ita ut conciliata tranquillitate, hebes crapula retundatur, & caloris officio percoquatur.

DE AQVA LIGVSTRI.

Aqua ex floribus Ligustri destillata, conducit aduersus affectus oris & faucium. Vtuntur quoq; ea medici ad eum morbum, qui
B uulgò cancer appellatur.

DE LILIIS CANDIDIS ET COERVLEIS.

NOMENCLATVRAE.

Κρινον.
Ἰρις.

Lilium album.
Iris.
Lilium cœleste.
Lilium cœruleum.

Weiß Lilien.
Blaw Lilien.
Blaw Schwertel.

C

D

ANNOTATIO IN Lilium.

LILIVM, ut Plinius inquit, roſæ nobilitate proximum eſt, & quidem cognatione unguenti oleique, quod Lirinon appellatur. Græci perhibent Lilium è Iunonis lacte natum reſperſa terra, nanq; quum Herculem, quem ex Alcmene ſuſtulerat Iupiter, immortalitate uellet donare, Iunonis dormientis uberibus admouit, & cum lacte ſe repleſſet, poſt ſuctum digreſſus, mamma copioſe profluxit, quod in cœlo à puero profuſum eſt, Galaxiam, id eſt lacteam effecit uiam: quod humi ſparſum eſt, lilium florem lacteo colore nitentem creauit, ob id à noſtris Iunonia Roſa dictũ uidetur. Fecit deinde ob hanc cauſam floris nobilitas, ut regius ab alijs flos diceretur: quoniam nulli florum, ut Plinius inquit, excelſitas maior, trium aliquando cubitorum. Candor eximius, & ab anguſtijs in latitudinem ſe aperiens calathus. Quamuis multa ſint genera Liliorum, quę à Plinio & Theophraſto enumerantur, tamen hic præter candidum & cœruleum Lilium nihil tractabimus, quę apud nos in hortis frequentiora naſcũtur, & certo nomine donata ſunt. Hieronymus Brunſuicenſis nobilis Herbarius, quo nemo exactius de Liliorum generibus ſcripſit, inquit, quòd ubicunq; in Latina lingua Lilium abſolute ponitur, ſemper intelligendum ſit per illud Lilium candidum, quod omnibus notiſſimum eſt. Et quod cœruleum Lilium Iris Latino nomine dicatur, Diuerſo enim colore floret, à cœleſtis arcus ſimilitudine, qui Iris à Græcis dicitur, planta hæc etiam Iris dicta eſt. Nonnulli cœruleum gladiolum appellant, à folijs quæ gladij formam referunt. Radicem habet odoratiſſimam, quam uerno tempore in ſolis umbra ſiccatam, ac minutim conſciſſam in capſis recondere ſolent, ut ueſtimentis gratiam odoris concilient. Eſt & quædam Iris, ut Hermolaus ex Dioſcor. indicat, quæ florem album gerit, quem cœruleo longe odoratiorem eſſe ſcribit.

DESCRI

A

DESCRIPTIO.

Lilium candidum gaudet solo bene stercorato, radicem habet bulbosam cum multis adnatis ad semperuiui similitudinẽ, nisi quòd hoc candidum est. Caulem habet ferè bicubitalem, flores candidos cum quinq; folijs, in quorum medio luteum semen continetur.

TEMPERAMENTVM.

Lilium candidum est calidę & siccæ naturæ. Est autem duorum generum. Vnum quod agreste est, alterum domesticum. Aliud est candidum, aliud cœruleum, quoddam uerò purpureum. Agreste Lilium Iris dicitur, à uario colore quem repręsentat. Natura hominem calfaciunt & extenuant, & præcipuè quæ cœruleis sunt floribus. Ea habent radices nodosas & odoratas. Sunt etiam multa Lilia Agrestia, quę habent folia cœruleis Lilijs similia, coloremq; croci referunt. Sunt etiam eius generis, quę candidis sunt floribus. Hęc semen habent molle. Radicem habent dulcem & digitali crassitudine, Nascuntur sub arboribus & locis umbrosis.

VIRES AC IVVAMENTA.

Lilia cœrulea, quę & Gladioli appellantur, in medio Martij effodienda sunt, & concidenda sunt in paruos orbiculos, & suspendenda, & siccanda. Hæc in uino sumpta mane & uesperi, ualde prosunt, Talis enim potio subuenit asthmati, & facilem reddit excreationem. Natura uisq; omnibus est calefacere extenuareq;, ut Dioscorides testatur. In puluerem redacta, & pro sternutamento naribus admota, multos prauos humores ex capite educunt.

E

Contra hydropem & tumidum aluum, Accipe drachmam Maioranæ, & radicis Iridis drachmam, Ellebori albi pondere decem granorum, florum uiolarum semidrachmam, hæc contusa inuicem permisce, & in iusculo pysorum assume, hoc hydropem & alias quasq; ægritudines, quæ corpori diu inhæserunt, fortiter repellit.

Lilium candidum & domesticum est temperatæ naturæ, & prę sertim flores.

Oleum Liliorum uehementer prodest aluo illitum, calefacit locos muliebres, & emollit humores ibidem induratos.

Radix cocta & duris apostematibus imposita, ea maturat.

Eadem assata & deinde contusa, atq; aqua rosacea admista, repellit sacros ignes, si assidue imponatur. Eodem modo uulneribus imposita, generat in eis carnem. Aluo mulierum itidem imposita, ad partum eas expurgat.

Radix Liliorum decocta & contusa, axungia porcina, aut oleo oliuarum addito, & apostematibus imposita, optimè ea emollit.

Ex Lilio bonum unguentum conficitur hoc modo: Accipe radicis Liliorum alborum, radicis Brancæ ursinæ, & radicis hibisci

C singulorum quartam partem libræ: hæc prius bene contrita in quatuor mensuris uini, & semilibra olei usq; ad crassitudinem decoquentur, & per linteum colabuntur, deinde modico ceræ addito, inde fiet unguentum.

Hoc circa sinistrum latus lieni indurato illitum, multum opitulatur, ipsum enim emollit, & ingentes dolores inde remouet.

Puluis ex cœruleo Lilio cum aqua rosacea coctus, faciem uenustam reddit, si inde lauetur.

Radix liliorum alborum elixa, & cum oleo rosaceo coacta ac illita, ambustis medetur.

Eadem radix in uino cocta, uinumque illud si bibatur uesperi quando cubitum itur, per inferiora expellit, quicquid noxiorum humorum in corpore fuerit.

Folia uel herba eiusdem subueniunt serpentium morsibus impo sita. Decocta & applicata ardorem extinguunt, cum aceto contri ta & imposita, uulnera sanant.

Succus adiecto melle, aut aceto in æreo uase coquitur, conueni. enti medicamento uetustati ulcerum, & ad recentia uulnera.

Cremata radix, & cum oleo rosarum permista. Vuluam emol. lit, menses ciet. Vlcera cicatrice obducit calida imposita. Cum mel le contrita, neruis præcisis luxatisq; medetur.

D Vitiligines, lepras, furfuresq; faciei itidem exterit, Vlceraq; in capite manantia expurgat.

Faciem emendat & erugat.

Testiculorum inflammationes radix concisa ex aceto, additis Hyoscyami foliis & triticea farina, compescit & sedat.

Contra serpentium morsus, semen utiliter bibitur. Imponuntur preterea sacris ignibus ex aceto concisa, semen & folia.

DE AQVA LILIORVM ALBORVM.

Probatissima eorum est distillatio, quando perfecte sunt matura, tum candida tantum folia ex floribus decerpenda, & circa finem lunij distillanda sunt.

Aqua Liliorum mane ac uesperi singulis uicibus ad ij. uncias pota, facit ad imbecillitatem, & infirmitatem hominis.

Sedat ardorem, qui cor & iecur obsedit, thoracem expurgat ex prauis & superfluis humoribus, abscessum pulmonis discutit.

Itidem, ut ante dictum est, bibita per aliquot dies, subuenit mulieribns ad dolorem uuluæ.

Medetur illis qui loquelam amiserunt, in potu sumpta, eam em restituit. Facit ad aquam intercutem, ulcera, & omnem impuritatem corporis.

Parturientibus fœminis prodest, ut eo citius pariant absq; incommo

A commodo iiij. uncijs uel maiori pondere bibita, remedium præ-
ſtat.

Calculum repellit duabus uncijs ſumpta, fœtum mortuum ex utero pellit, mane ac ueſperi pota. Facit quoq; ad ſuppurationem locorum muliebrium, cum exigua aqua roſacea in potu ſumpta, Prodeſt quoq; ad dolorem, qui circa umbilicum ſentitur, is enim mitigatur. Trahit quoq; menſes. Cum aqua roſacea bibita à mulieribus, nimio fluxu menſium infeſtatis, illis fluxum leniter ſiſtit.

Oculis inſtillata doloribus eorum medetur, calorem & rubo-rem ex eis tollit, prohibet ſuppurationem eorum. Si facies, manus atq; corpus hac aqua fuerint lota, ea reddit uenuſta atq; nitida, rugas & maculas corporis pellit, atq; etiam herpetem miliarem, & he ryſipelata.

DE AQVA LILIORVM ET RADICVM.

Folia & radices liliorum alborum eodem pondere, & in multa quantitate inuicem conciduntur, & diſtillantur eodem tempore quod ſupra indicatum eſt.

Aqua illa auxiliatur paralyticis membris ex ea confricatis, ſanat recentia uulnera, ſi inde lauentur, morſus ſerpentium curat, ſiſtit profluuium ſanguinis uulnerum, ſi ex ea lota fuerint, uel ſi lineis pannis aqua impoſita fuerit.

Vitiligines, lepras & furfures facici abſtergit, ſi facies ea lauetur, uel ea imponatur. Ambuſtis medetur.

DE AQVA RADICVM LILIORVM alborum.

Hæc aqua ex radicibus tantum diſtillatur, tempore iam ſuprà prædicto.

Aqua hæc facit ad inflammationem & intemperiem uulneris, ſi inde lauetur, refrigerat & ſanat.

Cum melle permiſta, ſanat omnes puſtulas oris, exulcerationem oris, & putridam gingiuam, ore ſæpius inde colluto.

Rugas facici pellit, pruritum & ſcabiem compeſcit, ſi cum ea lauentur, oculis indita claritatem eis inducit.

DE AQVA LILIORVM COERVleorum.

Tempus electum colligendi & diſtillandi iſta Lilia eſt in fine Maij, cum perfecte ſunt matura, tum flores duntaxat in Balneo Mariæ diſtillari debent.

Aqua hæc mane & ueſperi ſingulis uicibus ij. aut tribus uncijs bibita, facit ad quæcunq; genera febrium, ſuccurrit hydropi, iecur expurgat atq; aperit, omnem interiorem & exteriorem tumorem

C fedat, in potu ſumpta, uel lineis pannis impoſita.

Eadem pota tollit dolorem uentris, colicam paſſionem.

Sanat omnia uulnera, ſi inde lota fuerint, præterea cancrum & morbum, qui uocatur, noli me tangere, eſt ulcus uicinas partes exedens.

Mamillas uitioſas ſanat, quę putreſcunt & degenerant in cancrum, linteolis impoſita.

Lutea capillamenta, quę in hiſce Lilijs ſunt, etiam ſeparatim diſtillantur. Ea aqua pota reſtituit loquelam amiſſam, & refocillat cor.

DE AQVA EX RADICIBVS LILIORUM cœruleorum.

Ea aqua in Martio diſtillata & pota, tumorem reprimit, aquam intercutem diſcutit, aperit iecur, emollit thoracem, pulmonem expurgat, laxat atq; concoquit craſſum Phlegma, auxiliatur contra Colicam, expellit uenenum, medetur febribus, menſes mouet, dolorem locorum muliebrium ſedat, & puncturam lateris mitigat, ſuccurrit ſtranguriæ.

Ore ex ea colluto dolorem dentium ſedat.

Sanat morſus uenenatorum linteolis impoſita, purgat putrida ulcera atq; uulnera, abſtergit omnem immunditiam cutis, ſi inde lauetur, repellit maculas oculorum, extrahit omnia oſſa fracta ſpinas & quicquid in uulneribus noxium eſt, linteolis impoſita.

D Facit renaſci crines, ſi caput glabrum inde lauetur.

DE LILIO CONVALLIVM.

NOMENCLATVRAE.

Lilium conuallium.

Mayblůmen.

ANNO.

A

ANNOTATIO IN LILIVM CONVALLIVM.

LILIVM conuallium, seu Lilium conuallis flos est odoratissimus, & electus uerno tempore in syluis, & potissimum in uallibus & recessibus collium crescens, unde & nomen ei inditum est. Antiquis quantum opinor Herbarum scriptoribus incognitum fuit, quemadmodum & flos ille odoratissimus & purpurens quem Caryophyllon nominant, præstantissimi sane & magnæ efficatiæ ambo in re medica flores sunt, uerum quo nomine Dioscorides, uel Plinius utrumq; florem appellauerit, medicis adhuc nondum compertum est. Ottho Brunsfelsius credit esse genus liliorum, & uocat ipsum Lilium syluestre, aitque se hoc conijcere partim ex Theophrasti liliorum partitione, partim ex Marcelli Vergilij annotationibus.

DESCRIPTIO.

Lilium conuallium herba est ex duobus folijs, in medio habens gracilem cauliculum, in quo ferè candidi flosculi pendent iucundo odore. Radicem intra terram habet albam foris intortam. Gaudet locis humidis, uideturq; in uere.

TEMPERAMENTVM.

B Lilium conuallium refrigerat atq; humectat secundo ordine. Flores sunt efficaciores herba, & radix flores uirtute superat.

VINVM LILII CONVALLIS sic parato.

Flores eius per quatuor hebdomadas in uino macerato, deinde uinum percolato, & distillato ipsum quinquies per metam distillatoriam. Hoc uinum præciosius est auro. Si quis hoc uino cum sex granis piperis, & modico aquæ Lauendulæ usus fuerit, nihil est quod isto mense Apoplexiam metuat.

Ottho Brunsfelsius confectionem illius uini hoc modo docet. Recipe uini ueteris optimi atq; pleniſſimi mensuram unam, florum Lilij conuallis lib. unam, quos cum indideris uitreo uasi, in sole excoquito diebus 40. Vbi insolaueris, per Alembicum extrahito, semel & iterum. Extracto liquore, adde aquæ Lauendulæ modicum, piperis triti tantundem. Nihil hoc uino prȩciosius. Nam cerebrum confortat, Apoplexiam prohibet, Colicum dolorem sedat, si quis cocleare unum eius uini biberit. Itidem prodest, si quis apostema posteriori parte cerebri habuerit. Hoc uinum etiam bonam memoriam, & mentem facit, si quis occipiti & fronti illinat.

C VIRES AC IVVAMENTA.

Lilium conuallium corroborat cor, cerebrum, hepar, cæteraq; ſpiritualia membra, ut uocant, unde exhibetur cardiacis, uertigine correptis, epilepticis, apopleticis, phreniticis, & cerebro in ſyncopem procliuibus.

Item his qui patiuntur tremorem cordis, & punctiones præcordiorum, quibus membra quoq; tremunt. Compertum eſt etiam, incipienti lepræ meatus occludere, ne latius ſerpat malum.

Scabiem & impetiginem reprimit, illitum: idq; ſi uicibus aliquot facias cum illius aqua.

Venenoſorum animalium & aculeatorum ictus retundit, ne extuberent: ueluti ſunt ueſparum, araneorum, apum, & id genus cæterorum, ſi illinatur.

Partus accelerat, & menſtrua: ſed remiſſius, adeoq; ſine negocio.

Ocularij medici ad oculorum inflammationem & caligines, eo utuntur.

DE AQVA LILII CONVALLIS.

Flores tantum in medio ueris diſtillantur.

Aqua eius ad ſex uncias pota, ſubuenit illis qui uenenum in cibo ſumpſerint.

D Prodeſt etiam ad morſum rabidi canis, pellit partum, cerebrum confortat, atq; etiam cor & ſenſus, tollit morbum comitialem per 40. dies pota.

Facit ad ſyncopem, prodeſtq; ei quem loquela deſtituit, mulieribus lactis copiam reducit.

Eadem pota medetur ſtrangurię, facit ad punctionem circa cor, ad inflammationem iocineris.

Opitulatur mulieribus ad immoderatum profluuium menſtruorum.

Prodeſt ad ictum aranei, ſi linteolum in ea madefactum imponatur. Oculorum caliginem diſcutit inſtillata.

Hereſypelata refrigerat impoſita.

Si cui membra uel caput tremunt. Ille prius ſe purè lauet & ſiccet, poſtea uerò hanc aquam illinat, & ſinat per ſe ſiccari, opitulatur, ſi hoc mane & ueſperi ſæpius fiat. Repellit quoq; dolorem genitalium linteolis applicata.

DE LINARIA.

NOMEN.

A

NOMENCLATVRAE.

Οσύγις.

Linaria.
Pseudolinum.
Esula adulterina.
Herba urinalis.

Flachß kraut.
Lein kraut.
Wilde wolfs milch.
Vnser Frawen
Flachß.

B

ANNOTATIO IN LINARIAM.

LINARIA dicitur hæc herba, quòd Lini formam repræsentat. Apud Dioscoridem Osyris Græce appellatur, ut Ruellius & Cordus testantur. Hieronymus Herbarius scribit, Linariam esse ueram herbam urinalem, uerum uulgares Herbarij, eas quasi duas diuersas herbas disiungunt. De hacre uide plura in Herba Vrinali.

DESCRIPTIO.

Linaria forma & colore Esulæ similis est, nisi quòd Esula lacteum liquorem præbet. Linaria uerò minimè. Vnde carmen quoddam sibi finxere. Esula lactescit: sine lacte Linaria crescit.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat atq; humectat in secundo ordine. Habet uirtutem dissoluendi & penetrandi: uiridis melior est quàm sicca.

Succus Linariæ, & succus Pimpinellæ simul permisti, atq; ad herysypelata si imponantur, statim ea repellunt.

Idem si cancro imponatur, consumit ipsum, in quacunq; parte corporis etiam fuerit.

DE AQVA LINARIAE.

Optimum tempus distillationis eius est, ut herba ipsa cum caulibus simul concisa, in fine Maij distilletur.

Aqua

C A qua Linariæ hydropico ad vi. uel viij. uncias potui data, & deinde medius cortex ex radice Ebuli comesta, tũ mensuram unam atq; alteram absq; intermissione mingit, hoc remedio tam diu utetur donec sanitati fuerit restitutus.

Prodest rubentibus oculis mane ac uesperi indita, calidis apostematibus imposita, ea refrigerat.

Herba ipsa & aqua Linariæ in uirtute istis assimilantur, quę cancrum & mala ulcera sanant.

DE LINO.

D

NOMENCLATVRAE.

Λίνον.
Λινοκάλαμος.
Λίνον ἄγριον.

Linum.

Leinsamen.
Flachs.

ANNOTATIO IN LINVM.

LINVM omnibus notissimum est, ita etiam à Græcis appellatur. Semen eius Linospermon uocatur. Herba cannabis modo tunditur in Lanę mollitiem, ad linteorum texturas, Seritur sabulosis locis maximè unoq; sulco, nec magis festinat: aliud Vere satum çsta te uellitur. Nonnullis placet macro solo quàm spississimum semen eius cõmitti, quo tenue Linum proueniat. Obesse solo uirus Lini, quia sit feruidę naturę, ait Tremellius, quod etiam Vergilius significat dicendo:

Vrit enim lini campum seges, urit auenæ,
Vrunt letheo perfusa papauera somno.

Arachne mulier ipsum Lini usum reperit. Maturitas eius duobus argumentis intelligitur, intumescente semine, uel flauescente colore. Linum suis utilitatibus omnes herbas superat, adeo ut de laudibus eius totum uolumen conscribi possit, ut Plinius inquit, qui in

præfatione

A Præfatione libri decimi noni, egregio sanè encomio Linum exornauit.

DESCRIPTIO.

Linum est herba gracilibus cauliculis, foliis paruis,& usq; ad cacumen acutis,cœruleis foliis. Cum intumescit, perdit herbam & flores, & acquirit nodum in summo, in quo semen continetur latum,tenue & acutum,spadiceo uel flauo colore.

TEMPERAMENTVM.

Semen Lini est calidum ferè in primo ordine, & humiditate,& ariditate,ferè in medio constituitur.

VIRES AC IVVAMENTA.

Easdem quas fœnogræcum uires habet. Si quis semen comederit,ille intumescit per totum corpus, Habet semen uirtutem extenuandi,& proritandi urinam,& ducendi menstrua,si emplastrum ex eo factum uentri imponatur. Vsurpatur semen Lini in clysteribus tanquam fœnogræcum.

Semen Lini super carbones proiectum, & combustum fumum bonum emittit, qui naribus attractus, catharro medetur, eodem suffitu etiam suffocatio,& dolor uuluæ tollitur.

In aqua decoctum, & immaturis apostematibus impositum, ea consumit & maturat,ac præsertim parotidas.

B Folia Lini maturo apostemati imposita, statim illud excauant, ut non opus sit illud aperire uel rumpere.

Qui laborat dolore lateris,Lini semen in aqua coquat,& lineum pannum in ea madefaciat,& ita calidum lateri imponat,tum dolor sedatur.

Ambusta igni si quis curare uelit,decoquat semen in aqua,& linteolum in ea intingat,atq; imponat,tum prodest.

Cum melle & oleo in exigua aqua decoctum, omnes intus foriscque inflammationes discutit & mollit.

Illitum cũ nitro & ficulneo cinere parotidas duritiasq; discutit. Purgat in uino decoctũ, quæ serpunt,& ulcera quos fauos dicunt, uitia cutis in facie exterit.

Cum melle in eclegmate sumptum, pectus excreatione purgat, tussim lenit,& uenerem stimulat,præsertim si parũ contusi Piperis admisceatur.

Ad omnia uitia locorum muliebrium, & aliorum intestinorum & in colica passione semen Lini,& oleum eius absq; noxia, usurpare possumus,partim clysteribus,partim emplastris imponendis,& id genus similibus.

Vngues scabros pellit,cum pari nasturtio, & melle.

Decoctio seminis Lini miscetur cum oleo,& fit inde clyster ulceribus intestinorum,& confert magnificẽ. LINI

C LINI NOCVMENTA EX GALENO
lib.1.de alimentis cap.27.

Est autem malũ stomacho,& difficulter concoquitur,præterea frictum,uentrem uehementer sistit: & urit agrum in quo seritur deteriorémq; ipsum facit.

DE LINGVA AVIS.

NOMENCLATVRAE.

Lingua auis.
Semen fraxini.
Vogel Zung.

ANNOTATIO IN LINGVAM AVIS.

LINGVA auis herba est apud Arabes medicos,in frequentiori usu,quæ etiam in officinis multas ingreditur compositiones. Quidam ex Arabibus appellant, eam semen Fraxini. Quidam dicunt essẽ herbam satis uulgarem, quæ folia habet parua, acuta, & similia Linguæ auis, quę uiridis multæ efficatiæ est. Quomodo apud ueteres autores appelletur, nondum est exploratum.

Huius plantæ folia,foliis amygdalæ sunt similia,& acuta ad Linguæ auis similitudinem.

D

TEMPERAMENTVM.

Calẽfacit hæc herba & humectat,temperatę caliditatis & humiditatis in primo gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Vinum in quo hæc herba decocta fuerit, inducit naturalem appetentiam,tollit Melancholiam, Pellit tremorem cordis, & auget genituram hominis.

DE AQVA LINGVAE AVIS.

Destillatio eius fit circa finem Maij.

Hęc aqua per diem bis & singulis uicibus tribus uncijs pota,mouet lotium,uenerem excitat,lętificat,pellit Melancholiam,facit ad lienem & dolorem lateris.

DE LIQVIRITIA, QVAM DVLCEM RADICEM LATINI APPELLANT.

NOMENCLATVRAE.

γλυκυῤῥίζα.
Glycyrrhiza. Dulcis radix. Liquiritia.
Süß holtz.

A

ANNOTATIO IN GLYCIRRHIZAM.

GLYCYRRHIZA notiſſima radix eſt, quæ pluribus locis in Italia naſcitur, in Cappadocia tamen & Ponto laudatiſſima. A Græcis Glycyrrhiza dicitur, à Celſo plurimiſq; Latinorũ, Dulcis radix appellatur. Theophraſti tempore, nondum erat in uſu, fortè hoc nomen Glycyrrhiza, propterea Scythicam radicem appellauit, nono de plantarum hiſtoria, quoniam in Scythia plurimum proueniat. Pharmacopolæ Liquiritiam eam uocant. Duo ex ipſa ſeruanda ſunt ad uſum medicum, radix ſcilicet, & ſuccus ex ipſa radice expreſſus.

DESCRIPTIO.

Glycyrrhiza frutex eſt bicubitalibus ramis, folia habens denſa & pinguia, tactuq; glutinoſa. Florem fert Hyacintho ſimilem colore. Semen habet latum & rubicundum. Radices illi ſunt longæ, buxeo colore, Gentianæ modo, ſapore dulciſſimo. Gaudet dulcibus, pinguibus, & cultis locis.

TEMPERAMENTVM.

Glycyrrhiza, ut Ægineta docet, tepidi humidiq; temperamenti eſt, alicuius etiam adſtrictionis particeps.

VIRES AC IVVAMENTA.

B Succus ex radice multis rebus conducit, ciuſq; in medicina uſus eſt, ſimiliter & radicis.

Succus Glycyrrhizæ melior eſt ipſo ligno. Virtutem habet temperandi calorem hominis.

Succus hoc modo paratur: Glycyrrhizam uiridem & bene contuſam in aqua decoques, deinde eam exprimes, ita ut idem ſuccus ad ſolem poſitus ſiccetur, poſtea in rotundam ollam indes, tum ſuccus eſt paratus.

Glycyrrhiza ſedat ſitim, in ore manducata. Tollit dolorem renum, & etiam ueſicæ, ciet urinam, trahit menſtrua.

Contuſa & tumori impoſita, ipſum ſtatim repellit.

Succus in ore retentus, & parum deglutitus, fauces exaſperatas leuigat.

Succus quoq; tollit ſtomachi tumorem.

Radix uſurpata, pellit ueſicæ uitia.

Glycyrrhiza emollit & educit omnem humorem durum & glutinoſum in corpore, per urinam.

Idem præſtat & ſuccus, qui etiam operando confortat. Conducit ad omnia uitia pectoris in aqua decocta & bibita.

Facit ad apoſtema pectoris uel pulmonis, ſi ea quis utatur.

Item hæc ſequens potio contra apoſtema thoracis, & pulmonis utiliter ſumitur. Recipe ix. Ficus, Dulcis radicis ℥. uncias, uuarum

C passarum, feminis anisi, fœniculi, singulorum unciam unam. hyssopi manipulum, hæc crasso modo contusa, in quatuor mensuris aquæ decoquentur usq; ad tertias, deinde percolata saccharo edulcanda sunt, tum inde potio fit, quæ singulis uicibus sumenda est tepida ad mensuram dimidiati uitrei poculi.

Puluis ex Dulci radice uulneribus insperſus, ea sanat, confert pulmonarijs, apostematibus pectoris, suspiriosis, sanguinem excreantibus, & cuiuis raucedini, medetur Phthisicis.

Succus prodest æstuanti stomacho: pectoris uitijs & iecoris: uesicæ itidem scabritijs, renumq; cum urinæ malo aliquo doloribus, in quos usus cum passo bibitur.

Siccata radix, & in puluerem trita, oculorum pterygijs utiliter inspergitur.

Qui ægre & ardore quodam urinam reddunt, sæpius utentur Dulci radice in aqua uel uino decocta.

Idem melius præstat dulcis radix in lacte caprina elixa.

DE LVPINO.

NOMENCLATVRAE.

D βέρμος.

Lupinus.
Lupinum.

Feig Bonen.

ANNOTATIO IN LVPINVM.

LVPINVS genus leguminis est magna amaritudine præditum, unde & tristes Lupinos Vergilius cecinit, id est amaros, ut Seruius interpretatur. Dicitur autem Lupinus, quòd non minus terram appetat, uoraxq; illius sit, quàm lupus: & tellurem adeo amat, ut quamuis frutetoso solo coniectum inter folia uepresq;, ad terram tamen radice perueniat. Lupini satio terras lætiores facit, ut Platina testatur: ubi caule surrexit, ac florem emisit, ad solem continuò Heliotropij more uertitur. Hoc uice clepsydræ nubilo cœlo rustici utuntur. Nullo impendio constat Lupinus, neq; enim sationem, aut runcationem exigit. Primus omnium seritur, ultimus tollitur, utrunq; ferè Septembri mense, ter in anno floret, lectum recondi ad fumum amat. Galenus lib. 1. de aliment. facult. inquit, Lupinum πολύχρηστον, id est multi usus esse nouimus, de eo quòd multis corporis affectibus accommodatur. In medicina magis quàm in cibo ob

amaritudinem

A amaritudinem usurpatur. Aiunt tamen maceratum in aqua marina uel fluuiali triduo dulcescere, & ita siccatum ad usus recondi, homini & quadrupedum generi in cibo esse, Quod & Galenus testatur cum inquit, Lupinus edi potest coctus, multis antè diebus per macerationem amaritudine in aqua depositа.

Lupinus duplex est. Satiuus scilicet & Syluestris. Syluestres Lupini candida habent folia. Satiui foliis non adeo albicant.

TEMPERAMENTVM.

Lupini uis calida est & sicca, abstergit, dissipat, & sine morsu desiccat, ut Æginеta inquit.

Lupinus in cibo sumptus crassos generat humores. Idem manducatus lumbricos expellit.

VIRES AC IVVAMENTA.

Impositus etiam puerorum uentribus contra lumbricos pro medicamento habetur.

Decoctū quoq; eius lumbricos eiicere potest, ut Galenus scribit.

Purgant hominem qui infectus est malis humoribus, & praua scabie, si inde lauetur.

Decoctum eorum cum ruta, & pipere permistum ac potum, facit ad obstructionem iocineris, & lienem inflatū. Fouentur eodem
B decocto etiam utiliter Gangrænæ: incipientes scabies, uitiligines, papularum eruptiones, manantia capitis ulcera, & cutis uitia.

Idem decoctum fœtus & menses trahit, additis myrrha & melle, fœminisq; emplastri modo subditum.

Lupinus cum solatro decoctus in uino, & bibitus suspiriosis medetur. Idem uitia iecoris emendat. Itidem sumptus pellit calorem, & emollit uentrem.

Herba cum solatro elixa, & emplastri modo lieni imposita, bene prodest, & tumorem discutit.

Hoc idem auribus inditum, saniem expurgat, & fluxū prohibet.

Ad tormina intestinorum & uentos, Lupinos in farinam conterе, & admisce semen fœniculi, uel succum ligustici, & hoc ad obsonij modum para, & calidum comede, uitiosis intestinis succurrit, & flatus discutit.

Lupinus in puluerē redactus, & marisсis impositus eas expellit.

Ad colicam passionem Lupinos in aqua macera, & deinde eos manduca, tum remedium adferunt.

Finis Literæ L.

DE HERBIS, CAETERISQVE DE MACE.

NOMENCLATVRAE.

Μακίς.

Macis.
Macer.

Muſcaten Blümen.

ANNOTATIO IN MACEM.

MACER, Plinio, Dioſcoridi & Galeno cortex eſt rubẽs, radicis magnæ, nomine arboris ſuæ. Conuehitur ex India, guſtu acerbo, & cum quadam acrimonia, iocundè odorato, ut Galenus inquit. Recentioribus Macis dicitur, qui affirmant, non radicis, ſed nucis myriſticæ ac odoratę, ſuperiorem corticem eſſe: idq; uero propius eſt, & planè ita modò cernitur. Quippe Nux myriſtica corticem habet, ueluti tenellum iuglandis putamen, quo tegitur. Supra hunc corticem cortex alter uilitur, qui totam nucem non tegit, ſed ueluti cancellus per nucem diſcurrit, quamuis in aliquibus, ſed raris tegat, qui eſt ſubruffus, &
D Macis appellatur, ut Antonius Muſa, Hermolaus Barbarus, & Ruellius pro certo affirmant.

Macis cortex eſt ex nuce myriſtica, quam Muſcatam appellant, proueniens. Probatur Macis ſubruffum colorem habens, nigricans enim nullius eſt precij.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; deſiccat in ſecundo ordine:

VIRES AC IVVAMENTA.

Qui alui profluuio laborant, illis auxiliatur ſi utantur.
Confortat ſtomachum atq; cor. Durant Maces nouem annis ſyn ceris uiribus. Virtutem habent confortandi, incidendi, & conſumendi omnes malos humores.

Si cui ſtomachus ex frigore uitium contraxit, utatur Mace, & ex eo bibat, tum remedio erit.

Confice emplaſtrum ex Mace ad ſtomachum, hoc modo: Macis duas uncias in puluerem redige, admiſce maſtichis unciã unam, olei roſarum ſemiunciam, Ceruſſæ iij. drachmas, adde tantum ceræ, ut emplaſtrum fiat, quod ſtomacho foris impone, hoc ipſum confortat, & concoctionem adiuuat.

Contra tremorem cordis Mace uteris.

A

DE MAIORANA.

NOMENCLATVRAE.

Σάμψυχος.
Τρίφυλλος.
Ἀμάρακος.

Sampſuchus.
Amaracus.
Maiorana.

Meyoran.

ANNOTATIO IN MAIORANAM.

MAIORANA herba eſt odorata, quę apud Dioſcoridem & Plinium Sampſucus, & Amaracus appellatur. Fuit autem Amaracus Cynare regis Cypri puer, qui caſu lapſus, dum ferret unguenta, fregit alabaſtrum. Deinde quum nimio dolore contabuiſſet, uerſus eſt in Sampſucum, quæ ex eius nomine Amaracus cœpta eſt appellari. Vergilius 2. Aeneidos ait: Vbi mollis Amaracus illum Floribus & dulci aſpirans complectitur umbra. Hinc fit oleum & unguentum, quod Amaricinum uocatur, ad excalfaciendos atq; emolliendos neruos utile. Quamuis Amaracus à Galeno pro alia herba, nimirum pro Matricaria ponatur, tamen ab alijs antiquis Herbarum ſcriptoribus Maiorana Amaracus uocatur. Seritur utroq; modo, ſemine & ſurculo, ſed hæc uiuatior, & odore melior, ut Platina ait. Maiorana præſtantiſſima eſt herba, quæ ſi ex Arabia, & alijs longinquis regionibus adueheretur in Germaniam, tam precioſa eſſet, quàm Mulcus uel Crocus eſt, uerum quũ apud nos paſſim in hortis creſcit, nihil ęſtimatur: utuntur ea tantum pro ornamento hortorum, quum remedio opus habemus: quærimus exotica, & noſtrates herbas, quę idem multo melius præſtare poſſent, negligimus, ita nos Germani dementia ſumus obcœcati.

B

Maiorana caulibus eſt fruticoſis & lignoſis, qui multis foliolis duris & odoratis abundant, floret uiridibus nodis, in quibus ſunt teneri & albicantes floſculi. Semen nigrum habet. Gaudet inueterato fimo, ſi in eo plantetur in hortis. In locis humidis & opacis magnitudinem acquirit & pinguior fit, in locis uerò apricis fit breuior & criſpa.

TEMPERAMENTVM.

C Maiorana calfacit atq; ficcat in ſecundo gradu. Galenus inquit, Sampſuchus tenuium eſt partium, & digerentis eſt facultatis: deſiccat enim & excalfacit ordine tertio.

VIRES AC IVVAMENTA.

Oleum Maioranæ, quod amaricinum uocatur, habet uirtutem calefaciendi tam interiores quàm exteriores articulos & neruos.

Succus eius ſanguini concreto uel mortuo illitus, ipſum diſſoluit.

Maiorana in lixiuio elixa, & caput inde lauctur, ingentes dolores capitis ſedat.

Prodeſt cerebro Maiorana, aperit obſtructionẽ membrorum, tollit Apoplexiam & Epilepſiam.

Arida folia Maioranæ in puluerem contrita, & ex melle illita, ſugillata tollunt.

Oleum Amaricinum calefacit locos muliebres. Prodeſt uſurpatum, contra omnes frigidos affectus, confortat cerebrũ, & omnia membra corporis.

Herba hęc magnam uirtutem habet calefaciendi interiora, emollit lienem, tumorem eius diſcutit.

Bibitur decoctum eius contra incipientes cutem ſubire aquas, urinæ anguſtias, & tormina.

D Maiorana calefacit ſtomachum, concoctionem adiuuat, unde & Tabem remouet.

Flores & herba, ſi in ſacculo ſtomacho imponantur, dolorem illius tollunt.

Maiora in puluerem contrita, & naribus indita, purgat & calefacit caput, ita uſurpata quibuslibet conducit.

Vapor ex decocto eius ab inferiori parte, à mulieribus exceptus, purgat matricem.

Menſes ſubdita in peſſo trahit.

Cum aceto & ſale contuſa, contra ſcorpionis ictum illinitur.

Cum cera coacta emplaſtri modo luxatis imponitur, & contra tumores atq; dolores.

Illinitur præterea cum polenta contrà oculorum inflammationem, eorumq; tumores eodem modo.

Decoctum eius naribus attractum, confortat cerebrum ipſum, ab humoribus frigidis purgando, & præſeruat ab Epilepſia.

Maiorana cibo indita, eius ſaporem commendat, ſaluberrima eſt lieni tumido, in cibo uel potu ſumpta, atq; etiam foris applicata.

Puluis ex Maiorana cum modico Gingiberis, naribus inditus, mouet ſternutamenta, & reſoluit catharrum.

A

DE AQVA MAIORANA.

Folia ex caulibus decerpta in fine Maij distillantur.

Aqua Maioranæ opitulatur capiti refrigerato, mane ac uesperi cribus uncijs pota,& capiti illita.

Itidem bibita urinam mouet & Lithiasin, confortat atq; calefacit matricem refrigeratam, menses trahit, pellit quoq; albū fluxum mulierum.

Eodem modo in potu sumpta, prodest contra Apoplexiam, loquelam amissam reducit, sępius in ore retenta, memoriam emendat, confortat cerebrum, pota, ac etiam illita occipitio.

Resoluit eadem pota omnem tenacem, & glutinosam materiam, circa pectus detentam: corroborat & confirmat quoq; cor.

Destillationibus capitis medetur, pellit catharrum.

DE MALIS SYLVESTRIBVS.

NOMENCLATVRAE.

B

Ἀγριομηλα.

Mala syluestria.
Mala matiana.

Holtz öpffel.

ANNOTATIO IN MALA SYLVESTRIA.

SYLVESTRIA Mala sunt, ut Vergil. Marcellus ait, quæ Theocritus in Bucolicis suis ὀρεσμηλίδας, id est montana Mala appellat. Syluestria mala odore acutiora, sed improba & acerba, ob id & conuitio dicata: ijs tanta uis, ut aciem gladiorum perstringant, Syluestria, ut Dioscorides inquit, uernis similia, adstringunt: oportetque in his quæ adstringenda sunt, acerbis uti malis omnibus. Quidam Mala Matiana ea appellant, nomine satis ignoto, fortassis inde sic dicta: quòd circa Matianā regionem, quę est in Media, uel etiam Matianum lacum frequentissima nascantur. A nonnullis Sorba appellantur, uerum, ut Cordus indicat, Sorbum longe aliud genus eorum est, quod in Italia quemadmodum hic matura ac mollia mespila, editur.

TEMPERAMENTVM.

Mala syluestria cū nondum ad plenam maturitatem uenerunt, natura magis adstringunt, quàm cū matura sunt, cor confortant, frigida & humida sunt.

C

DE AQVA MALORVM SYLVESTRIVM.

Tempus distillationis eorum est in fine Octobris, tum contusa in Balneo Mariæ sunt distillanda.

Aqua illa mane, meridie ac uesperi singulis uicibus ad iij. uncias pota, est preciosissima aqua contra intestinorum tormina.

Itidem sumpta prodest dysenteriæ, medetur calculo, purgat renes atq; uesicam.

Aqua ex immaturis malis syluestribus circa diem S. Ioannis distillata, ualde confert ad inflatam faciē, si inde illinatur, & sua sponte iterum siccetur.

DE MALVA.

D

NOMENCLATVRAE.

Μαλάχη ἀνθέμα.

Malua. Malua minor. Lien capræ. Muris urina. Pappelen.

ANNOTATIO IN MALVAM.

MALVAM Græci Μαλάχην, à molliendo uentre uocauere. Ea enim utebantur antiqui, etiam in acetarijs cum lactuca ad soluendam aluum, Vnde Martialis:

Vtere lactucis, aut mollibus uere Maluis. Idem.

Exoneraturas uentrem mihi uillica Maluas
Attulit, & uarias, quas habet hortus, opes.

Et nos quoque hodie maluarum decocto uti solemus in clysteribus, ad aluum ciendam & urinas.

Folia maluarum, ut Theophrastus tradit, solis iter sequuntur, incuruaq;

A incuruaq; cum eo pergunt ad occasum, ita ut ad eum semper spectent. Prodigiosum naturę miraculum, ut herbæ nubilo die delitescentem solem prodant, & obiecta nube uelut indices curriculi, certam celati syderis sedem foliorũ statu conuersionęq; demonstrent, imò uerius solarij uicem exhibeant, ita etiam, ut non aperto sole, horas colligere possimus. Plinius lib. 20. cap. 21. duo eius genera posuit, quæ foliorum amplitudine discernitur. In satiuis maiorem Gręci Malopen, alteram (ab emolliendo aluo, Malachen dixere, Syluestrem, cuius folium grandiusculum est, & albæ radices, quam Althæam, & ab excellentia effectus Aristhalthæam uocare. de hac uide suprà in Althæa. Satiua Malua quondam in hortis ad cibos serebatur, ut ea ratione melioresceret, & cultura iocundiorem saporem referret. Indicantq; hoc Flaccus in Latinis, in Græcis Hesiodus, quotidianum pro olere Maluæ usum fuisse.

DESCRIPTIO.

Maluæ duo sunt genera, Altera rubentia folia: altera uerõ candida habet, formam habent similem, & radices candidas.

TEMPERAMENTVM.

Malua refrigerat & humectat in primo gradu. Ægineta inquit, Malua refrigerat quidem, sed non euidenter, magis autem humectat: unde etiam aluum subducit, idq; propter genuinam eius uiscositatem.

B

VIRES AC IVVAMENTA.

Maluæ folia prosunt contra calida ac dura apostemata, contrita & superposita.

Ad maturandum terantur folia cum recenti axungia porcina, & super tegulam calidam ponantur. Hoc etiam ualet contra duritiem splenis & hepatis. Folia ad hanc rem sumuntur cum uiridia sunt.

Radix efficacior est quàm folia uiridia siue arida.

Radix Maluæ in aqua elixa, & deinde contrita, admixtoq; oui albo & farina hordeacea, calidis abscessibus imposita, eos refrigerat atq; emollit.

Radix & semen leniter molliunt.

Herba etiam cocta cum radice, ferè ad consumptionem aquæ, apparebit quasi quędam uiscositas: quæ superposita apostema maturat, durum relaxat & remollit.

Ex aqua in qua Malua cocta fuerit, addita cera & oleo, fit optimum unguentum ad apostemata inungenda. Recentia folia Maluæ decocta, & uulneribus imposita, ea sanant.

Flores cocti cum aqua mulsa, uel uino, & postea contusa, sanant dura tubera, ut ulcera & strumas.

Tollit

C Tollit dolores sedis,& membrorum conquassatorum,imposita.
Semen cum uino & oleo oliuarum temperatum,pellit omnes maculas faciei,illitum.
Malua cum urina hominis decocta,sanat manantia capitis ulcera,& furfures,si caput inde lauetur.
Sacris ignibus,& ambustis decocta folia,tritaq;, uitilissimè ex oleo imponuntur.
Est Maluæ decocto uis insidentium fœminarum locos fouendo mollire.
Decoctum eius quoq; prodest erosionibus ueficæ, & intestinorum,uuluæ,sediſq;,clysteré infusum.
Ius decoctæ cum radice sua, contra omnia uenena auxiliatur,si continuò à bibentibus reuomatur.
Malua cum fœniculo & anisо elixa ac bibita, mulieribus lactis copiam adfert.
Cum melle contusa,ulcera oris sanat.
Eadem cum saluia contrita,& quotidie imposita,strumas,parotidas,panosq; sanat,citra uulnus.
Radix mammarum uitijs occurrit adalligata in lana nigra. Tussim in lacte cocta,& sorbitionis modo sumpta, quinis diebus emendat.
D Succus Maluæ parturientibus potui datur, & soluit atq; expellit fœtum. Succus Melancholicis datur cyathis ternis tepidus,insanientibus quaternis,redditq; tales homines quietos, Prodest quoque comitialibus. Malua decocta in iusculo gallinarum uel pulli, cum farina hordeacea,usq; ad crassitudinem solidam, deinde contusa cum duorum ouorum uitellis, & oleo uiolarum in quantitate sufficienti,& parum croci,omnia simul miscendo,resoluit,emollit, atq; maturat omnia apostemata Cholerica & calida,& mitigat dolorem membrorum imposita.Fomentum ex aqua decocta circa pedes educit destillationes ex capite.
Elixatur tenellæ Maluæ caulis ablata cyma additis floribus,& cum sale, oleo oliuarum & aceto, ad modum acetarij comeditur, & morbis prædictis auxiliatur.
Ad menstrua prouocanda certum experimentum.
Radix Maluæ ad modum digiti crassa & longa, uel etiam longior,radatur aliquantulum,& superspargatur puluis scammonij,& subdatur,ungatur.tamen prius cum melle si uolueris.
Ferunt hominem omnibus morbis carituru, si qualibet die ex succo Maluę aliquid sorbeat.
Valet hæc herba contra omnes aculeatos ictus, præcipuè uerò scorpionum,uesparum,apum,muris aranei.

Quin &

A Quin & trita cum oleo cutiq; illita, hominem ab iniuria talium beſtiolarum defendit.

DE AQVA MALVAE.

Quando Malua floret, radix unà cum caulibus minutim concidenda erit, & diſtillanda circa principium Maij.

Aqua Maluæ per diem, & circa noctem quater, & ſingulis uicibus iiij. uncijs bibita, auxiliatur punctioni laterali & pleuritidi, purgat uulnera. Eadem ſex, aut octo uncijs pota, mollit & ſubducit aluum, compeſcit dolorem matricis, rumpit & ſanat interiores abſceſſus. Itidem in potu ſumpta tollit dyſenteriam, pellit calculum, dolorem ueſicæ reprimit, purgatq; renes & ueſicam.

Temporibus illita, conciliat ſomnum. Si ea fricentur pedes laborantis calida febre, inducit quietem, & ſedat ſiccitatem.

Parotidas pellit, auribus tepida inſtillata, & foris applicata, & in potu ſumpta. Tenaimo auxiliatur pota, & linteolis aluo impoſita.

Sanat morſus uenenatorum, ſi inde lauentur, & linteolis applicata, pellit ſcabiem & pruritum atq; maculas corporis. Eadem pota peſtis ueneno reſiſtit, & præſeruat ne aliquis corripiatur eo morbo.

Itidem uulnera implet carne impoſita, uel ſi ex ea lota fuerint.

DE AQVA FLORVM Maluæ.

Aqua hæc mane, meridie ac ueſperi ſingulis uicibus iiij. uncijs bibita, facit ad tormina inteſtinorū, calefacit & lenit.

B

DE MALVA MAIORE.

NOMENCLATVRAE.

Μόλοχη.
Malua ſatiua maior.
Malua hortenſis.
Malua Romana.
Malua tranſmarina.
Ertn Roſen.
Winter Roſen.
Römiſch Pappelen.

ANNO.

ANNOTATIO IN MAIOREM MALVAM.

C MALVA maior est, ut Ruellius, & Doctor Hieronymus Bock scribunt, quam Germani **Ern Rosen & Winter Rosen** à tempore appellant, quia à tempore messis usq; ad hyemem flores gerit rosis similes, flores ij minus quàm rosæ fugaces, diúq; uigor & uita durat. Hæc Rosa apud ueteres Græcos μόλοχη appellata fuit, cuius folia cum sole circumagi Columella tradit, ubi inquit: Et moloche prono sequitur quæ uertice solem. Romani Maluam sativam ac Maluam hortensem eam quoq; appellant. Quidam Maluam Romanam uocant. Vulgus pulchritudinem eius demirans Rosam transmarinam cœpit appellare. Nemo non hanc hortis suis serit.

DESCRIPTIO.

Malua maior ac sativa, ut Ruellius ex Theophastro probat, sæpe grandescit in arborem & baculi usum præbet, foliis amplis, circinatæ rotunditatis, rarioribus in ambitu segmentis. Caudex simplex, luxuriosæ proceritatis attollitur, à medio ferè ad uerticem pulcherrimis floribus decoratus, breui admodum pediculo dependentibus, qui uenustate rosis non cedunt, & si supperetet odor, de principatu certarent, cum nec colore superantur, purpureo uermiculatóue, nec etiam interdum candido, odore tantum uinci constat.

D Vicissim è maluaceo caule funduntur Rosæ, quædam iam patent, quædam nascentibus similes, nunc primum exeunt, aliæ conuolutis adhuc foliorum paniculis nondum dehiscunt. Capitula quædam breuibus innixa petiolis, & leniter in mucronem fastigiata, primum è caule prosiliunt, ijsq; paulatim intumescentibus, prægnantia florum inuolucra fatiscunt, in quibus dehiscentes rosæ sese pandunt, & explicantur in folia, structili quadam serie numerosa, calycibus apices paucos complexis, qui lutei medijs emicant, quibus, decidentibus erumpunt purpurea stamina. His fœtus succrescit, multipliciter tunicatus, atq; in umbilici formam numeroso semine coagmentatus, in quibus cum decussa sunt folia, reliquarum maluarum modo semina recluduntur.

VIRES AC IVVAMENTA.

Malua maior humida constat natura, quemadmodum & aliæ species Maluæ, & ad uarios affectus tam exteriores quàm interiores ualde est accommodata.

Herba, radix, aut semen in lacte, aut uino si decoquantur & in pótu sumantur, sedant calidam tussim, sanant pulmonem exulceratum, Singulare quoq; remedium est contra Phthisim.

Malua maior in uino aut aqua decocta, atq; melle & alumine addito, medetur oris gutturisq; exulcerationi, atq; putredini, si decoctum illud

A ctum illud gargarizetur, & aliquandiu in ore contineatur.

DE AQVA MALVAE MAIORIS.

Aqua destillata ex Rosis Maluę maioris ualde probata est contra oris aphtas,& contra omnes tam exteriores quàm interiores calores,medetur sacris ignibus & gutturis ulceribus,& omnibus alijs tumoribus,gargarizata,uel linteolis foris applicata.

Eadem sæpius pota,preciosa aqua est,ad omnes interiores calores febrium,refrigerat & emollit omnia pulmonis lateriſq; aposte-mata.

Sanat & mitigat dysenteriam,calidos abscessus locorum mulie-brium,renum atq; uesicæ.

Eandem quoq; habet uirtutem,quã aqua ex alijs speciebus Maluæ destillata.

DE MANDRAGORA.

B

NOMENCLATVRAE.

Μανδραγόρας.
Ανθρωπόμορφον.

Mandragoras.
Mandragora.

Alrun.

ANNOTATIO IN MANDRAGORAM.

MANDRAGORAM quidam Circeam appellant, nomen illi facientes à Circe: quoniam creditur radix eius amatorijs ueneficijs utilis esse. Pythagoras Anthropomorphon eam uocauit, quæ uox humanę formę plantam significat. Vnde agyrtę & circumforanei impostores occasionem arripuerunt, qui radicem humana effigie insignitam circumferunt, & Mandragoram esse testantur. Fingunt autem eam sub patibulo nasci ex urina pendentis furis, & in effodiendo adeo alte clamare hos homunculos, ut obturatis auribus erui oporteat: quod faciunt hac radice canis caudæ adalligata,& plura alia fabulamenta fingunt, quo nummos ab ignara plebe extorqueant. Sunt autem illæ radices ficticiæ,& manu factæ ex cannarum radicibus,humana effigie sculptis, postea plantatis: nascuntur radiculæ paruæ,quæ repręsentant capillos,herbam,pectinis pilos,& ex terra cum colorem acquirunt,ut radix esse uideatur.

C Hieronymus Herbarius inquit, à radice Bryoniæ eas radices fore mari. Columella tamen Mandragoram semi hominem uocat, sed deceptus est, uulgi opinionẽ secutus, uel (quod magis probandum est) ita scripsit, quia eius radix in duas fibras, ueluti in duo crura diuiditur. Vera Mandragora foliis lactucæ fermè est similis, radicem habet magnam, cuius in medicina multus est usus. Baccas fert magnas, & nigras, quas comedentes pastores leni sopore soporantur. Dioscorides duo genera ponit Mandragoræ. Altera quæ candida est, & mas appellatur. Altera nigra, quæ fœmina dicitur.

TEMPERAMENTVM.

Mandragora refrigerat & desiccat in tertio ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radicem eius, si quis comedat, uel ex ea bibat, tam fortem somnum conciliat, ut in urendis, aut secandis ex corpore membris, dolor non sentiatur.

Quidam Mandragoræ radices in uino ad tertias decoquunt, traiectasq; per colum seruant, utentes cyathi unius mensura contra uigilias, & grauissimos dolores in his quos sine doloris sensu secare aut urere uoluerint.

Sopiunt poma etiam in cibo, & naribus olfactu admota. potest idem & eorum succus: uerum largiore utroq; modo, usu uescentes olfactantesue obmutescunt.

D Folia eius contusa ac capiti imposita, scabiem cito curant.

Oleum ex Mandragora conficitur hoc modo: Accipe poma Mandragoræ, atq; ea in oleum oliuarum pone, & in eo per tres, aut quatuor dies macerari sine, deinde oleum illud decoque, ac lineo panno percola.

Hoc oleum temporibus illitum, somnum & quietem conciliat, quando aliquis dormire non potest.

Idem ingentes calores ex homine repellit.

Cortex eius confert ad remedia oculorum.

Cortex trium obulorum pondere pudendis mulierum appositus, menses & fœtus mortuos trahit.

In puluerem contritus cortex, & clystere infusus, somnum & quietem maximè conciliat.

Radix in uino cocta, atq; applicata dolorem membrorum in paralysi ac podagra mitigat.

Succus eius cum lacte mulieris temperatus, ac temporibus eorum, qui in febre acuta dormire nequeunt, illitus, somnum prouocat.

Radix trita ignibus sacris cum aceto, & serpentium ictibus, cum melle aut oleo succurrit.

Strumas

A Strumas panoſq; ex aqua diſſ̃cit, & cum polenta articulorum dolores ſanat.

REMEDIA CONTRA MANDRAGORAM in potu ſumptam, ex Dioſcoride.

Sequuntur hauſtam Mandragoram quàm primum ſopor, languor, & inexpugnabilis ſomni neceſſitas, nihil à morbo qui lethargus dicitur, differens. Proſunt antequam quicquam horum fiat, uomitiones, & à uomitionibus ſtatim mulſa aqua nitrumq;, & abſinthium cum paſſo dulciue uino ſumpta. Roſaceo præterea, & aceto caput inſpergendum excitandumq;, & commouendum corpus. Admouenda itidem quæ olfactu excitent, Eupatorium, piper, ſinape, caſtorium, ruta, omniaq; ex aceto trita.

DE AQVA MANDRAGORAE.

Herbam & radicem contuſam deſtillato in fine Maij.

Aqua Mandragoræ modice ſumpta, uel fronti & temporibus illita, ſomnum conciliat.

Mane ac veſperi tribus aut quatuor diebus fronti, & temporibus illita, ſedat capitis dolores ex calore prouenientes. Extinguit omnes calores linteolis applicata, repellit ita omnes dolores, & apoſtemata.

B

DE MARRVBIO.

NOMENCLATVRAE.

Πράσιον.
φιλόφαξις.

Marrubium.
Praſium.
Ballote.
Marrubium nigrum.
Marrubium ſylueſtre.

Andorn.

ANNOTATIO IN MARRVBIVM.

C MARRVBIVM est quod Græci ob amaritudinem ita uocant, ut Platina scribit, Apud ueteres inter primas herbas numerabatur, fuitq; in maximo nominum honore, quemadmodum multus in medicina etiam usus, præsertimq; in laxandis liene & iecore, curandisq; multis alijs morbis & uitijs. Marrubium, ut Hieronymus Herbarius inquit, Germanis dictum **Andorn**, quòd morbo eius nominis pueris admodum procliui ac familiari auxilio sit. Duplex quidem est: Album quod odore est iucundo, sapore amaro, Aliud uerò nigrum, odore fœtido, & foliis non usq; adeo albis, Græci appellant balotem, nos Marrubium nigrum. Est etiam Marrubium syluestre, quod est genus Syluestris Gallitrici.

DESCRIPTIO.

Marrubij folia sunt pollicis magnitudine, rotunda & hirsuta: Flores & semen diuisa sunt per ramos, estque semen rotundum & acre. Caules habet candidos, asperos & quadrangulos, foliaq; amara. Gaudet rure & arenosis locis, acquirit cœruleum florem in aculeato scapo. Dioscorides inquit, Marrubium nascitur in ruderibus & circa areas domorum.

TEMPERAMENTVM.

Marrubium calefacit atq; desiccat in secundo ordine. Durat
D unum annum, habet naturam dissoluendi ac aperiendi.

VIRES AC IVVAMENTA.

Herbæ huius succus, uel semen in uino cum melle si decoquatur, & potui detur, opitulatur tabidis tussientibus & suspiriosis.

Ad pestem Marrubio uti conuenit, folia eius uel succus linteolo applicari debet. Secundas educit.

Succus in sole siccatus, & melle atq; uino permistus, & oculis illitus, eorum claritatem adiuuat.

Folia cum melle temperata ac illita, sordida purgant ulcera, Laterum dolores mitigant, in uino sumpta.

Succus permistus cum oleo oliuarum, atq; auribus instillatus, dolorem indè pellit.

Marrubium conducit ischiadicis, & uitijs uesicæ.

Contra tussim, Recipe fœniculum, & anethum eodem pondere, & tertiam partem Marrubij adde, atq; in uino decoque, deinde linteo percola, ea potio tussim sedat.

Cui intestina dolent, uel fracta sunt, Marrubium cũ melle in uino decoquat, ea potio frigida sæpius sumpta, optimè prodest.

Cum dulci radice, & semine fœniculi, in uino ad tertias decoctum, atq; percolatum, & cum saccharo edulcatum, prodest contra

uitia inte-

A uitia inteſtinorum,& obſtructionem urinæ.

Marrubij folia ſicca cum ſemine decocta in aqua, aut uiridium ſuccus cum melle temperatus, datur ſuſpirioſis,tuſſientibus & tabidis.

Mulieribus à partu non purgatis datur, ut menſtrua & ſecundas extrahat.

Item in difficili partu,& his qui uenena hauſerunt,aut à ſerpentibus demorſi ſunt,potio prædicta etiam ſumenda eſt.

Ad lumbricos, Accipe Marrubij, Abſinthij, & lupinorum paria pondera,& in aqua mulſa cum uino decoque,& bis aut ter umbilico impone,necat lumbricos.

Ad unamquanq; ſcabiem contunde Marrubium cum axungia, & impone.

Marrubium eſt peculiaris medicina,contra uermes aurium,hydropiſim,diſuriam,& inteſtinorum tormina, aperit oppilationem iecoris atq; lienis.

Ad grauem tuſſim,ut Apuleius docet, Marrubium coques ex aqua,& dabis ei bibere,qui grauiter tuſſiunt,ſanabit mirificè.

Ad condylomata Marrubium combure, eiuſq; cinerem infrica, ſanabit.

Si quis uenenum ſumpſit,herbæ Marrubij ſuccum dabis ex uino
B ueteri:diſcutit nanq; uenenum.

Herbæ Marrubij decocti aqua corpus lauato,ſcabiem diſcutit, & impetiginem tollit.

Ad pulmonis extenſionem, Accipe Marrubium ex melle coctū, mirè ſanabit.

Si quis ab opere laſſus inciderit in languorem, & neruorum habuerit dolorem, marrubij ſucco cum oleo roſaceo permixto perunges eum: ſine mora ſanabitur.

EX IOANNE VIGONIO.

Recipe foliorum praſſij,florum roriſmarini manip.ſemis,dulcis radicis, ſe. petroſelini añ. m.ſ. liquiritiæ mundatæ drach.x. paſſularum,prunorum,iuiubarum ana unc. i. ſe. communium drach. v. de duabus radicibus unc. quatuor cum aqua & parum uini granatorum. Bulliant omnia uſq; ad conſumptionem mediæ partis:deinde colentur,& dulcorentur cum ſaccharo ſufficienti,& ſumat patiens ad quantitatem medij cyathi, quia mirabiliter ſanat colicam & ſtranguriam.

Vinum Marrubij in autumno ex dulci muſto confectum,omnia interiora membra purgat & aperit, quotidie bibitum. Conuenit quoq; uitijs pectoris,& omnibus quibus marrubium.

DE AQVA MARRVBII.

C Tempus deſtillationis eius eſt, ut tota ſubſtantia, radix, caulis & herba inuicem conciſa in fine Maij diſtillentur.

Aqua Marrubij mane ac ueſperi ad ij. uel iij. uncias pota, facit ad tuſſim, difficultatem ſpirandi, excreationem ſanguinis, hydropem, confortat ſtomachum, pectus, pulmonem, iecur, lienem, renes ac ueſicam. Confortat fœtum in utero, à grauidis fœminis duabus uncijs pota. Ingenium & memoriam confortat, & acuit, capiti illita.

Auribus inſtillata dolores earum leuat, purgat & mundat recentia uulnera, mane ac ueſperi inde lota. Sanat quoq; aperta ulcera.

Pota pellit phantaſmata, & mala inſomnia.

Sanat omnes tumores illita.

Et hydropiſi laborantibus ſubuenit, ſi contineant ſe ab humidis, & alia nimia potione.

DE MASTICHE.

D

NOMENCLATVRAE.

Μαστίχη.
Maſtiche.
Maſtix.
Ein weiß Gummi.

ANNOTATIO IN MASTICHEM.

MASTICHE, ut Dioſcorides inquit, eſt reſina quæ ex lentiſco arbore naſcitur. Plurima autem & probatiſſima naſcitur Maſtiche in Chio Inſula, bonitateq; in ea antecedit quæ pellucet, & Tyrrhenæ ceræ candore ſuo ſimilis eſt, craſſa, friabilis & odorata: quæ contrà uiridis, deterior. Adulteratur Maſtiche admiſtis pinea reſina aut thure. Importatur & ex India, quadam ē ſpina, Maſtiche, Item ex Arabia, Galenus in duo genera colligit, nigram & candidam: nigram Aegyptiam: candidam Chiam uocari prodens. A uulgō & Pharmacopolis Maſtix dicitur. Sed Plinius & Dioſcorides Maſtiche nominatiuo caſu dixere.

TEMPERAMENTVM.

Maſtiche probatiſſima eſt, quæ ſplendida & candida eſt. Calefacit & deſiccat in ſecundo ordine. Habet naturam molliendi & digerendi, unde & ſtomacho, iocineri, & aluo quæ ſuperfluo Phlegmate obducta eſt, conducit.

VIRES AC IVVAMENTA.

Duris apoſtematibus prodeſt, emplaſtri modo impoſita.

Oleum

A Oleum Mastiches easdem habet uires: stomacho accommodatum est, multos malos humores attrahit.

Mastiche in aqua decocta, & semine fœniculi admisto pota, concoctionem adiuuat.

Ad dolorem ginginarum, Accipe Mastichen in puluerem redactam, & admisce olybanum, & ei parti maxillæ impone, in qua ginguiæ dolent, opitulatur.

Mastiche manducata dentibus, eos candidos reddit, expurgat cerebrum ex malis humoribus, eo modo usurpata,

Dioscorides inquit, Mastiche additur in dentifricia, & illitiones ad exterendam cutem in facie, item ad replicandas palpebras. Adhibetur sanguinem reijcientibus, tussi ueteri. Commanducata oris halitum commendat: & ginginarum tumores reprimit.

DE MELLE.

NOMENCLATVRAE.

B

Μέλι.
Mel.
Honig.

Hydromel, Aqua mulsa, uulgo Medo dicitur. Med oder Honig wasser.

Oximel. Honig mit Essig.

Melicraton, uel mulsum. Honig mit Wein. Ein Claret oder Hippocras.

ANNOTATIO IN MEL.

MEL à Græcis μέλι dicitur, Venit hoc ex ëre uergiliarum exortu, uel sydere Sirio splendente, sublucanis temporibus. Sunt qui dicant Mel esse cœli sudorem, alij siderum saliuam, alij purgantis se aëris succum. Mellis tria sunt genera, Vernum, ex floribus, constructo fauo, quod ideo uocatur Anthinum: hoc quidem attingi uetant, ut largo alimento ualida exeat soboles. Alterum genus est mellis æstiui, quod uocatur Horeon, à tempestiuitate præcipua, ipso Sirio exsplendescente post Solsticium. Tertium genus mellis minimè probatum, syluestre, quod Ericæum uocant, conuehitur post primos autumni imbres, cum erice sola floret in syluis. Præcipuæ herbæ ex quibus apes matutinum rorem colligunt, unde mel conficiunt, sunt Rosa, serpillum, apiastrum, papauer, faba, lens, pisum, ocymum, cythisus. Optimum tamen mellificium est, quod

c ex thymo fit, & ob hanc rem ſiculum mel & atticum palmam ferè, propter thymi abundantiam & ſuauitatem. Mel decoctum crudo melius habetur, neq; enim adeo inflat, aut præcordiorum dolores, ac bilem auget. Corporibus frigidis & humidis conuenit. Senibus ergo mel perutile, ut Galenus inquit: in uigenti autem ætate, & calida intemperie, in bilem peruertitur. Democritus ſemel interrogatus, quo nam pacto, & inoffenſa ualetudine homines, & longiore æuo uitam prorogarent, reſpondit, Si externa oleo, interna mel le delinantur. Ex melle fit Hydromel, quod aquam mulſam uocant. Hanc uulgò uocant medonem. Oximel uinum ex aceto, & melle factum. Oenomeli, id eſt mulſum uinum, coctum cum melle. Id etiam multi melicraton appellant, hinc Hermolaus inquit: Iulius pollux neſcio quàm recte, melicraton ſcribit eſſe, quod nunc oenomeli uocamus. Cæteri magno hæc diſcrimine ſeparauerunt. Dioſcorides melicraton dicit, à Romanis aquam mulſam appellari, uel dulcem aquam.

TEMPERAMENTVM.

Mel natura calidum eſt in primo gradu, & ſiccum in ſecundo. Galenus inquit, Mel deſiccat & excalfacit ordine ſecundo. Primum bonitatis locum obtinet mel, illud quod uerno tempore ab apibus conficitur, Deinde æſtiuum magis probatur. Autumnale im
D probatur, nulliſq; uiribus eſt præditum. Mel quod in Germania habetur optimum eſſe iudicatur, quod prædulce eſt, & rutilum, neq; ualde humidum.

VIRES AC IVVAMENTA.

Candido melle utendum eſt in medicinis refrigerantibus. Rutilo autem in calefacientibus medicinis.

Syluestre mel, non eſt tantæ uirtutis, quàm domeſticum.

Mel conducit hominibus debilitatis, ulurpatum ut aqua mulſa. Hominibus natura frigidis in calido iuſculo exhibendum eſt. Natura uerò calidis, in calido iuſculo dandum.

Mel cum Camphora permiſtum, & ad tres dies repoſitum, maculas faciei exterit, ſi ex eo inungatur. Idem præſtat mel cum felle bouino permiſtum.

Mel pectus expurgat, emollit apoſtemata, tam foris quàm intus in corpore exiſtentia.

Sanantur impetigines decocto cum liquido alumine melle inunctæ. Sanantur eodem pedum claui. Contra incertos aurium ſonores doloreſq;, cum trito foſſili ſale tepidum inſtillatur. Medetur & faucium uitijs mel, tonſillis & anginis, in quem uſum gargarizatur, & eo colluunt os. Crudum omne mel inflat, ut Dioſcorides ait, aluũ & tuſſim proritat, ob quã cauſam deſpumato uti oportet.

Mel mun-

A Mel mundificat, oppilationes ſplenis atq; hepatis aperit, auxilia tur hydropicis, membra debilia corroborat.

DE AQVA MELLIS.

Mel ex apibus diſtillationi conueniens eſt, quod colore candidum eſt. Hoc antequam diſtilletur, admiſceri debet puræ & albæ, lotæq; harenæ, quæ neq; ſiccata, neq; arefacta ſit, ignis primo debet eſſe lenis ac lentus. Si caput ſæpius hac aqua lotum fuerit ac illitum, facit prælongos ac pulchros capillos.

Oculis inſtillata ualde prodeſt, pellit quoq; albugines oculorũ.

Mundificat impura uulnera & uetera ulcera, ſi per diem ſemel atq; iterum ex ea lauentur. Facit carnem in eis renaſci, ſæpius inde lota, uel ſi linteolum in ea madefactum, illis imponatur. Omnibus ambuſtis medetur linteolis impoſita.

ALIVS MODVS DISTILLANDI MEL.

Accipe mellis quantum uolueris, & immitte illud in uitream metam diſtillatoriam, & repone xiiij. dies ſub fimum equinum: & uide ut bene operiatur, deinde uitrum impone fornaculæ diſtillatoriæ, quę cinere ſit repleta, mel illud lento igne diſtilla per uitream metam diſtillatoriam, quam Alembicum uocant, cum autem ſtillare inceperit, tunc partem ignis ex fornacula extrahe, aquam albam quæ primum uenit excipe, lutea autem aqua ueniente, eam ſeparatim excipe & reſerua. Item quando hominem peſtis inuadit, Accipe huius aquę duas uncias, aloe epatici, myrrhę rubeę, croci orientalis ſingulorum decem grana, & folium puri auri, ea inuicem contrita indes huic aquę, & ęgrotanti potui dabis, medetur iſti morbo, & multis alijs morbis.
B

DE MELILOTO.

NOMENCLATVRAE.

Μελίλωτος.

Melilotum.
Melilotus.
Sertula Campana.
Corona Regia.

Wilder Klee.
Steyn Klee.
Geeler Klee.

ANNOTATIO IN MELILOTVM.

C MELILOTVM, Plinius & Celsus Romani sermonis candidi autores, Sertulam Campanam appellant. Cato nulla diminutione usus Sertam Campanicam dixit, ab usu & natali solo tota appellatione hac illi facta: quia folium eius coronamentis sit dicatum. In Campania autem Italię sit commendatissima: uulgus medicorum Stein Klee interpretatur. Est enim genus trifolij, Dioscorides hanc utpote triuialem non depinxit, circa Nolam tamen Italiæ gigni, coloris lutei odore languido tradit. Verum tria, ut Ruellius scribit, eius inueniuntur Herbarię rei prudentibus fastigia, uulgare statim ab radice fruticosum, cubitale, flagellis exilibus, coma trifolij, minuta ac lente fimbriata, flosculo melino, odoris eiusdem cuius & herba, nempe suauis, tereti ac per ramos diffuso semine. Alterum aspectu cano, croci odore ac flore, pinguissimis ac breuissimis folijs. Tertium simile fœnogræco, folio raro, semine in lunata siliqua, glauco, rotundo, flore luteo, odorato. Aliqui etiam Coronam regiam appellant, cuius figuram quodammodo refert.

DESCRIPTIO.

Melilotum planta est, super terram inflexa ac propagata flore luteo, coronæ regiæ similis. Radicem intra terram habet longam, & fruticosam.

D

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & exiccat in primo gradu.

Semen tribus annis durat integris uiribus.

In medicina hoc usurpatur cum corticibus, est enim semen adeo minutum, ut non absq; corticibus comode possit usui esse. Habet uirtutem confortandi, causa boni odoris.

VIRES AC IVVAMENTA.

Semen decoctum in uino & bibitum, discutit flatus ex intestinis, prodest oppilationi renum & uesicæ. In iusculum uel cibum semen inditum, reddit ipsum odoratum, emendat dentes.

Prodest apostematibus calidis, quę indurata sunt, si emplastrū imponatur, hoc modo paratum, Accipe seminis Meliloti, & fœnogræci, seminis lini singulorum paria pondera, atque albo oui admisto, emplastrum inde confice.

Hoc emplastrum confert etiam ulceribus aurium foris applicatum. Conducit quoq; ad fluxum hemorrhoidum, & ulcera genitalium, impositum.

Semen singulare est remedium ad fistulas, cancrum & hemorrhoidas.

Vinum in quo Melilotum atq; Apium decocta fuerint, hoc saccharo edulcatum, prodest contra obstructionem renū atq; uesicæ.

Melilotum

A Melilotum confortat cerebrum,& memoriam atq; etiam membra, si ex eo bibatur. Illitum quoq; idem præstat.

In uino decoctum atq; potum emollit,atq; bene concoquit,uentris dolorem leuat, sanat uulnera: singulare est remedium contra calculum quocunq; modo usurpatum, expurgat renes & uesicam.

Madefactum in aceto aut rosaceo,capitis dolorem lenit.

Oculis medetur cum lacte aut cum lini semine. Maxillarum quoque dolores mitigat, & capitis cum rosaceo, Stomachi dolores in uino decocta,uel cruda.

DE AQVA MELILOTI.

Ad distillationem conuenientem folia cum floribus ex caulibus decerpentur circa finem Iunij.

Aqua Meliloti pota medetur illis qui perturbatos habent sensus si linteolum in ea madefactum capiti circumligetur, sensus enim restituit & conseruat, facit ad memoriam pota, corroborat caput, præseruatq; ab imminentibus morbis.

DE MELISSA.

B

NOMENCLATVRAE.

Μελισσόφυλλον.

Melissa.
Apiastrum.
Melissophyllon.
Citrago.
Melifolium.

Mutterkraut.
Melissenkraut.
Hertzkraut.

ANNOTATIO IN MELLISSAM.

MELISSA uulgò dicitur ab Herbarijs herba illa quam Dioscorides Græce Melissophyllon, Latine Apiastrum uocat,eo q̃d apibus sit iucundissimum, unde & hac herba rustici confricare solent aluearia,si quando apes retinere cupiunt ne fugiant. Nicander Meliphyllon quasi mellis folium appellat. Latini etiam citraginem ab odore citrei mali dixerunt. A Græcis Melissophyllon dictum est,quasi folium apium & melleum siue mellitum folium. A Germanis Mutterkraut,id est herba matricaria dicitur,eo quòd matricis doloribus

C doloribus & affectibus subueniat: foliis eius, ut Hermolaus inquit, etiam ad coronamenta puellæ utuntur.

DESCRIPTIO.

Melissa herba est incisuris diuisa & odorata, natura similis Maioranæ.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; siccat in secundo ordine. Tam sicca quàm uiridis in medicina usurpatur. Potest siccari ad solem, & deinde suspendi in loco umbroso, durat synceris uiribus sex annos. Habet uirtutem confortandi cor. Virtutem æquat Maioranę, uerum hæc cocta maiorem efficatiam habet, nam ita sumpta, menses longo tempore obstructos trahit, purgat matricem, affert mulieribus robur pariendi.

VIRES AC IVVAMENTA.

Melissa in uino decocta, prodest contra magnam animi defectionem ex frigida intemperie prouenientem, qualis accidere solet mulieribus. Folia Melissæ in uino sumpta, medentur uenenatorum, & præcipuè rabidi canis morsibus.

A ieiuno comesta calefacit stomachum refrigeratum, concoctionem adiuuat.

Si mulieres ex ea bibant, cohibet præcipitationem matricis.

Folia eius superiori parti capitis imposita, multos prauos humo-
D res educunt, caputq; leue reddunt.

Folia cum sale temperata & manducata, medentur asthmati, & thoracem expurgat. Vtilis est melissa fœminis insidentibus ad ducendos menses.

In uino cocta ac bibita confortat cor, calefacit stomachum.

Folia eius strumis illinuntur, & sedis uitijs cum sale decocta. Caligines oculorum succo cum melle inungi eximium habetur. Succus fœminas purgat, inflationes discutit, & ulcera sanat, Articularios morbos sanat, canisq; morsus.

Melissophyllum marrubio simile est facultate, ut Galenus inquit, sed plurimum ab eo uincitur, quamobrem nec utitur eo quispiam. Superuacaneum si quidem foret præsente marrubio, cuius tantus est ubiq; terrarum prouentus, uelle uti Melissophyllo. Cæterum si cui forte ad manum quandoq; marrubium non fuerit, illo uti liceat, modo non exciderit, quanto ab hoc exuperetur.

DE AQVA MELISSAE.

Herba ipsa sola minutim concisa in fine Maij distillatur.

Aqua Melissæ per diem bis & singulibus uicibus ad duas uncias pota, & capillus quoq; si inde lauetur nõ sinit hominem canescere.

Eadem pota homines ira commotos ac tristes iterum exhilarat, bonos reddit sensus, & iucundum colorem.

Confert

A Confert ei cuius ſtomachus ex frigore uel repletione grauatus eſt, ſi ieiunus iij. uncijs eam biberit, ſanabitur.

Meliſſa conciſa & parumper contuſa bono uino perfundi debet,& per noctem ita reponetur,in fictili uaſe bene obtecta,deinde diſtillabitur. Eius aquæ ſi quis unum cochlear ieiunus biberit,alacres facit ſenſus,bonum ingenium & memoriam.

Opitulatur hæc aqua,ſi homo fuerit tactus apoplexia,uel ſi membra tremere inceperint,ſiue ſit caput,manus uel pedes,quotidie tribus uncijs pota,uel membris inde fricatis. Lingua quoq; ex ea fricata,reducit loquelam amiſſam. Medetur morbo comitiali in potu ſumpta, bonum reddit oris anhelitum, ſedat omnes interiores tumores,pellit colicam & affectus inteſtinorum, purgat matricem,facit quoq; ad aquam intercutem. Succurrit febri quartanę,medetur ſcabiei & corporis ulceribus,ſi inde lauentur. Prodeſt ulceribus oris gargarizata, Sedat dolorem dentium.

Item pota dyſenteriam remouet,ſuccurrit in ſpiritus difficultate non niſi recta ceruice ſpirantibus, laxat thoracem. Cum ſale applicata ſtrumas ceruicis pellit, purgat ulcera, articularios dolores ſedat, ſi ea fricetur. Eſt peculiaris aqua contra ſtrangulationem uuluæ,in potu enim ſumpta,ſtatim auxiliatur. Eadem pota malum ſanguinem conſumit,bonumq; ſanguinem iterum generat.

B

DE MENTA.

NOMENCLATVRAE.

Ηδύοσμος.

Menta.
Menta odorifera.
Menta ſarracenica.
Menta romana.
Menta alba.

Minтz.
Balſam kraut.
Vnſer Frawen Mintzen.

NOMENCLATVRAE.

Καλαμίνθη.

Calamentum.
Nepeta.
Calamentum montanum.
Menta non odorifera.

Steyn Mintz.
Katzen Mintz.
Nept.

ANNOTATIO IN MENTAM.

MENTA ſuauiſſimi odoris herba eſt, & notiſſima omnibus, humanoq; generi pluribus nominibus utilis, cum in medicamentorum, tum in condimentorum uſu. A Græcis hedyoſmos dicta, hoc eſt ſuaue olens: Menta autem appellata, quòd ſuo odore mentem excitet. Hanc fuiſſe puellam à Plutone amatã, ferunt Poëtæ, uerſamq; in herbam ſui nominis à Proſerpina, cuius pellex erat.
D Excitat hæc herba, ut Platina inquit, propter inflammationem & humiditatem, demortuam Venerem, hanc ob cauſam olim duces exercitus uetuerunt, ne milites hac herba ueſcerentur, uolebant eñ eos tempore belli eſſe caſtos, ne uſu ueneris effœminati molleſque torpeſcerent.

Mentarum differentias omnes nemo rectius diſtinxit Hieronymo Herbario, ut Ottho Brunsfelſius ſcribit. Ponit autem Sex genera mentarum, quæ hiſce Latinis nominibus ſignificantur, utpote Menta, Balſamita, Calamentum, Mentaſtrum, Nepeta.

Prima eſt quæ Latine Menta rubea, uel Menta aquatica dicitur, quia rubeum habet caulem, & locis aquoſis naſcitur, Germanice **Bach Mintz/Rot Mintz**.

Altera Balſamita & Menta ſaracenica appellatur, à Germanis **Balſam Mintz/oder vnſer Frawen Mintz**.

Tertia Mentaſtrum agreſtis Menta, naſcitur in agris, & Germanice **Acker Mintz** dicitur. quanquam multi uolunt, hanc eſſe mentam aquaticam.

Quarta Menta Equina, quę naſcitur albis, rotundis ac hirſutis foliis, & caulibus marrubio fœminæ non diſſimilis, eam putat eſſe Dioſcoridis Mentaſtrum.

Quinta

A Quinta Menta non odorifera Nepeta etiam dicta, quę à Germanis **Katzen Mintz** dicitur, aut **Steyn Mintz**.

Sexta ſimpliciter Menta dicitur, uulgò dicitur **krauſer Balſam/ Beyment/Balſam kraut.**

DESCRIPTIO.

Menta in hortis naſcitur ferè cubitali altitudine, criſpis foliis & pinguibus, caulibus quadratis, floribus cœruleis, radice candida, intra terram ultro citroq; fruticante.

Variæ ſunt ſpecies Mentæ. Domeſtica uiridis eſt tam hyeme quàm æſtate. Habent fermè eandem naturam, quare & eodem modo uſurpantur.

TEMPERAMENTVM.

Domeſtica calida & ſicca eſt in ſecundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Hæc in medicina uiridis uel ſicca magis eſt in uſu.

Omnes Mentæ & præſertim domeſtica, cõfortant ſtomachum, & concoctionem adiuuant.

Menta prodeſt contra lumbricos, ſi in puluerem redacta, ſumatur in lacte.

Decocto eius, ſi tumida genitalia foueantur, tollit ueſtigio tumorem.

B Menta manducata & duris mammis, quę lacte turgent, impoſita, emollit, & ſuppurationem prohibet. Eadem comeſta aluum ſoluit, quotidie ſumpta, pulchrum reddit colorem, & quouis tempore eſt ſalubris.

In uino & oleo decocta, mamillas lactis coagulatione induratas emplaſtri modo impoſita, ſanat.

Succus in potu ſumptus cum aceto prodeſt ſanguinem excreantibus. Idem capitis dolores mulcet, fronti illitus. Aurium doloribus & tinnitibus cum aqua mulſa ſubuenit.

Menta in uino decocta & ſumpta, grauem oris halitum emendat. Poteſt addi acetum, & ore inde colluto, dentibus prodeſt, gingiuas putridas purgat. Ita ſumpta exulcerationem linguæ ex calore prouenientem pellit. Linguæ ſcabritiem confricata leuigat.

Menta, Ruta ac Cepa, eodem pondere ſumpta, admiſtoq; ſale, ſimul contuſa, ac impoſita, natricis ictui, morſuiq; ſerpentis auxiliatur.

Cum melle contuſa, & cum aceto temperata, ac impoſita rabidi canis morſui, erit remedio.

In cibo aut potu à mulieribus ſumpta, menſes earum proritat.

Si à ieiuno dentes decocto mentæ colluantur, ſuppurationem eorum prohibet.

Succus cum melle temperatus & oculis illitus, diſcutit caliginem.

C Menta cum aceto temperata, maculas oculorum tollit, propè & circum oculis illita:

Contra fluxum hemorrhoidum illine succum, & breui medetur.

Menta confortat stomachum, calefacit, cohibet singultum, uomitionem, & morbum regium discutit.

Menta morbis frigidis magnam præbet confortationem, animum lætificat, sanat nauseam stomachi.

Menta æque maribus ac fœminis sistit sanguinem, & purgationes fœminarum inhibet. Cum amylo ex aqua pota, cœliacorum impetus curat.

Vlcera in capite infantium mirè sanat, Voci sub certamine utilis duntaxat, & qui gargarizatur uua tumente: adiecta ruta & coriandro ex lacte, Epiphoris illinitur, & omnibus in capite eruptionibus, item sedis uitijs.

Ad ignem sacrum herbæ mentæ succus expressus, adiecto sulphure, & aceto de penna inunctus, sine mora dolorem sedat.

Menta in uino decocta, uiscerum dolorem renumq; placat. In uino quoq; cum oleo decocta, apostemata dissoluit & curat, emplastri modo imposita. Vuluæ ante coitum admota, conceptioni resistit. Et in condimentis peculiarem gratiam habet.

DE AQVA MENTAE.

D Herba ipsa una cum caulibus concisa optimè distillatur in medio Maij.

Aqua mentæ mane ac uesperi singulis uicibus tribus uncijs in potu sumpta, corroborat stomachum, ac cibum concoquit. Itidem pota prodest ad obstructionem iocineris atq; lienis, aperit uias urinæ utpote renum & uesicæ.

Excitat ciborum appetentiam, cohibet singultum & uomitum, in potu sumpta, uel stomacho foris illita.

Ore sæpius inde colluto, facit ad malum anhelitum & gingiuas.

Facit ad syncopen & uertiginem, si quis acceperit panem hordeaceum, & in hac aqua atq; in uino uel aceto maceratum, naribus admouerit, odor ille magnas præstat uires. Eadem bibita matricem purgat, & linteolum in ea calida intinctum, si imponatur.

Mulierum mammis induratis imposita, lac in ipso concretum dissoluit.

Omnia interius rupta sanat, à iuuenibus atq; etiam senibus pota.

Aqua mentæ permista cum ruta atq; coriandro & gargarizata, uuam quæ deorsum lata est, restituit.

Sanat scabiem puerorum si ex herba in lixiuio macerata lauentur. Prodest contra lumbricos in potu sumpta. Cum uino temperata atq; bibita, confortat atq; calefacit frigidum stomachum.

A

DE MENTASTRO.

NOMENCLATVRAE.

Μδύοσμος ἄγριος.

Mentaſtrum.
Menta aquatica.
Syluestris menta.
Cyſſimbrium.

Wild Mintz.
Bach Mintz.
Waſſer Mintz.

B

ANNOTATIO IN MENTASTRVM.

MENTASTRVM ſyluestris Menta eſt, in hortensi & ruſtica re cunctis notiſſimum, ſatis à Dioſcoride deſcriptum, & quale paſſim ab omnibus & quotidie uidetur. A Plinio aliter deſcribitur, foliorum ſpecie aliter à ſatiua differens, quaſi figura ocimi, colore pulegij, propter quod quidam ſyluestre pulegium uocant. Plæriq; tamen Mentaſtrum Mentam aquaticam eſſe affirmant. Prorſus tanta inter mentam, mentaſtrum, & nepitam ſocietas eſt, ut mirum non ſit miſceri quando ab autoribus earum ſpecies & nomina.

DESCRIPTIO.

Mentaſtrum & ſpecies mentæ iuxta fontes & fluuios naſcens, ſed foliis acutis, floribus cœruleis & in ſummo candidis.

TEMPERAMENTVM.

Eſt humidę naturę temperatum calore quodam.

VIRES AC IVVAMENTA.

Herba cum radice contuſa atq; ſuccus inde expreſſus atq; ſiccatus eaſdem habet uires quas ſuccus humidus. durat annum.

Ad membra contuſa ac conquaſſata decoque maluam cũ uino, adniſtoq; ſucco, illine, tum ſanat, atq; rubram carnẽ inde remouet;

C In ſanitate deterioris uſus eſt Mentaſtrum quàm ſatiua, poteſt in medicina uſurpari ad omnia quibus menta medetur, ſed tantum foris adhibetur, non intrò ſumitur.

DE AQVA MENTASTRI.

Superiores partes mentaſtri folia atq; caules inuicem conciſa, in medio Maij diſtillantur.

Aqua mentaſtri mane ac ueſperi ſingulis uicibus iij. aut iiij. uncijs in potu ſumpta, facit ad ſuffuſionem fellis. Itidem ſumpta calefacit ſtomachum.

Ad graueolentiam oris ex dentibus contractum, ſi inde os ſæpius colluatur, halitum emendat.

Naribus indita caput expurgat à malis humoribus.

A balneo bibita, ruptis medetur.

DE MERCVRIALI.

NOMENCLATVRAE.

D

Παρθένιον.
Λινόζωστις.
Mercurialis.
Linozoſtis.
Parthenion.
Herba Herculis.
Vnguentaria.
Bingelkraut.
Scheiß kraut.
Miſt milt.
Kũ wurtz.
Hunds milt.
Speck malten.

ANNOTATIO IN MERCVRIALEM.

MERCVRIALIS diuino nomine ſe commendat, à Mercurio enim nomen ei inditum eſt, qui eam inuenit, uireſq; ac uirtutes eius hominibus indicauit, unde & Græci ἑρμοῦ πόαν, id eſt Mercurij herbam appellauerunt. Vulgaris herba eſt, uinetis & campis ferè omnibus naſcens: aliquibus locis tam copioſa & efficax, ut ſapore ſuo uina etiam inficiat, & bibentibus ingrata reddat. Vna præcipuaq; illi in deijcienda aluo naturæ uis eſt, & à cunctis in medicinæ uſu recepta. Numerauit & M. Cato hanc inter eas herbas quæ familiam ruſticam ad deijciendam aluum docebat, monens non multum ex ea acciuiendum eſſe. Duplex genus eius eſt, Sexu diſcernun

tur, uſ

A tur,ut Dioſcorides inquit. Semen fert fœmina racemoſum & multum. Maſcula uerò iuxta folia exiguum,rotundum, binum,teſticulorum ſpecie pendens.

DESCRIPTIO.

Mercurialis gaudet uinetis & alijs locis cultis. Caulem habet uiridem, inter folia ſemen luteum habet inſtar urticæ rubeæ.

TEMPERAMENTVM.

Calida & ſicca eſt in primo gradu. Et eſt compoſita, ut Auerrois inquit, ex ſubſtantijs contrarijs, hoc eſt ſtiptica, acuta, & aquea: & ineſt ei quando eſt recens, ut leuiter purget, ita quod eſt in principio primi gradus in medicinis purgatiuis: & ideo datur in principio febrium ante digeſtionem: ſicut dantur caſſia fiſtula, tamarindi & his ſimilia.

VIRES AC IVVAMENTA.

Mercurialis in cibo ſumpta, ſoluit aluum. In aqua elixa, epoto iure, aquam detrahit & Choleram. Capo decoctus cum Mercuriali, iuſculo deinde aſſumpto, prodeſt tumenti ſtomacho, relaxat pectus, pellit ſpirandi difficultatem.

Succus Mercurialis prodeſt tumidæ aluo, illitus. Idem ſubducit aluum, Præcipuè confert ęgrotis, qui neq; per ſuperiora, neq; per inferiora medicinam accipere poſſunt.

B Mercurialis decocta & umbilico impoſita, uentrem ſubducit.

Vtraq; Mercurialis ſoluit aluum, olerum modo in cibo ſumpta.

Cum oleo roſaceo uel lirino uuluę admota conducit ad ciendos menſes, & educendos fœtus ac ſecundas. Folia eius aluo imponuntur epiphoris ſtranguriæ & ueſicæ. Ad aluum ſoluendam decoque manipulum Mercurialis in iure gallinaceo, illudq; bibe.

Eadem cum iure gallinaceo, uel caponis ſaccharoq; addito, decocta ac in potu ſumpta, leniter mollit aluum & euacuat. Hippocrates inſtillauit auribus ſurdis ſuccum, inunxitq; cum uino uetere.

Qui biberit ex ſucco mediam libram, ut Auerrois autor eſt, purgat Choleram craſſam & Phlegma.

Et ſi coquatur in uino quando eſt recens, conſolidat magna uulnera, & ſanat ulcerationem factam ab aduſtione ignis. Si folia ipſius coquantur in aceto, ualent multum paſſioni ſplenis.

Mirum eſt quod de utroq; eorũ genere à Dioſcoride proditur, ut mares gignantur hunc facere, ut fœminę illam. Hoc contingere, ſi à conceptu ſuccus ſtatim bibatur in paſſo, edantq; folia decocta ex oleo & ſale, uel cruda ex aceto.

Verrucas omnium generum tollunt utriuſq; folia, uel ſuccus illitus. Semen utriuſq; inſparſum potioni, uel cum abſinthio, uel cicere decoctum, regium expugnat morbum. Malis quę ſerpunt, ſuccus ex aceto medetur.

C DE AQVA MERCVRIALIS.

Mercurialis cum tota ſua ſubſtantia, oportunè diſtillatur in principio Iunij.

Aqua hęc naribus ſępius attracta, prodeſt ad purgandum caput, facitq; ad deſtillationes in oculos, nares, atq; aures. Ambuſtis medetur linteolis impoſita, & dolores mitigat. Cum uino temperata & lineis pannis antiquis ulceribus impoſita, ea curat. Matutino tempore à ieiuno duabus uncijs pota, expellit ſuperfluos calores, & craſſos humores, ut Phlegma & craſſam nigram Cholcram.

DE MILLEFOLIO.

NOMENCLATVRAE.

Μυριόφυλλον.

D Millefolium.
Supercilium Veneris.

Garbe.
Schaff ripp.
Tauſent Blat.
Tauſent Garben.

ANNOTATIO IN MILLEFOLIVM.

MILLEFOLIVM à Græcis Myriophyllon appellatur, nomenq; ſortitum eſt à multitudine foliorum. Numerari poteſt non ſolum inter herbas coronarias, uerum etiam uulnerarias herbas Chyrurgi eũ ſæpius eo utuntur ad potiones, emplaſtra, & unguenta, propterea quòd omnibus uulneribus accommodatum eſt.

DESCRIPTIO.

Millefolium duorum eſt generum, ſed eadem herba. Alterum in cacumine umbellam habet cum rubentibus floribus. Alterum candidum eſt. Caulem habet duorum palmorum altitudine, habetq; à ſu-

A betq; à ſuperiori parte uſq; ad terram folia criſpa & circinata. Radicem intra terram fruticoſam.

Mas creſcit in altitudinem candidis capitilis, fœmina remanet parua. Vtrunq; naſcitur iuxta uias, foliis fœniculo ſimilibus.

Millefolium tantam ſiccandi uim poſſidet, ut uulnera congluti-net, ut teſtatur Ægineta.

VIRES AC IVVAMENTA.

Millefolium contuſum & uulneribus impoſitum, arcet tumo-rem. Vulnera recentia ab inflammationis periculo uindicat, ſi uel recens uel ſiccum ex aceto imponatur. In butyro maceratum & maxillis impoſitum, uehementem dolorem dentium ex calida cauſa creatum, ſedat. Radicem eius ieiunus manducet laborans dentibus.

Cum aceto bibitur ad difficultates urinæ & ueſicæ, & ſuſpiria. Bibitur & ex alto præcipitatis cum aqua & ſale. Millefolium ſan-guinem uulnerum exiccat.

Millefolium Saniculam & Herbam ſortis olerum modo in aqua decoque, deinde iuſculum cola per linteum, ac admiſce farinam ex ſemine fœnogræci. Poſtea ſeuum hircinum & axungiam porci-nam eodem pondere, & oleum oliuarum dimidio pondere lique-fieri ſine, modicoq; ceræ addito, inde confice unguentum. Hoc uul-neribus quibuslibet impoſitum, eà cito ſanat. Quæcunq; etiam pu
B trida & antiqua ulcera ſanat.

Millefolium contuſum, & à mulieribus applicatum ſiſtit nimi-um profluuium menſium & eſt ſecretum experimentum.

Ad diſuriam, id eſt urinæ difficultatem, Millefolij ſuccus cum aceto potus, mirè prodeſt ſanatq;.

Millefolium contuſum cum butyro tumoribus imponito.

DE AQVA MILLEFOLII.

Conueniens tempus diſtillationis eius eſt, ut herba cum caulibus inuicem conciſa in fine Maij diſtilletur.

Aqua Millefolij mane à ieiuno iiij. uncijs pota, & præcordio illi-ta, calefacit frigidum ſtomachum.

Contra uentris lumbricos, prodeſt in potu ſumpta.

Conducit etiam bibita, ei qui colorem ſuum ex nimio profluuio ſanguinis amiſit, & purgat ſanguinem, facit ad recentia uulnera, mane ac ueſperi, ſi inde lauentur.

DE MILIO.

NOMEN.

C

NOMENCLATVRAE.

Κέγχρος.

Milium.

Hirſ.

ANNOTATIO IN MILIVM.

D MILIVM genus frumenti eſt, à mille dictum, propter multitudinem acinorum. Milium æſtate ſeritur Theophraſto, & intra quadrageſimum diem metitur, caulis ei arundineus, lanugineus flos, quem circa ſpicam gerit. Semen in iuba profert folliculo concluſum, effuſam enim illam arundinaceam comam iubam appellant, Largior aquatio detrahit folia. Miliũ diu ſeruari poteſt: quod maximè durat, plus centum manet annos, ſi condatur quo uenti nõ perueniant. Milium & panicum terram emacrant, & ob eam rem inter uites & arbores frugiferas ſerenda non ſunt. Milium ad omnia panico præſtantius, ſuauius editur, facilius concoquitur, uentrem minus coërcet, magis nutrit. Ex milio fit puls & panis prædulcis, quo ciſalpini ac maximè Inſubres utuntur. Miliȷ è muſto ſubacti præcipuus uſus ad frumenta eſt: in annum ſiquidem durat panis ex milio factus, ut Dioſcorides ait: minus omnibus alȷs frumentacijs nutrit.

DESCRIPTIO.

Milium ſemen eſt cuiuſdam herbę, cuius uſus eſt in cibo. Hoc ſemen inter omnia frumenta minus nutrit.

TEMPERAMENTVM.

Milium emacrat hominem, arefacit omnem humorẽ hominis.

VIRES AC IVVAMENTA.

Refrigerat in primo &, exiccat in ſecundo ordine.

Milium

A Milium ac panicum refrigerandi ſiccandiq; & exiguas in nutriendo uires poſſident, aluum morantur, ut Ægineta ſcribit.

Milium in poſteriore parte coxendicis impoſitum ſiſtit dyſenteriam. Eodem modo nimium profluuium menſtruorum reſtringit.

Cum aqua hordeacea decoctum, & umbilico ac pudendis impoſitum, tollit diabeticam paſſionem.

Ita quoq; tollit ſtillicidium urinæ.

Neruorum doloribus, & alijs feruens in ſacco ponitur, neque aliud utilius: quoniam nihil leuius molliuſq; & caloris capacius.

Farina eius cum pice liquida ſerpentium, & multipedæ plagis imponitur.

Confecta ex eo puls, aluum ſiſtit, ſed urinam cit.

Succurrit idem præſenti remedio torminibus, alijſq; doloribus feruens inditum ſaccis, & impoſitum.

DE MILIO SOLIS.

B

NOMENCLATVRAE.

λιθόσπερμον.

Milium ſolis.
Lithoſpermon.
Saxifragia alba.
Cauda porcina.
Grana ſolis.
Herculea herba.

Meer Hirß.
Weiſſer Steinbrech

ANNOTATIO IN MILIVM SOLIS.

C MILIVM solis herba est quæ apud Dioscoridem & Plinium, Lithospermon dicitur, id est lapidosum semen, Ab omnibus tam officinis quàm medicis, hodie Milium solis appellatur, quòd semen candore solaris ac lucis splendore fulgeat. Sunt qui ob seminis duritiem, Herculeam herbam nominent. Est autem, ut Brunsfelsius indicat, species Saxifragiæ, unde & Saxifragia alba dicitur, Inter omnes herbas, Lithospermo nihil est mirabilius, nec quicq̃ inter herbas maiore quidem miraculo se aspexisse Plinius scribit. Tantus est decor, uelut aurificum arte, alternis inter folia candicantibus margaritis, tam exquisita difficultas lapidis ex herba nascentis. Gerit iuxta folia singulas, ueluti barbulas, & earum in cacuminibus lapillos candore & rotunditate margaritarum, magnitudine ciceris, duritia uerò lapidea. uide Plinium lib. 27. cap. 11.

DESCRIPTIO.

Milium solis gaudet montibus petrosis & altis, folia habet colore ex uiridi nigricantia, inter quæ & caules, semen minutum & candidum, magnitudine coriandri, continetur, ad rotundi lapilli modum.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & siccat in tertio ordine. Semen natura efficacius
D quàm herba.

VIRES AC IVVAMENTA.

Semen in puluerem contritum, & per diem pondere unius drachmæ in uino albo potum, calculum renum & uesicæ frangit, ciet urinam.

Accipe semen Milij solis, se. fœniculi, petroselini, apij, par mensura, & ea in uino decoque. Hoc multam & malam materiam ex uesica pellit, unde podagra nonnunquam generari solet, in potu sumptum.

Puluis ex semine Milij solis in uino sumptus, stillicidio urinæ uel Stranguriæ succurrit.

Semen hoc quocunq; modo usurpatũ in lauachro, in quo Malua, Chamomilla, Origanum, Hedera terrestris decocta fuerint, multos affectus uesicæ, & lumborum repellit.

Semen Milij solis decem annis seruari potest, integris uiribus.

DE AQVA MILII SOLIS.

Milium solis in fine Maij, uel in principio Iunij tempestiue distillatur.

Aqua Milij solis triginta uel quadraginta diebus mane & uesperi singulis uicibus, tribus uncijs pota, medetur calculo & lithiasi renum & uesicæ; expurgat quoq; renes & uesicam.

DE

A

DE MORIS BACCAE.

NOMENCLATVRAE.

Βάτος.

Rubus.
Mora Baccæ.
Mora Rubi.

Bromberen.

ANNOTATIO IN MORA BACCAE.

MORA Baccę Hieronymus nobilis Herbarius, & officinæ appellant, quæ à Latinis autoribus Mora Rubi appellantur, quod etiã Brunsfelsius in suo Herbario Germanico testatur. Huc accedit quòd Vergil. Marcellus scribit. Rubus chamæbatos siue Rubus simpliciter à Latinis appellatus frutex est, cuius Mora extrema æstate matureſcentia, auibus grato & hominibus non inutili cibo in sepibus nigreſcunt. A Theophrasto duo ponuntur Rubi genera, scilicet Cynosbatos, id est Rubus caninus, & Chamæbatos, id est humilis rubus. Cynosbatos

B fructum fert rubrum, oblongum, similem oliuæ nucleo: intus uerõ habet lanuginosa semina, qualia in fructibus rosarum reperiuntur. Chamæbatos humilis rubus, à Dioscoride simpliciter Rubus appellatur. Eius quoq; duo genera inueniuntur. Vnum per dumos repit grandius, fungosum, minacibus spinis, nocentibus, aduncis, flore candido, moris maioribus, & nigris. Alterum genus humi serpit in aruis, transeuntium cruribus inimicũ, Moro nigro, quod estur, sed longe minori, non iniucundi gustus, minoribus spinis, & minus hamatis, ijs in utroq; genere succus inest sanguineus, & ueluti cruore atro manus inficiens.

DESCRIPTIO.

Rubus est longus frutex spinis aduncis, folia habens ad uitis similitudinem. Gaudet autem in sepibus nasci.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit in primo gradu, medetur calculo.

Ægineta inquit, Rubus abunde adstringit & siccat, qua de causa & uulnera committit, & defluxiones sistit. Radix autem præter adstrictionem, non parum etiam subtilis est, unde renum calculos confringere est idonea. Fructus rubi si maturus est, magis calfacit, simulq; mediocriter adstringit, ac ideo cibo idoneus est, immaturus

C autem & acerbus est & ualde siccat, præsertim retorridus. Eadem etiam flos efficit.

VIRES AC IVVAMENTA.

Succus ex rubi moris permistus cum syrupo de saluia, à leprosis utiliter sumitur, & illis qui ad eum morbum propensi sunt quoque prodest, quotidie pondere unius unciæ sumptus.

Succus ex moris rubi in balneo corpori illitus, medetur scabiei, nitidamq; reddit cutem.

Ramorum rubi decoctum denigrat capillos, ut Dioscorides inquit. Bibitur quoq; ad sistendam aluum, mulierum fluctiones cohibet. Ginguias confirmant, & oris sanant ulcera, quas uocant aphthas, commanducata eius folia. Compescunt eadem quos herpetas uocant.

Capitis manantia ulcera & procidentes oculos sanant.

Sanant & condylomata hæmorrhoidasq; emplastri modo imposita. Cibum in stomacho non continentibus, cardiacisq;, concisa mox impositæ prosunt. Quinetiam succus ex foliis caulibusq; expressus, mox in sole densatus, prædictis omnibus efficacius medetur. Fructus præterea succus in integra maturitate expressus, ad oris medicamenta accommodatus est. Sistit præterea aluum in me-
D dia maturitate in cibo sumptus: potus postremo flos eius in uino aluum sistit.

Inter adstringentia medicamenta, nihil est efficacius quàm rubi mora ferentis, radice decocta in uino ad tertias partes, ut colluantur eo oris ulcera, & sedis foueantur, tantaq; uis est, ut spongiæ ipsæ lapidescant.

DE AQVA EX MORIS RVBI.

Conueniens tempus distillationis eorum est, quando plene sunt matura, uerum mollia non sunt decerpenda, eluere autem ea prius oportet, & iterũ siccare, deinde in Balneo Mariæ distillanda sunt.

Aqua hæc calculo infantium medetur, mane & uesperi singulis uicibus ad ij. uncias ab ipsis in potu sumpta.

Ad Lithiasim renum & uesicæ prodest.

Prodest affectibus uuæ in gutture gargarizata, ulceribus guttu-
ris medetur per diem quater calida gargarizata.

DE MORIS CELSI.

A

NOMENCLATVRAE.

Μορία.
Συκάμινον.

Morus.
Morum.
Morum Celſi.

Maulber baum.
Maulbern.

ANNOTATIO IN MORA CELSI.

B MORVS nota omnibus arbor eſt. Morum quod Sycaminon à Græcis dicitur, fructus eſt, à mora, id eſt tarditate, ut quidam putant, nomen habens. Nam poſtrema omnium arborum morus floret, propter quod prudentiſſima arborum dicitur: quia lædi ſe à frigore non ſinit, neq; inconſtantia ueris periclitari uult, neq; etiam inexpectatis gelicidijs opes ſuas amittere. Sunt tamen qui à Græco, id nominis deriuent, Μαυρὸν enim nigrum dicitur. Morus plana diligit, nec temere in montibus conſpicitur: tardiſſimè feneſcit, fructibus minimè laborãs. Mora carne & ſucco conſtant, qui uinoſus eis eſt, & colore ſanguineus. Trinum habent colorem. Primo albeſcunt, deinde rubeſcunt, poſtrema nigerrima fiunt. Mora Celſi uulgò à medicis dicuntur. Vt mora recentia diu durent, hoc modo facies: Succum ex moris exprimito, miſcetoq; cum ſapa & in uitreo uaſe cum moris mittito, uiridia diu ſeruabis.

DESCRIPTIO.

Morus arbor eſt ferens fructum ad rubi modum, ſed longiorem & dulci ſapore.

TEMPERAMENTVM.

Mora, ut Ægineta ſcribit, impenſe humectant, mediocriter refrigerant, ac ante alios cibos præſumpta, uentrem ſoluunt, non admodum ingrata ſtomacho, ſed exigui alimenti.

C Mora aluum sistunt, præsertim arida, & ita in uina sumenda sunt. Galenus inquit, Mori fructus quidem uentrem subducit, im maturus uerò ubi aruerit, admodum restringit. Itaq; ad dysenteri as accommodus est, & affectiones cœliacas & quascunq; alias fluentes: contunditur autem ac obsonijs commiscetur, uelut rhoi fructus, aut si cui ita uideatur, ex aqua aut uino bibat.

Mora uti idem inquit, ubi in purum uentriculum, & prima fuerint ingesta, citissimè transeunt, & alijs cibis suo ueluti ductu, uiam struunt, uerum secundo loco assumpta, aut prauo in uentre humori occurrentia, celerrimè alijs unà cum cibis corrumpuntur, alieno quodam atq; indicibili corruptelæ modo: similiter cucurbitis.

Cortices mori aluũ laxant, & expellunt latos lumbricos, si quis puluere utatur.

Contusa mori folia, & ex oleo illita ambustis medentur, & extrahunt calorem.

Folia in aqua cœlesti decocta, ac in ore retenta, ingentes dolores dentium sedant.

Folia cum aceto imposita, egregium remedium præstant ad restinguendos sacros ignes.

Succus in æneo uase decoctus & insolatus, adstringendi uim &
D naturam acquirit, additoq; illi exiguo melle, facit ad destillationes, ad ea quæ pascendo serpunt, & tonsillarum inflammationes. Augentur autem remedij huius uires, additis alumine scissili, galla, myrrha, & croco.

DE AQVA EX MORIS.

Mora sunt distillanda, quando bene sunt matura.

Aqua hæc per diem ter uel quater duabus aut tribus uncijs gargarizata, repellit ulcera gutturis.

Thoracis apostemata quoq; remouet, ad illum modum bibita, pellit & emollit pituitam in corpore.

Itidem pota, expellit & dissoluit in corpore sanguinem concretum, medetur tussi, relaxat thoracem.

Mitigat uenas si sæpius ex ea illinantur atq; fricentur, & per se iterum siccentur.

Aqua ex immaturis moris facit ad oculos illita & circum fricata: sæpius gargarizata auxiliatur uuulæ, tollit omnem asperitatem, exulcerationem, atq; calorem gutturis.

Eadem mane ac uesperi singulis uicibus iij. aut iiij. uncijs bibita, uel potui admista, facit ad apostemata iocineris.

A

DE MORSV DIABOLI.

NOMENCLATVRAE.

Morsus Diaboli.
Iacea nigra.

Teuffels Abbiß.
Abbiß.
Apostemenkraut.

ANNOTATIO IN MORSVM DIABOLI.

MORSVS diaboli à Hieronymo Herbario Iacea nigra appellatur, qua nomenclatura apud ueteres autores appelletur, medicis adhuc nondum exploratum est. Hæc herba in multis signis Scabiosę similis, præterquam in radice, an eius quoddam genus sit, ex autoribus certò probari non potest, certè cum uiribus multum conuenit. In radice Valerianę herbæ similis est, cætera tamen dissimilia. Singulare miraculum in radice huius herbæ conspicitur, quę paruas habet radiculas, in medio autem apparet, quasi uera radix cui caulis innititur, esset præmorsa, aut amputata. Vnde Barbari & antiquę uetulæ fingunt, hanc herbam morsum diaboli inde dictam, quòd præmorsam inferne radicem gerit, quam à cacodæmone fabulantur, extemplo ubi nasci cœperit, uel fodi, uel præcerpi: ne in usum ueniat humanę uitæ.

B

DESCRIPTIO.

Morsus diaboli herba est quæ habet radicem candidam, & inferne mutilam & quasi præmorsam, Flores autem cœruleos. Nascitur in locis incultis inter sepes, & aliquando in pratis.

TEMPERAMENTVM.

Herba ac radix easdem uires habent, calefaciunt & siccant primo gradu.

Radix contusa ac inflammationi imposita, eam extinguit. Radix in Autumno colligenda est, durat ad duos annos integris uiribus.

VIRES AC IVVAMENTA.

Herba adhuc uiridis usui est, contra omnes affectus exteriores corporis, intrò sumi non debet, quia calorem adfert.

Morsus diaboli auxiliatur contra pestem, omnia uenena, punctionem circa cor, apostemata pectoris, & omnem sanguinem con-

Cretum ex contusione, casu, aut percussione collectum. Habet enim uirtutem incidendi & dissoluendi.

DE AQVA MORSVS DIABOLI.

Tempus distillationis eius est, ut herba flores, radix & caulis cum tota substantia concisa ac contusa distillentur, quando herba flores gerit.

Aqua hæc per diem bis singulis uicibus iiij. uncijs in potu sumpta, succurrit illis quibus ex contusione casu, aut iactu, sanguis in grumos concretus est, medetur ulceribus corporis, facit ad punctionem lateris & apostemata circa cor, thoracem, & iecur.

Eadem omni matutino tempore à ieiuno duabus uncijs pota, præcipuè prodest ad præseruandum hominem à peste.

DE MYRICA.

D

NOMENCLATVRAE.

Μυρίκη.

Myrica.
Erice.

Heyd.

ANNOTATIO IN MYRICAM.

MYRICAM literatores uocant uulgarem illum fruticẽ, quem Germanice Heyde nominamus, unde apes in autumno si non adeo generosum qualecunq; tamen mel conficiunt. Hunc fruticem rectius iuxta descriptionem Dioscoridis, & Plinij Ericen nominabimus. Nam Myrica arbor est quam Romani Tamaricen, recentiores Tamariscum nominant, Nascitur autem prope paludes & in stagnantibus aquis, fructum fert quemadmodum & florem concretione sua muscosum. Erice autem, ut autores iam prædicti scribunt

est arbor

A est arbor fruticosa non multum à Myrica differens colore roris marini, multo tamen breuior Myrica. Vescuntur eius flore apes, de quo Mel nequaquam generosum conficiunt. Nascitur in syluis & plerunquam etiam propẽ syluas.

TEMPERAMENTVM.

Myrica uulgò dicta calefacit atq; desiccat natura. Gaudet locis harenosis. Caulis nascitur ad cubiti altitudinem, flores sunt colore spadices.

VIRES AC IVVAMENTA.

Flores eius in melle ac saccharo macerati, & mane ac uesperi sumpti, pellunt febrem quartanam.

Hoc fiet in Autumno octo ex ordine dies.

Flores in uino sumpti, prosunt membris paralyticis.

Flores in pulucrem contriti, & cum Auricula muris, atq; Origano pari pondere permisti, & dimidium pondus sacchari si addatur, auxiliatur contra album fluxum mulierum non naturalem, ad modum Trageæ sumpti.

Contra omnem dolorem coxendicum decoque hos flores in aqua, qua coxas & aluum inunges à balneo.

DE AQVA MYRICAE.

Hoc frutice florente, herba, folia, & flores simul decerpta & con
B cisa distillantur.

Hæc aqua ultra modum conducit ad imbecillitatem & caliginem oculorum, mane ac uesperi singulis uicibus duabus aut tribus guttis instillata.

DE MYRRHA.

NOMENCLATVRAE.

Σμύρνα.

Myrrha.

Myrrh.

ANNOTATIO IN MYRICAM.

MYRRHA arbuscula est in Arabia prçcipuè nascens, ut Plinius scribit, altitudo ei ad quinq; cubita, nec sine spina, cortice duro, & intorto, cuius gutta quæ sponte stillat uiridis est, & amara, quæ eodem nomine uocatur Myrrha Arabica, siue stacte, id est gutta, siue stilla Myrrha. Eius uirtus est, ut corpora imputribilia reddat. Eligenda est Myrrha, ut Dioscorides docet, quæ recens, fra-

C gilis, non ponderosa sit, & undiq; sibijpsi concolor, & quæ confracta candidas unguium modo, lenesq; uenas intus habeat, amaro gustu & odorata. Hæc in nostra Myrrha quæ in officinis extat, non sunt, unde omnes docti concludunt, nos uera Myrra cerere, & adulterinam esse, quæ ad nos adfertur. Ex Troglodytica regione quę est Aphricæ pars, probatissima myrrha adfertur. Myrrha autem quam nos habemus, ut Antonius Musa putat, ea est quæ secundo loco à Dioscoride scribitur, & caucalis uocatur.

TEMPERAMENTVM.

Myrrha calida est & sicca in secundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Pillulæ confectæ ex Myrrha & Storace, ac sumptæ, prosunt contra asthma & tussim, expurgant caput à catharro.

Myrrha cum uino decocta, & in potu sumpta, concoctionem adiuuat, & calefacit stomachum.

Suffitus ex Myrrha ore & naribus attractus, confirmat cerebrum.

Eadem conducit sterilibus fœminis, quę concipere nequeunt, in
D uino sumpta, uel suffitu inde ab inferiore parte facto.

Quibus aluus ualde est constipata, ut antur Myrrha in iusculo casci, tum auxiliatur.

Viscosos humores in spiritualibus membris purgat.

Mollit præclusos muliebres locos Myrrha & aperit. Menses fœtusq; celerrimè extrahit, ex absinthij lupinorumue diluto, aut rutæ succo apposita.

Contra ueterem tussim magnitudine fabæ deuoratur: eodem modo ad orthopnœam, ad laterum dolores, ad alui profluuia, ad dysenterias.

Horrores febrium discutit, duabus horis ante accessionem cum pipere & aqua pota.

Subiecta linguæ fuctu gutturis scabritiam emendat, obtusam uocem expedit.

Commanducata graues halitus oris, & ingratum animæ fœtorem abolet, & cum alumine liquido peruncta, uirus alarum extinguit: cum uino & oleo colluit os, quibus ginginæ labant, sic mobiles firmat dentes & stabilit.

DE MYRTO ET MYRTILLO.

NOMEN.

A

NOMENCLATVRAE.

Μυρσίνη.

Myrtus.
Myrtillus.
Pors.

Heydelbeer.

ANNOTATIO IN MYRTVM.

B MYRTVS est arbor in Italia oleæ similis, sed ramis foliisq; minoribus, angusta fronde, perpetua, seriatim dispositа, flore su prà fructum insidente, baccis nigris, piperis gustu, succo uinoso, stirpe inæquali & ramosa. Præest Venus arbori, quippe quæ littoribus maximè proueniat. Ex baccis eius fit uinum quod myrtidanum uel myrtiten appellant. Per Myrtillos autem medici intelligunt Mora illa syluestria, quæ à Germanis Heydelbeer dicuntur. Nonnulli ea Latine appellant Mora dumi, Apud Dioscoridem & Plinium non describuntur.

DESCRIPTIO.

Myrtilli sunt uirides arbusculę, foliis purpureis, fructus habent qui repręsentant formam iuniperorum, gaudent locis montosis.

Myrtus est uiridis arbor, quæ nigredine quadam est permista: est etiam quæ ruborem repręsentat. Prior est melior.

Hæc arbuscula producit fructum atq; semen: fructus potest seruari duobus annis, folia siccantur ad solem, sed flores recentes maiorem habent efficaciam.

TEMPERAMENTVM.

Folia, succus, flores, & fructus sunt eiusdem naturæ. Habent uerò tenuem caliditatem, atq; etiam frigiditatem, uehementer desiccant. Constat enim, ut Galenus docet, hęc planta ex contrarijs substantijs.

VIRES

C VIRES AC IVVAMENTA.

Succus medetur pulmoni uitiato, refocillat thoracem malum, ciet urinam.

Ex folijs si quis bibat, medentur morsibus uenenatorum.

Folia in uino elixa, & uulneribus emplastri modo imposita, ea citò sanant.

Eadem in aqua cocta, & linteolum inde madefactum, ac oculis applicatum inflammationem ac tumorem tollunt. Inter omnes Syrupos qui faciunt ad dolorem pulmonis, nullus est melior quàm Syrupus ex myrto.

Fructus prodest sanguinem expuentibus.

Succus ex hoc fructu ciendæ urinæ est accommodatus, tollit ue. sicæ erosiones.

Sequuntur Herbarum nomina de Litera N.

DE NASTVRTIO.

D

NOMENCLATVRAE.

Κάρδαμον.

Nasturtium Cardamum.
Nasturtium agreste.
Nasturtium aquaticum
Senacion.

Kressen.
Gartenkresse.
Wildkresse.
Brunkresse.

ANNO.

A

ANNOTATIO IN NASTVRTIVM.

NASTVRTIVM notum ubiq; nunc olus est. A Græcis Καρδάμου dicitur, ἀπὸ τῆς καρδίας, quoniam cor fouet, & in sincope illa, quam medici cardicacã uocant, plurimum ualet: nempe dum uires alicui repente deficiunt, ut animo linquatur. Vel Cardamum dicitur, ut Erasmus exponit, quasi cor domans. Nasturtium autem appellatum est, ut Plinius docet lib. 19. cap. 8. à naribus torquendis, quòd odore & seminis acrimonia, sternutamenta prouocet. Hinc factum est prouerbium. Edè nasturtium, quod in socordem, hebetem & stupidum olim dicebatur, propterea quòd huic efficaciam inesse credant, erucæ contrariam: uim em̃ uigoremq; animi suscitare, uenerem coércere, quum illa ediuerso Venerem acuat, uim mentis hebetet. Dioscorides tradit nasturtio uim esse similem Erucæ & sinapi, quod attinet ad acrimoniam in nares erumpentem. Cæterum quòd ait Nasturtio stimulari Venerem, dissentit à Plinio.

Nasturtium olus est, quo Germani plærunq; utuntur in acetario, sed uidendum est ne edatur absq; herbis refrigerantibus, ut lactuca, acetosa, & portulaca, quæ igneam uim temperent, quemadmodum & Galenus præcipit, non esse comedendam Erucam sine lactuca, ut contraria uis temperetur.

B

DESCRIPTIO.

Nasturtium hortense est acris herba, sapore cepæ similis, caulem habet cubitalem, floribus albis, ex quibus fit calyculus latus, in quo semen continetur, semen est rubicundum, acri sapore. Crescit ubicunq; seritur.

Nasturtium duorum generum est. Alterum mite, alterum syluestre. Syluestre nascitur locis aquosis & in fluuijs, quod etiam maximis pollet uirtutibus.

TEMPERAMENTVM.

Nasturtium calefacit & desiccat in tertio ordine. Platearius inquit: Nasturtium est calidum & siccum in quarto gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Semen eius præcipuè competit usui medicinæ, & in multa efficatia per quinq; annos seruatur. Herba uiridis magnæ est efficaciæ, exiccata modicæ.

Semen habet uirtutem calefaciendi & desiccandi superfluos humores, & fermè æquat uirtutem Sinapi.

Semen in uino sumptum, fœtum mortuum expellit.

Cum aceto bibitum, tumorem lienis discutit.

Cum melle comestum, tussi remedio est, pectus relaxat.

Contra paralysim linguæ ualet, semen masticatum, & in ore retentum.

Non

C Non conducit ut Nasturtium solum edatur, nam uires hominis comminuit,& malos generat humores,gaudet enim nasci in humida terra,& rarò apud solem.

Semen destillationes capitis restringit, absq; nocumento,si integrum sumatur.

Semen in puluerem redactum, & per nares assumptum, expurgat cerebrum,& medetur doloribus capitis.

Semen Nasturtij auxiliatur contra paralysim, in uino coctum, & ita calidum in sacculo membro paralytico impositum.

In lethargia fit sternutamentum ex puluere seminis eius.

Semen cum siccis ficubus decoctum,& gargarismate ex eo facto uuam relaxatam eleuat & siccat.

Ad capitis uitia, & porrigines & furfures nasturtij semen misce cum adipe anserino,& tritum inunge.

Egressum anum reprimit puluis seminis illitus.

Semen ex uino omnia intestinorum animalia expellit, efficacius addito mentastro: prodest & contra suspiria,& tussim cum origano,& uino dulci: pectoris doloribus decoctum in lacte caprino succurrit: panos discutit cum pice: extrahitq; corpori aculeos,& maculas illitum cum aceto.

Coxendicibus & lumbis cum polenta & aceto illinitur.

D Lienem incremento laborantem extenuat ex uino potum, uel cum fico. Contra carcinomata adijcitur ouorum album.

Semen in aceto decoctum,dissoluit schrophulas.

Succus capillorum sistit defluuia.

DE AQVA NASTVRCII.

Tempus distillandi Nasturtium conueniens est, in fine Maij.

Aqua Nasturtij facit ad uariolas & parotidas, si cum melle permista, lineis pannis in ea immersis imponatur, quibus siccatis iterum eos madefacies, tum rubras maculas extrahit. Si uariolas in cruribus habueris,tum ex talo pedis sanguis detrahendus est,& bibe eam mane ac uesperi permistam cum aqua fragorum. Abstineas ab omnibus calidis cibis.

Aqua Nasturcij mane ac uesperi iiij.uncijs pota, discutit tumorem,pellit lumbricos uentris.

Vlcera & tumores gingiuarum reprimit, si sępius inde fricentur.

De Nasturtio Aquatico, uide infrà in Capitulo de Senacione.

DE NENVPHARE.

NOMEN.

A

B

NOMENCLATVRAE.

Νυμφαία.

Nenuphar.
Nymphæa.
Claua Herculis.
Papauer paluſtre.
Alga paluſtris.

Seeblüm.
Herculis wurtzel.
Hornwurtz.
Kollerwurtz.

ANNOTATIO IN NENVPHAR.

NENVPHAR ab officinis Barbara uoce uocatur, quam Romani pariter Græcis Nymphæam dicunt. Plinius inquit, à Nympha nomen huic herbæ factum fuiſſe, quę claua ab Hercule interfecta ſit, uel ipſa Zelotypia eius in tabuerit, & in paluſtrem hanc plantam mutata: Quare Heracleon uocant aliqui, alij Rhopalon à radice clauę ſimili. Iuxta Dioſcoridem tamen Nymphęæ nomen ſibi uendicaſſe uidetur, quoniam aquoſa amet loca. Vulgaris & nota omnibus herba, qua nihil in paluſtribus ſpecioſius naſcitur.

DESCRIPTIO.

Nenuphar planta eſt in fluuijs & aquis ſtagnantibus naſcens, ex aquæ uado magna radice prodiens, foliis latis & rotundis ſuper aquam ſupereminentibus. Floribus candidis aut luteis ex quibus fit capitulum uiride ad Papaueris formam, in quo ſemen continetur.

Eſt autem in duplici differentia. Altera enim candidos habet flores, ea bonitate antecellit. Altera uerò luteos flores: quæ non adeo

C est probata ut prior. Flores in Septembri collecti, per duos annos in multa efficatia seruantur.

TEMPERAMENTVM.

Nenuphar est frigidæ & humidæ complexionis in secundo.

VIRES AC IVVAMENTA.

Fit ex floribus Syrupus, cuius usus est in febribus acutis, & adhepatis ardorem.

Talem Syrupum hoc modo conficies: Accipe flores Nenupharis & in aqua elixos, linteolo percola, & quantum uolueris sacchari admisce, paratur eodem modo, quo Syrupus uiolarum.

Contra dolores capitis ex calore, idem usurpatur.

Saraceni imponunt flores per noctem in aqua, & mane bibunt talem, & etiã nares ea illinunt, priusq; in lucem prodeant, quicunq; hoc faciunt, eo die nullum dolorem capitis sentiunt, neq; ullus morbus eos inuadit. Syrupus ille sumptus, aluum emollit, facit ad febres æstiuales, extinguit calorem.

Flores in medicina usurpantur, & herba minimè.

Radices eius rades & dabis manducare dysenterico diebus decem, & sanabitur.

Succus radicis in uino rubeo bibitus, idem præstat.

D Nenuphar conciliat somnum, inflammationem capitis, iocinoris, stomachi, atq; cordis sedat.

Si coquatur in oleo, cũ rosa uiola, & pauxillo uini granatorum, usq; ad uini consumptionem, erisypelam extinguit, & Cholerica apostemata, si inde illinantur.

Restringit sanguinem, subducit aluum, semen autem sistit.

Semen cum uino potum uentrem sistit. Nymphæa tumoribus imposita, eos repellit.

Cœliacis utiliter in uino bibitur, & intestinorum torminibus, Lienem minuit.

Stomachi atq; uesicæ doloribus emplastri modo imponitur. Vitiligines ex aqua exterit.

Capilli defluuia, quas ἀλοπεκίας dicunt, cum pice imposita explet.

Bibitur etiam contra nocturnas Veneris & somniorum imagines, quas compescit & restringit. Trita plagis imponitur.

Succus cum uino tritus, datur dysenteriæ compescendæ. Testium tumori super imponitur. Plagæ, trita & imposita, sanguinem sistere creditur.

Venerem in totum adimit Nymphæa, ut Plinius autor est, semel pota in xl. dies.

Insomnia quoq; Veneris, à ieiuno pota, & in cibo sumpta, Illita quoq; radix genitalibus, inhibet, non solum Venerem, sed effluentiam geni-

A tiam genituræ, ob id corpus alere, uocemq; dicitur. Quam ob cauſam monachis aliiſq; perſonis religioſis qui caſtitatem uouerunt, conducibilis eſſet herba.

DE AQVA NENVPHARIS.

Candidi flores Nenupharis cum plene ſunt maturi, recto tempore in Balneo Mariæ diſtillantur.

Aqua hæc x. aut xiij. dies in potu ſumpta mane & ueſperi ſingulis uicibus ad duas uncias, facit ad fellis ſuffuſionem, & calidam atq; ſiccam tuſſim. Prodeſt illis qui apoſtema pectoris cum dolore laterali habuerint. Cum ſaccharo pota, prodeſt contra ulcera inteſtinorum, mollit aluum calida m: conducit ad antiquum & aquoſum ramicem.

Contra calorem peſtis confert bibita, dolorem capitis pellit, atq; tuſſim ſedat, facit ad apoſtema lienis, ſi ex calore proueniant.

Omnes inflammationes potenter extinguit in corpore hominis, mane ac ueſperi linteolis impoſita. Præcipuè prodeſt ad refrigerandum caput, ſi ſæpius illinatur, & calido cordi ſuccurrit linteolis impoſita. Valde prodeſt contra tabem intrinſecus ſumpta, uel extrinſecus impoſita. Ardens iecur refrigerat, foris impoſita lineis pannis.

B

DE NESPILO, QVAM LATINI MESPILVM APPELLANT.

NOMENCLATVRAE.

Μέσπιλον.
Μέσπιλον.

Neſpilus.
Neſpilum.
Meſpilus.
Meſpilum.
Neſpelnbaum.
Neſpelen frucht.

ANNOTATIO IN NESPILVM.

NESPILVS uulgò dicitur arbor quæ à Latinis pariter & Græcis Meſpilus dicitur, cuius fructus Meſpilum dicitur, Galenus communi uocabulo tricoccum quaſi trioſſum, aut trigranium ab aliquibus appellatum meminit, quoniam tria intus grana ſiue li-

C gna feminis loco, fructus contineat. Galli, ut Ruellius scribit duo obseruant Mespili genera, unum quod rarioribus horret spinis, in dumetis & nemoribus neque non uiuis sepibus quasi syluestre nascens, pomo paruo, & per initia tam acerbo, ut uix edendo sit, prius quàm per hyemis frigora mollescat. Alterum grandiore pomo, ita ut mala reliqua magnitudine peræquet, sine spinis, q̃d uidetur crebro insitu in hortis commituisse, & feritatem cultu deposuisse. Dioscorides ponit & aliud Mespili genus, in Italia nascens, quod plærig; Epimelida appellant, nonnulli uerò setanium. Poma Mespili per gelicidia acerbitate domita in passo uel mulso coquuntur, adiecto cinamomi momento, cibatu uescentibus gratissimo: fructum usurpant medici ad coërcendum alui fluentis impetum. Mespila ad seruandum leguntur nec dum mitia, quæ & in arbore diu durabunt, uel in urceolis picatis, uel in ordinem suspensa, uel ut quidam uolunt, posca uel sapa condita. Die serena legantur ac media, & paleis obruantur, discreta ne uicissim ea tactus adficiat, uel cum pediculis lecta semimatura & salsa aqua per dies quinq; macerata, postea sæpe infundantur, ut enatent. Seruantur & melle, si minus matura legeris. Hæc arbor foliis est prius rubris quàm deciduis, radice inextirpabili, ignota Italiæ Catonis æuo.

DESCRIPTIO.

D Mespilus arbor est spinosa cuius fructus sunt flauo colore, figura & magnitudine exigui mali, & concoctu difficiles, folia habet arbor cotoneo similia, & corticem asperum.

TEMPERAMENTVM.

Mespila sunt frigidæ & siccæ naturæ.

VIRES AC IVVAMENTA.

Astringit in cibo Mespilus, stomacho utilis, & aluum sistit, ut Dioscorides scribit.

Mespila uomitionem per superiora cohibent, stomachum confortant, singultum & cruditatem pellunt.

Ante cibum sumpta Mespila uehementer dissolutum stomachum astringunt, ut Platina inquit, fluxus alui immodicos fortissimè reprimunt, ob frigiditatem & siccitatem, dentium doloribus medentur. Folia quoq; eius & cortex, itemq; radices tunsę & impositę, feruori ac tumori subueniunt: sicca & trita cum melle ad cicatricem uulnus adducunt.

Eorum succus cum uino haustus, ueneficis potionibus repugnat.

DE NIGELLA.

NOMEN.

A

NOMENCLATVRAE.

Μελάνθιον.

Nigella.
Git.
Raten.
Raden.
Schwartz Coriander.
Schwartz Kimich.

ANNOTATIO IN NIGELLAM.

NIGELLA Latinis, Græcis Melanthion dicitur, ab utrisq; nomen ei inditum ratione nigri seminis. Git quoq; à Latinis appellatur. Sciendum est herbam illam quæ passim in segetibus nascitur Nigellæ cognomento, & Germanice **Raden** aut **Ratten** dicitur, non esse ueram Nigellam, quam Dioscorides Melanthion appellat, sed aliud omnino genus uidetur esse, & pseudomelanthion uocari potest aut Githago, ut Hermolaus Barbarus indicat. Vera Nigella cuius in medicina usus est, inquit Euritius Cordus in suo
B Botanologico, à Germanicis uocatur. **Schwartz Coriander** aut **Schwartz Kümmel**, id est Nigrum Coriandrum, & nigrum Cuminum, ea habet semen odoratum, quod quondam grato sapore panem commendabat, ut Cuminum uel anisum.

DESCRIPTIO.

Nigella duplex est. Altera quæ passim in segetibus nascitur, floribus purpureis, semine nigro quod in uasculis continetur. Altera est quæ dum seritur, in hortis nascitur, Habens flores cæruleos, & quatuor folliculos simul connexos, in quibus continetur semen, quod iucundum odorem habet, & ad uaria usurpatur ratione optimi sui odoris. Hæc autem est quam ueram Nigellam dicunt, quæ passim etiam in pratis ac sepibus nascitur, ut Vergil. Marcellus scribit.

TEMPERAMENTVM.

Nigella calefacit atq; deficcat in tertio ordine, uideturq; esse partium tenuium, ut inquit Galenus. Gaudet nasci locis petrosis & inter segetes. Semen Nigellæ durat decem annis synceris uiribus.

VIRES AC IVVAMENTA.

Farina ex Nigella cum succo absinthij permista, emplastroq; indefacto, necat lumbricos alui, & præcipuè in infantibus.

Eadem farina cum melle temperata & scabiosis exhibita, remedio est. Tollit quoq; lentigines & maculas faciei.

Eadem accto permista & auribus instillata, uermes in eis necat.

C Nigella uitro indita,& in uino decocta,ac bibita,succurrit stillicidio urinæ.

Eodem modo ischiadi succurrit.Nigella pondere unius drachmæ sumi debet,neq; ultrà.

Nigella ligata in panno lineo,& admota naribus, tollit catharrum,& destillationem capitis.

Accipe radicem Ireos & in puluerem contunde, atq; farina Nigellæ admista,utere cum aceto & illine,hoc præcipuè tollit lepram.

Nigella decocta cum aceto & ore inde colluto,prodest dentium doloribus. Nutricibus noxia est,lac enim extrahit.

Malos & constipatos humores in homine nigella concoquit. Ictus à uenenato animali drachmam nigellæ in uino sumat. Suffitu serpentes fugat & alia uenenata. Nigellæ drachma in farinam contusa,apijq; semine admisto,diutinam febrem pellit, & præsertim quartanam.

Bonam partem pulueris Nigellæ in aceto decoque usq; ad crassitudinem, deinde nucum oleo addito, unguentum inde confice. Hoc malignæ scabiei medetur:discutit quoq; ex facie scabiosas maculas,quando itur cubitum,illitum.

Nigella modice sumpta,prodest calculo laborantibus;difficultatem spirandi cum uino pota leuat.

D Capitis dolores sedat ex aceto illita, & infusa naribus, discutit recentes oculorum suffusiones,trita ex irino,& infusa naribus.

Tollit lepras,lentigines, duritias, tumoresq; uetustos cum aceto illita.

Circum scarificatos clauos excutit cum uetere uino imposita. Teretes uentris tineas expellit, peruncto ex aqua umbilico. Contrita cum melle & felle taurino,aloeq;,& emplastri modo umbilico super imposita,lumbricos puerorum interficit.

Culices suffitu necat,item muscas.

DE AQVA NIGELLAE.

Tota herba cum sua substantia distillatur in fine Maij.

Aqua Nigellæ membris prodest, si mane ac uesperi ea fricentur. Facit ad unguem oculorũ quantumuis periculosum, si per tres aut quatuor hebdomadas uesperi una hora ante noctem, oculis indatur. Probata est contra fistulas, si mane ac uesperi ex ea lauentur, uel si linteola in ea madefacta imponantur,

DE NVCE AVELLANA.

NOMEN

A

NOMENCLATVRA.

Λεπτοκάρυον.

Nux Auellana.
Nux Pontica.
Nux Coryli.
Nux prænestina.

Haselnuß.

ANNOTATIO IN NVCEM AVELLANAM.

AVELLANAM nucem ex Corylo nasci manifestum est, nomen autem sortita est ab Auella oppido Campaniæ, ubi abundat. Græci eam Ponticam nucem appellant, quòd in Asiam Græciamq; primò è Ponto uenit,
B Λεπτοκάρυον etiam ab illis dicitur, id est minor nux. Eadem & Prænestina uocatur, quod Prænestini his abundent. Quædam ex Auellanis rotundum nucleum habent, quæ citius matureſcunt, aliæ oblongum, quæ tardius ad maturitatem ueniunt, & diu seruantur. Auellanæ ollis conditæ in terra uirides seruari creduntur.

TEMPERAMENTVM.

Nuces Auellanæ sunt calidæ & siccæ naturæ.

VIRES AC IVVAMENTA.

In cibo sumptæ, pinguedinem corpori conferunt. Tritæ in aqua mulsa & potæ, ueterem tussim leuant. Alij uerò tritas & cum passo bibendas dedere ad pulmonis & iecoris uitia sananda.

Cum axungia & adipe ursino contritæ, & alopetijs illitæ, capillorum damna restituunt.

Oleum auellanarum dolorem membrorum tollit illitum.

Auellanæ in cibo sumptæ, dolorem capitis incutiunt, inflatione stomachum distendunt.

Multi cum pipere miscuere, & cum uino propinatas contra catharrum, & tormina uentris, & urinæ distillantis angustias ualere senserunt.

Ferunt præter hæc aliqui cremato tritoq; earum putamine, si quis ex oleo pueri synciput inunxerit, cesium in pupulis oculorum

C colorem in nigrum mutari, eodem capillum etiam denigrari.

Pinguedini plus conferunt quàm sit uerisimile, & præter fidem corpulentiam augent.

DE AQVA AVELLANARVM.

Circa Calendas Iulij Auellanæ contusæ, sunt distillandę.

Si manus atq; brachia hac aqua mane ac uesperi fricentur, & per se iterum siccescant, facit ad scabiem, & tremorem manuum.

DE NVCE IVGLANDE.

D

NOMENCLATVRAE.

Κάρυον.
Βασιλικὸν.

Nux Iuglans.
Nux Basilica.

Baum Nuß.
Welsch Nuß.

ANNOTATIO IN NVCEM IVGLANDEM.

IVGLANS, est quæ communi nomine Nux appellatur, & inter nuces primum locum obtinet, à iuuando & glande dicta: uel quasi Iouis glans, quasi Ioui dicata, ob egregium fructum. Hæc enim arbor nuces habet suauiori sapore quàm glandes. Hanc nucem ob excellentiam Græci Basilicam appellant, quasi inter nuces regalem, Plinius. Et Iuglandes è Perside à regibus translatas, indicio sunt Græca nomina. Optima earum genera sunt, quę Persica atq; Basilica uocant, Persica quidem in tantum augentur, ut putamen rumpant, ideoq; molluscę nuces, à putaminis mollicie uocitantur. Est & aliud nucis iuglandis genus, quæ Tarentina dicitur, fragili putamine, & ita mollis, ut uix attrectata frangatur, & auium furto semper expositum.

TEMPERAMENTVM.

Iuglandes calefaciunt in tertio, & desiccant in principio secundi gradus.

A gradus. Nux uiridis natura minus calida est & sicca, quàm arida, & stomachum minus lędens.

VIRES AC IVVAMENTA.

Nux uiridis, ut Ægineta inquit, humidior est & uentrem citat. Arida si, ubi in aqua cōmaduerit, membrana ipsius interior adimatur, consimilem uiridi potestatem obtinet.

Nuces Iuglandes hominem reddunt suspiriosum, generant tussim & dolores capitis, uerum ad uenenum pellendum conueniunt. Recentes nuces iucundiores sunt. Siccæ noxiores, stomacho inutiles, bilioſę, difficiles concoctu, dolorem capitis inferentes. Tussientibus inimicę, sed uomituris ieiunis aptę.

Folia atq; cortices nucis natura adstringunt nimiū profluuium sanguinis,

Oleum è nuce iuglande quod carynum appellatur, ut Plinius inquit, alopecijs utile est, & tarditati aurium infusum.

Item capitis doloribus illitum, Cęterum iners & graue, sapore corpori.

Oleum nucum generat asthma, facitq; hominem multis morbis obnoxium, inducit raucedinem.

Nimius esus nucum paralysim linguę creat, & inducit uomitum,
B Cum melle & carycis sumptæ, uenenum pellunt.

Contra pestem, Accipe nucleorum iuglandium, Iuniperorum, rutæ, singulorum unciam, confice cum aceto, mane quando proditurus es in lucem, sumes inde ad magnitudinem nucis, tum eo die tutus es à peste. Potes idē gestare in linteolo & naribus admouere.

Fertur qui ieiunus sumpserit duas nuces siccas, & totidem ficos, cum rutæ foliis uiginti simul tritis, addito salis grano, nullum uenenum eo die nociturum.

Nuces præsumptæ & à cibo statim sumptæ, cum ruta & carycis, letalibus uenenis aduersantur.

Accipe oleum nucum & oleum oliuarum pari pondere, & caput prius lotum inde inunge, tum furfures capitis pereunt priusq; hoc bis feceris.

Putamen combustum tritumq; in oleo & uino, infantium capite peruncto, nutrit capillum, & ad alopecias eo sic utuntur. Areas capitis breui momento replent pilo, cōmanducati, & protinus ex ore impositi nuclei.

Contra rabiosi quoq; canis morsum nuclei à ieiuno homine commanducati, illitiq;, præsenti remedio esse dicuntur. Nuces item cum sale, ruta atq; cæpis, addito melle, æqualiter commistæ, & tritæ imponuntur morsui rabidi canis, & resistunt quoq; morsui cuiuslibet uenenati.

Mammarum

C Mammarum inflammationi & abſceſſibus, luxatiſq; emplaſtri modo imponuntur, cum exiguo melle & ruta.

Nucleus eſtur in teneſmo ad extrahendam pituitam.

DE AQVA NVCVM IVGLANDIVM.

Nuces iuglandes circa Kalendas Iulij uirides contunduntur, & diſtillantur.

Aqua nucum per diem bis aut ter uulnerato potui data, arcet inflammationem, & linteolo ſi imponatur.

Eadem per diem duabus aut tribus unciis in potu ſumpta, facit ad omnem calorem, prodeſt nigris puſtulis, ut carbunculo & anthraci aliiſq; puſtulis peſtilentibus, lineis pannis impoſita. Item medetur peſti in potu ſumpta.

Pellit herpetas linteolis impoſita, nam extinguit & ſedat dolorem.

DE AQVA EX PVTAMINE IVGLANDIVM nucum.

Exteriorem uiridem corticem in Septembri diſtilla.

Aqua hæc cum tertia parte aceti in potu ſumpta, quando calor ex peſte aliquem inuadit, & ſi prius uena inciſa, eam intra uiginti quatuor horas ſumpſerit, certum & probatum eſt remedium contra peſtem.

D Auribus indita prodeſt contra tinnitum ac ſonitum aurium. Ad eadem proſunt putamina ex maturis nucibus.

DE AQVA FOLIORVM NVCVM.

Folia nucum decerpta & conciſa in fine Maij diſtillantur:

Hæc aqua exiccat aperta ulcera, ſedat calorem, & facit æqualem cutem renaſci ſuper ulcera, linteolis impoſita & mane ac ueſperi, ſi inde lauentur.

DE NVCE MVSCATA.

NOMENCLATVRAE.

Μοσχοκάρυον.
Κάρυον μυρίσικον.

Nux Moſchata.
Nux Myriſtica.

Muſcaten Nüß.

ANNOTATIO IN NVCEM MOSCHATAM.

NVX moſchata à recentioribus Græcis Moſchocaryon dicitur, ut Ruellius ſcribit, Latini ea imitatione nucem moſchatam uocant. Apud

A cant. Apud antiquos Grecos, ut Dioscoridem & Theophrastum, nihil de ea reperitur. Caryon myristicon, id est Nux Myristica etiam à posterioribus Græcis appellatur, & ita in Latinum cessit, ut hoc nomine diceretur. Aëtius Caryon aromaticum, id est odoratum uocat. Multum à ueritate deficere uidentur, ut inquit Ruellius, qui nucem odoratam, quam uulgò dicunt moschatam, per glandem unguentariam apud Dioscor. comprehendi putant, longè profectò differentem, & ueteribus prorsus incognitam. In medicina non solum magnas habet uires, sed etiam in ganeam & culinas descendit, ut obsonia suo sapore condiat, nullumq; temere condimentum sine hac nuce moschata struitur.

DESCRIPTIO.

Nux moschata est fructus arboris in India.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat in secundo ordine, quod etiam Aëtius testatur.

VIRES AC IVVAMENTA.

Probatur quę parum lata, ac ponderosa fuerit, & quę fracta pulueremnon emittat. Habet uirtutem confortandi.

Nux moschata sumpta cum ouis aut iusculo, concoctionem adiuuat.

B Colorem emendant, si quis mane dimidiatam comederit.

Nux moschata in uino elixa & bibita, prodest iocineri atq; pulmoni. Si eiusmodi uino Mastiche, Anisum & Cyminum admista fuerint, hoc in potu mane ac uesperi sumptum corroborat cerebrum. Sistit fluxum menstruorum, & præterea magnas uires præbet.

Contusa atq; cum lauri baccis commista, atq; in potu sumpta, ciet urinam.

Nux moschata aluum adstringit, distendentes stomachum spiritus discutit, oris suauitatem commendat, & fœtentis animæ uirus abolet, stomachum & iecur roborat, lentigines in facie & impetigines emendat, lienem incremento laborantem reprimit, & ut in uniuersum pronuncietur, natura ei eadem quæ Caryophyllis.

Corpus humanum ui sua & odore adiuuat, oculorum aciem hebetatam acuit, uomitum sedat, appetentiam inducit, stomachum atque epar fouendo, ut scribit Platina.

DE NVCE INDICA.

NOMENCLATVRAE.

Κάρυον ἰνδικον.

Nux Indica. Nuß auß Indien. A N.

ANNOTATIO IN NVCEM INDICAM.

C NVX Indica recentioribus Græcis Caryon Indicon dicitur, ueteres huius non meminerunt. Arabes quoq; hanc nucem nobis ostenderunt, nisi ea sit quam Galenus nucem regiam uocat. Fructus (ut Mauri putant,) palmæ cuiusdam Indicæ præmagnus atq; pinguis, cuius oleum butyro quoq; præferunt bonitate succi. Nux ad nos hac effigie adfertur, Globus est prægrandis, circinatæ rotunditatis, inuolucris intectus, calloso primum herbaceoq; cortice, intus uilloso, tenui tunica exterius uestiente, qua extrita solutus in capillamenta fatiscit, capaci subtus orbe, duro, lignoso: triplici foramine, concauo anfractu, grandi, nullis loculamentis interstincto, dulci intus quum recens est liquore, nucleo molli, candido, carnoso, quum inueterauerit cartilaginoso.

Nux Indica duorum aut trium pugnorũ est magnitudine, quod intrinsecus in ea est, id in medicina usurpatur.

TEMPERAMENTVM.

Calida est & humida, confortat cor atq; sanguinem. Calida autem perhibetur abscessu secundo, ut Ruellius indicat, & humida in primo.

VIRES AC IVVAMENTA.

Ad obstructionem urinæ, utere puluere huius nucis, is opitulat.

D Quicunq; laborauerit asthmate ex frigida causa, decoquat ficus in uino, deinde admisto puluere harum nucum, illud bibat, tollit asthma, relaxat thoracem, sedat antiquam tussim.

Oleum quod ex ea exprimitur, quũ sentit uetustatem, flatus digerit. Lumborum & genuum dolores mulcet.

Sequuntur Herbæ à Litera O. incipientes.

DE OLERIBVS BRASSICA ET BLETA.

NOMENCLATVRAE.

Λάχανον.
Τευτλος.
Κράμβη.

Olus. Sicla. Bleta rubea.
Brassica. Caulis.
Kóle. Rot Kóle.

A

ANNOTATIO DE OLERE ET eius Generibus.

LVS dicitur omnis herba satiua qua uescimur, & cuius foliis,& caule utimur in edulium, ab alendo dictũ, quòd oleribus alerentur homines antequam fruges uel carnes essent. Varro ab olla deducit. Inter olera autem primas partes tenent Brassica & Beta, quæ oleris nomine sæpius à uulgo appellantur. Brassica est quæ à Græcis Crambe,& uulgò à Latinis Caulis dicitur,quo nomine etiam à Catone appellata est Brassica. A Germanis autem dicitur **Kól/Kól kraut**. Sunt autem Brassicarum multæ species,quas qui persequi uellet, tum à differentijs ipsarum, tum etiam à facultatibus, infiniti propemodum esset laboris. Est enim rubra,alba,& uiridis Brassica,quæ omnes eandem facultatem obtinent. Est quoq; Brassica capitata,quam Itali uulgò caputium appellant,omnium in cibis delicatissima, quæ quidem Columellæ & alijs rei rusticæ scriptoribus eritiana dicitur, A Plinio autem appellatur,ut Antonius Musa putat,Brassica sessilis & Cumana. A Germanis etiam à capite nomen sumpsit, **Cappes** uel **Cappes kraut** dicentibus,Brassica tantas habet in re medica facultates, ut etiam peculiares libri de eius uirtutibus à ueteribus sint scripti. De qua re quisq; legat Marcum Catonem cap. 156.& Plinium lib.
B 20. cap. 9. & Dioscoridem lib. 20. Beta autem olus est notissimum quod Serapion & uulgares Herbarij Bletam quoq; dicunt. A Germanis dicitur **Mangolt/Römisch Kól/Rüm Graß**. Appellatur quoq; Beta,Sicla,id est Sicula extrita litera.Quamuis Siculæ cognomento Beta solummodo candida ueniat, ut Theophrastus memoriæ prodidit. Eius enim tria reperiuntur genera.Candidum,Nigrum & Rubrum. plura de Beta,uide suprà.

Olus quod Brassica, uel Caulis à Latinis dicitur, estur in cibo. Est autem triplex Caulis. Ruber, Albus, & cœruleus.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat & humectat in secundo gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Caulis aluum emollit. Emplastrum ex hoc paratum & præsertim ex radice, atq; ulceribus capitis puerorum, quæ faui dicuntur, impositum,ea curat. Ex hisce ulceribus mellis instar humor fluit, haud aliter quàm in apum fauis liquidò cernere licet.

Succus ex caulibus cum oleo rosaceo permistus,& fronti illitus, tollit dolorem capitis ex calore solis contractum.

Oleri huic decocto,si admisceatur oleum amygdalinum atq; succus malorum granatorum dulcium, tollit siccam tussim.

Caulis est concoctu difficilis, inflat aluum, Phlegmaticis nocet,

C auget enim humores, nocet quoq; mulieribus menstruo fluxu labo rantibus, tales fluxus enim auget. Succus ex caule in uino sumptus, medetur morsui uenenatorum.

VIRES AC IVVAMENTA EX CATONE & Dioscoride.

Cato non parce Brassicam celebrauit, uires ergo quas ei attribuit paucis persequi par est. Brassica siue cocta siue cruda, aceto tamen intincta, mirè concoquit, aluum & lotium ciet, quod innumeris rebus est salutare. Si quempiam liberalior uini potus in cœna delectet, antecedens in cibis cruda ex aceto, ebrietatem arcet, postea quinq; sumpta folia, crapulam discutient, ita ut nullæ uinosi halitus reliquiæ uidebuntur supersesse. Luxata foueri prius aqua calida iubet, & bis die trita imponi: sic etiam fistulas & tumores euocari, quæq; discuti opus est. Vbi ex multo cibo aluus non it, Brassica utendum monet. Podagræ item morbisq; articularijs crudam comesse cum ruta, coriandro concisam, adiecto laserpitio, Oxymele, & salis momento, nihil æque prodesse testatur, item eadem ratione insomniosis. Quin & lotium eius qui esitauerit, asseruari iubet, calefactumq; neruis esse remedio, siue caput siue ceruices dolent. Hippocrates cœliacis & dysentericis bis coctam cum sale dabat: item ad tenesmum & renum causas. Crudus caulis si detur, partus emortuos pellit. Cibo eo sensum purgari, Erasistrati schola clamat, nihil

D esse utilius stomacho, neruis: ideo paralyticis & tremulis dari iubet, & sanguinem excreantibus. Tradunt Græci compescere mala corporis quæ serpunt, nomas uocant, item excrescentia absumere, cicatrices ad planum reducere, oris ulcera & tonsillas, manducatam & coctam succo gargarizato cum melle: item psoras & ueteres lepras ipsius tribus partibus cum duabus aluminis in aceto acri illitis.

Brassicæ succus, ut Dioscorides scribit, cum fœnogræci farina & aceto, podagris, articulorum doloribus, sordidisq; ulceribus & uetustis, utiliter emplastri modo imponitur. Purgat per se etiam caput naribus infusus succus, & cum lolij farina appositus, menses trahit. Folia per se aut cum polenta concisa, ad inflammationes omnesq; tumores faciunt, sacris ignibus epinyctidibusq; & lepris medentur. Elixa itidem addito melle gangrænarum pascentibus malis opitulantur. Quinetiam cruda ex aceto lienosis utiliter manduntur, & commanducata sic, ut sensim per fauces delabatur succus, amissam restituunt uocem.

DE AQVA CAVLIVM.

Folia caulium conuenienti tempore distillantur in principio lunij:

Aqua

A Aqua hæc mane ac uesperi singulis uicibus ad iij. uncias in potu sumpta, adstringit fœminarum menses. Prodest ad partum, si quando tempus pariendi instat, linteolum in ea madefiat & naribus admoueatur ad olfaciendum, tum citius liberatur parturiens fœmina.

Prodest ad stillicidium urinæ in potu sumpta.

Aluum sistit mane ac uesperi singulis uicibus tribus uncijs pota.

DE AQVA RVBRI CAVLIS.

Folia rubri caulis decerpta distillantur in fine Maij.

Hæc aqua mane à ieiuno bibita ad vi. aut vij. uncias, emollit aluum: tribus autem uncijs pota, per mensem, pellit uertiginem capitis: prodest contra Apoplexiam & spasmum membrorum pota uel illita. Facit ad tremorem & horrorem membrorum, si sæpius inde fricentur, & iterum per se siccentur. Linteolis inflammationibus imposita, pellit calorem ac sedat tumorem. In potu sumpta foris & intus sanat ulcera, præterea linteolis per diem bis imposita.

DE ORIGANO.

B

NOMENCLATVRAE.

ὀρίγανον.

Origanus.
Origanum.
Heracliotica.

Doſt.
Wolgemut.

ANNOTATIO IN ORIGANVM.

RIGANVM in medicina magis efficax quàm in cibo, appellationem autem inuenit apud Græcos, quòd montibus gaudeat ἀπὸ τοῦ ὄρους, id est monte, & χαρᾶς gaudio, nanq; cliuosis lætatur. Herodianus quòd uisum exacuat nomen duxisse testatur, ab ὁρᾶν uidere, & γανῶ clarifico, quasi aciem

oculorum illustret, nam ut tradunt, prestat ut oculi clarius cernant.
C Species Origani sunt: Heracleotica ab Heraclea urbe Ponti, in qua maiore pollebat effectu. Onitis origanus, quòd ab asinis impetatur, appellationem deflexit. Tragoriganon quasi hircinum origanum, non alia forsitan ratione, quàm quòd eius pabuli uoluptate animal caperetur. Est & syluestre origanum, umbellis anethi, flore candido, radice tenui, superuacua. Origanum immortali coma uiret, constatq; acri succo. Cum Brassica tam pertinaci dissidet odio, ut aduersum olus exaresçat. Nulla est herba in qua antiqui etiam autores magis dissentiant quàm in origano, præterea nostrum origanum uulgare non omnino quadrat descriptioni Dioscoridis & Plinij.

TEMPERAMENTVM.

Origanum calefacit & desiccat in tertio ordine.

DESCRIPTIO.

Est autem duplex, Alterum est Satiuum, Alterum syluestre. Habent graciles & duros caules, flores candidos, rubore permistos, & odoratos. Syluestre lata habet folia, eadem cum satiuo pollet uirtute. Satiuum gaudet hortis, habet minuta folia. Colligendum erit quando floret, & siccandum in aëre. Folia & flores usurpari de-
D bent, quæ ad annum durant. Caulis abijciendus est.

VIRES AC IVVAMENTA.

Omnia genera Origani habent uires incidendi, siccandi, attrahendi & consumendi. Radix nullarum est uirium.

Infirmo iecinori medetur, si quis ex floribus bibat. Flores & folia conijcies in sacculum, & in uino calefacies, ac ita capiti impones, quod bene operies, ut sudorem emittat: hoc multos affectus capitis repellit, atq; etiam pectoris: prodest asthmaticis.

Origanum decoctum in uino atq; bibitum, conducit stomacho ac intestinis.

Eiusmodi decoctum aluo superimpositum, ciet urinam.

Hoc calidum in potu sumptū, tollit stranguriam ac stillicidium urinæ.

Ad Tenesmum accipe puluerem ex origano, & ano insperge, tum aluum emollit & deijcit. Herba ipsa in uino elixa oleoq; oliuarum admixto & panno lineo illita, ac pudendis mulierum subdita, tollit duritiem uuluæ atq; expurgat eam, ducitq; menses. Quicunque laborat rubicunda lepra, accipiat succum origani, succum marrubij, & modicum uini, atq; oleum hyoscyami, cuius maius pondus est accipiendum quàm succi, exiguoq; oleo tartari addito, hocsimul permisceat,

A permiſceat, atq; ſe ex eo inungat in ſudatorio quando exiturus eſt. Si autem poſt exitum dolore affecerit, tunc habere oportet hircinum ſeuum in ſartagine liquefactum, quo denuo ſe inunget, poſtea ſe in lectum albis linteis ſtratum collocet, uſq; dum ſiccetur. Deinde origanum accipiet & contundet, furfureq; tritici admixto, in ſartagine calefaciet, & hoc ita calidum ulceribus & lepræ ſuperimponet, ac linteolo ſuperligato ita iacere ſinet, uſq; dum inde calefiat: hoc ſæpius faciendum, tum homo curatur abſq; dubio. In cibo ſumet ea quæ bonum generant ſanguinem, & facilis concoctionis ſunt. Atq; aſſidue utetur Syrupo de fumo terræ. In hyeme aũt Syrupo de Eupatorio.

Origanum, ut Dioſcorides inquit, uenenatorum morſibus aduerſatur, ſi in uino decoctum bibatur.

Eſtur idem cum fico ad conuulſa ruptaq;, & cutem ſubeuntes aquas. Menſes trahit, & tuſſim eclegmate cum melle finit. Prurigines itidem, ſcabies & ſuffuſos felle emendat, his qui eo lauantur, origani decoctum.

Succus cum lacte mulieris auribus inſtillatus, earum dolores lenit.

Dentium candorem facit cum melle & nitro. Ad parotidas decoquitur cum hordeacea farina. Ad arterias aſperas cum Galla &
B melle teritur: ad lienem, folia cum melle & ſale. Craſſiores pituitas & nigras extenuat decoctum cum aceto & ſale ſumptum paulatim. Regio morbo tritum cum oleo in nares infunditur. Epinyctidas cum pice ſanat, furunculos aperit cum fico trita, ſtrumas cum oleo & aceto & farina hordeacea, lateris dolores cum fico illitum. Contuſum cum roſis, calamo aromatico, & abſinthio, & hoc calidum aſſumptum retrahit procidentem anum ad locum ſuum.

DE AQVA ORIGANI.

Tempus diſtillationis eius eſt, ut herba florens cum caule concidatur, & in fine Iunij diſtilletur.

Aqua Origani mane ac ueſperi ſingulis uicibus ad iij. uncias in potu ſumpta, facit ad aſthma & anguſtiam pectoris, intus toti corpori prodeſt.

Gargarizata ter aut quater per diem, pellit uuulam gutturis.

Sanat & exiccat tumidum palatum & faucem; ſæpius in ore retenta, pellit ſuppurationem dentium.

DE OROBO.

C

NOMENCLATVRAE.

ὄροβος.

Orobus.
Eruum.

Wicken.
Roß Wicken.

D

ANNOTATIO IN OROBVM.

OROBVS à Græcis dicitur, Romani Eruum appellant. Officinæ Grçcam nomenclaturam retinent. Est autem legumen quo boues & alia pecora pascuntur. Hominum cibis prorsus damnatur. Est enim & insuauissimum & praui succi, ut Galenus testatur. Cæterum ingenti grassante fame nonnunquam, sicut Hippocrates quoq; scripsit, ob inexpugnabilem necessitatem homines ad id etiam confugiunt. A Germanis **Wicken**, hoc legumen appellatur.

DESCRIPTIO.

Orobi nascuntur in agris, flores gerunt, ut Ciceres, purpureos, candidos & rubeos, in eodem flore, fert siliquas in quibus sunt nigri fructus, minores pisis.

TEMPERAMENTVM.

Orobus desiccat quidem excessu secundo intenso, calfacit uerò primo, ut Galenus testatur.

VIRES AC IVVAMENTA.

Habet naturam incidendi, penetrandi, ac resoluendi:

Orobi cum aqua mulsa decocti, & postea contusi atq; commisti cum farina fœnogræci, emplastri modo calidis apostematibus impositi,

A positi, emolliunt atq; refrigerant ea.

Macris hominibus prosunt, habent naturam similem pisis. Contusi cū aceto prosunt aduersus erysipelata emplastri modo impositi.

Orobis si quis utatur, cient urinam. Copiosius tamen sumpti, per aluum ueśicamq; cū torminibus aluum ducunt. Farina orobi usurpata subducit aluum. Eadem farina cum aqua mulsa temperata, facies si inde lota fuerit, purgat & exterit maculas faciei.

Farina orobi, ut Dioscorides indicat, purgat cum melle ulcera: lentigines, asperam & discolorem ceu à sole cutem, & toto corpore maculas exterit.

Sistit quæ pascendo serpunt, gangrænas cohibet, & mammarum durities mollit. Vino macerata farina orobi, canum, hominum, uiperarumq; morsibus illita medetur. Aceto autem urinæ angustias lenit, tormina, & inanes egerendi facultates, quas tenesmos uocant. Vtilis & his qui cibum non sentiunt nucis quantitate frixa & cum melle sumpta. fouentur decocto eius etiam perniones utiliter, & toto corpore prurigines.

Sequuntur Herbæ de Litera P. incipientes.

B

DE PALMA CHRISTI.

NOMENCLATVRAE.

Ὀφχις Βασίλικον.
Palma Christi.
Manus Christi.
Bucheidem.
Creutz Blůmen.

ANNOTATIO IN PALMAM CHRISTI.

PALMA Christi, ut autores tradunt, est genus Satyrionis, quod Basilicon Græci, officinæ ac Herbarñ Palmam Christi dicunt, propterea quòd radix cum humana Palma similitudinem habet, à qua Palma modo quinq;, modo quatuor, modo sex radices prodeunt, ut digitos ferè imitari uideatur. Fertur autem Satyrion fœmina esse. De hoc uerò Satyrione nusquam Græci aut Plinius. Folia habet Satyrionis similia, præsertim primæ speciei, tamen non adeo crassa sunt, & punctis quibusdam ueluti stigmatibus decoratur. Apud Arabes uocatur Bucheidem. Auicenna de ea pertractat secundo canone cap. 208. sub hoc nomine digiti citrini.

C

DESCRIPTIO.

Palma Christi planta est excelso caule, ramis in speciem crucis per medium sectis & intus concauis, foliis uiti ferè similibus, sed tantum acutioribus, floribus lupulo similibus, quibus insunt grana quæ canescunt, fiuntq; rubra atq; oblonga instar fabæ. Durat tantum per æstatem, per hyemen radix & caulis pereunt. Gaudet locis cultis.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radix prodest contra uenenum: folia contusa & imposita, sanant inflationem, & præsertim hæresypelæ.

DE AQVA PALMAE CHRISTI.

Radix tantum in fine Maij distillatur.

Aqua Palmæ Christi, mane ac uesperi in potu sumpta, singulis uicibus ad iij. uncias, corroborat stomachum, calefacit, atq; confirmat naturam.

Itidem pota discutit morbum regium, urinam promouet.

Contra omnes tumores prodest, tam intus quàm foris existentes omni matutino tempore à ieiunis singulis uicibus iiij. unciis sumpta, præterea si linteola in ea madefacta imponantur.

Sanat antiqua & recentia uulnera tam interiora, quàm exteriora mane ac uesperi tribus unciis bibita, & linteolis imposita.

D

DE PALATIO LEPORIS.

NOMENCLATVRAE.

Σονχος.

Palatium Leporis.
Sonchus.

Hasen Strauch.
Hasen Hauß.

ANNOTATIO IN PALATIVM LEPORIS.

PALATIVM leporis ab Herbarijs appellatur herba quæ apud Dioscoridem Sonchus dicitur. Est autem lactucæ similis, nisi quòd spinis horreat. Herba, ut Galenus est autor, cum tenera frondet, estur syluestrium olerum more, aculeatur autem cum perfecte adoleuerit. Dioscorides Cicerbitam à Romanis dici prodidit. Herbarij, ut Ruellius inquit, leporis palatium appellant, eo quòd hoc animal ut ab æstu uindicetur, & caloris propulset incommoda, soleat sub ramis eius decumbere, & sæpenumero stabulari. Hæc eadem for-

A dem forsitan est quę ab Apuleio lactuca leporina nominatur, quòd cum leporem animus defecit æstu, hac sibi solet mederi. Sonchus dissectus copioso diffluit lacte, ictiq; uulnus multum erucłat lactei liquoris.

DESCRIPTIO.

Herba hæc fermè Carduo similis est, præterquam quòd longiora habet folia. Radix repræsentat formam Saxifragiæ, caret floribus, semen habet rotundum, nascitur cubitali altitudine. Lepus sub hac herba latens, putat se esse tutum, nihilq; sibi metuit.

VIRES AC IVVAMENTA.

Pellit hæc herba Melancholiam & timorem: quicunq; penes se gestauerit, uel ex ea biberit, eum reddit animosum. Gaudet opacis locis.

In uino cocta & in potu sumpta, tollit tormina uentris & colicam, ciet urinam.

Eadem umbilico superligata, prodest contra stillicidium uringe, & stranguriam.

DE PAPAVERE.

B

NOMENCLATVRAE.

Græc.

Papauer.
Papauer album.
Papauer nigrum.

Magsamen.

ANNO.

ANNOTATIO IN PAPAVER.

C PAPAVER quod Græci μήκωνα uocant, & ſatiuum & ſponte naſcens reperitur. Satiui tria fecere genera, Candidum, cuius ſemen toſtum in ſecunda menſa cum melle tragematis loco edebatur. Hoc & panis ruſtici cruſtas ouo affuſo commendabat. Alterum nigrum, cuius ſcapo inciſo, lac ex eo manat, quod opium medici appellant, quo in morbis acutis, & in ſumma neceſſitate ſomnū ægrotis conciliant. Meconium autem dicitur, quando ſuccus craſſus ex Papauere nigro exprimitur. Audiuimus quoſdam cum ualetudo impatibilis odium uitæ feciſſet, hoc ſucco ſibi mortem conſciuiſſe. Tertium Papauer ῥοιὰς, hoc eſt erraticum appellatur. Hoc in ſegetibus naſcitur, & Germanice **Wildt Maen** aut **Kom Roſen** dicitur. Galenus & Dioſcorides Papaueris genera ſex enumerant.

DESCRIPTIO.

Papaueris duo ſunt genera, nigrum ſcilicet & album. Herbam habet oblongam & inciſuris diuiſam, ſcapum uerò altum & concauum. Album flores habet albos. Nigrum flores geſtat rubros, albos & cineritios, gaudet agris & hortis.

TEMPERAMENTVM.

Album Papauer natura refrigerat & humectat. Nigrum uerò refrigerat & ſiccat. Semen colligendum eſt in eſtate, quando matu
D rum eſt, hoc durat quinq; annis ſyncеris uiribus.

VIRES AC IVVAMENTA.

Ex utriuſq; ſemine emplaſtrum conficitur, huic lac muliebre, & oui albumen admiſcentur, hoc temporibus applicatum conciliat ſomnum. Ad ulcera ex contuſione facta, accipe ſemen album Papaueris, uel herbam ipſam, & admiſce oleum roſaceum, hoc ulceri impoſitum, educit magnum calorem. Ardenti iocineri quoq; impoſitum, ualde prodeſt. Puluerem ex albo Papauere permiſce cum oleo oliuarum, atq; ſpinam dorſi ex eo inunge, hoc morbum articulorum tollit, & eos corroborat. Papauer cum oleo oliuarum contuſum & emplaſtri modo circum caput applicatū, inducit bonam quietem, & ſomnum conciliat. Qui dormire nequit contundat Papauer quodlibet, atq; illud calefaciat, ſuccumq; exprimat, & faciem inde lauet, adiumentum adfert. Capita Papaueris uiridia ad craſſitiem mellis decoque, tum ad multa proſunt. Hoc ſumptum ſomnum allicit, tuſſim pellit, ſiſtit alui fluxum, ſi inde quiſpiam ſe inungat. Contra podagram, Accipe ſuccum Papauéris, oleoq; roſaceo addito, pedes eo illine, tum pellit ipſam. Semen Papaueris in puluerem redactum, & lacti admiſtum, & infantibus potui datum, conciliat eis ſomnum. Vel in pulte eſui datum, idem præſtat. Semen albi Papaueris in puluerem contritum, & cum oleo uiolarum permiſtum,

A miſtum,& ſpina dorſi inde inuncta,prodeſt contra febrem & calorem iocineris. Semen uerò papaueris nigri tritum bibitur ad citam aluum,& profluuia mulierum.

Contra uigilias ex aqua temporibus & fronti illitum prodeſt.

Succus eius maiore ui refrigerat,inſpiſſat & ſiccat. Is erui magnitudine hauſtus ſomnifica ui dolores finit,concoquit,& ſomnũ allicit,tuſſi & cœliacis affectionibus ſubuenit. Facit ad dolores capitis cum roſaceo inſperſus. Aurium uerò doloribus cum amygdalino croco & myrrha inſtillatur. Ad epiphoras oculorum cum luteo oui toſto utuntur,item ad igneſ ſacros & uulnera cum aceto. Poda gras refrigerat cum lacte mulierum & croco. Idem maiore copia potus nocet, inexpugnabilem ſomni neceſſitatem uſque ad mortem faciens.

DE AQVA PAPAVERIS.

Conueniens tempus diſtillandi utrunq; Papauer eſt, ut herba conciſa in principio lunĳ diſtilletur.

Prodeſt hæc aqua contra rubras maculas faciei, ſi per diem bis ex ea lauetur.

Manus reddit candidas, ſi ſæpius inde lauentur.

B Temporibus aut uenis pulſatilibus illita & iiĳ.uncĳs bibita,quando cubitum itur,inducit bonam quietem,allicit ſomnum, mitigat dolorem capitis ex calore prouenientem, illita. Linteolis impoſita, omnes calores extinguit, prodeſt ad cutem ex ſole aduſtam lintcolis impoſita,extrahit calorem.

DE PARIETARIA.

NOMENCLATVRAE.

Ἑλξίνη.

Parietaria.
Victorialis.
Perdicium:
Vrceolaris.
Herba S. Petri.

Tag vnd Nacht.
S. Peters Kraut.

ANNO.

ANNOTATIO IN PARIETARIAM.

C PARIETARIAM esse herbam eam quæ à ueteribus Helxine uocatur, nulli dubium esse debet, nam hoc non solum Dioscoridis descriptio ostendit, uerum & Leonicenus uir acerrimi iudicij, & Hermolaus Barbarus, Ottho Brunsfelsius, Ruellius in medicina Herbaria pertissimi, summo consensu hoc testantur. Helxine autem Grȩcis dicitur, ab ἕλκω, traho, quòd folijs hirsutis, proxima quę que attrahere uideatur: atq; hęreat uestibus ac quibusuis alijs rebus. Herba Muralis Plinio dicitur, uulgò autem Parietaria & Muralium: quòd parietibus & muris adnascatur & inhæreat. Vrceolaris à Latinis quoq; dicitur, quòd detergendis urceolis uitreis idonea sit. Eadem ratione uulgò Vitriolum uocatur. Perdicium quoq; à nonnullis appellatur, quoniam perdices hac præcipuè delectentur & uescantur. Parthenion quoq; dicta est, ut Hermolaus Barbarus scribit, quoniam à Minerua somno contra præcipitia lapsusq; monstrata est Pericli Athenicnsium principi, cum in arce templum ædificaret, uernula charus supra altitudinem fastigij repsisset, unde cccidisset, hac herba dicitur sanatus, quare Parthenion uocari cœpta est, assignaturq; ei deæ. Est & altera Helxines species, hederaceum folium habens, quæ quia in uinetis ut plurimum nascitur, à Grȩcis cyssampelos dicta est, quasi uitis hedera. Parthenion autem multis herbis nomen est commune, nam artemisia, præterea & matricaria eo nomine appellantur ab autoribus.

D

DESCRIPTIO.

Parietaria est herba bicubitalis, gaudet nasci prope stillicidia tectorum, uel iuxta parietes, caulem habet paruum, folia atq; semen sunt aspéra, adeò ut adhæreant.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; siccat in tertio ordine. Semen autem eius natura frigidum est & humidum. Dioscorides hanc herbam frigidæ & adstringentis naturę esse contendit. Idem Celsus, Plinius, & Paulus, denicp Galenus & Aëtius etiam humiditatem habere fatentur, quę proprietates eos medicos errare demonstrant, qui pro aperiente herba ac resoluente, ac urinam prouocante accipiunt, & ex ea pro frigida materia, & in doloribus ex uentositate fomenta parant.

Semen contusum cum Semperuiuo, & cum aceto temperatum, sacros ignes extinguit expositum. Conducit autem præcipuè membris quibus timetur ne inflammatio accidat. Semen uerò accipiendum est, & contundendum cum aceto ac imponendum, hoc educit magnum ardorem, quòd non opus sit abscindere membrum.

Semen itidem tumoribus impositū eos citò repellit. Inunguntur succo eius utiliter addita cerussa sacri ignes, & ulcera quæ herpetas uocant,

A uocant, hæc ulcera peiora sunt cancro.

Idem succus succurrit laborantibus podagra permistus cum anserino adipe ac impositus.

Succus foliorum utilis est ad antiquam tussim in potu sumptus, quantum dimidiatus cyathus capit. Quinetiam contra inflammationem gutturis succus gargarizatur, foriſq; inungitur.

Semen prodest contra calidas & malignas pustulas contusum ac impositum.

Succus ex semine utiliter auribus instillatur, dolorem enim & ulcus inde remouet.

Succus foliorum conducit, quibus orificium stomachi intumuit gargarissatus.

Parietaria cum carnibus decocta, iusculum illud utiliter sumitur contra stranguriam, & tormina intestinorum ex uentis & frigidis humoribus generata.

Herbæ huius succus & decoctum, medetur sacris ignibus, ambustis & æstuantibus ulceribus, ac tumoribus.

Succus cum hircino adipe subactus & impositus, dolorem podagræ sedat.

Herba hæc in sartagine tosta cum modico uini, & foliis petroselini ac nasturtio, & uesicæ imposita, potenter ducit urinam. Itidem

B uentri super imposita, sedat colicam.

Decocta cum maluis, rosis, absinthio, matricaria, furfure, fabis excorticatis, deinde in sartigiue frixis omnibus, & cum sapa iterum bullitis, emplastriq; modo si imponatur, sanat omnes contusas, uenas ac musculos, & id genus reliqua.

DE AQVA PARIETARIAE.

Tempus distillationis eius est, ut folia & caules inuicem concidantur & distillentur in fine Maij.

Aqua Parietariæ viij. aut x. dies in potu sumpta, & quotidie bis singulis uicibus tribus uncijs, aperit hepar obstructum & lienem, purgat renes ac uesicam, sedat dolorem matricis, mulieribus menses ducit.

Eodem modo tormina uentris pellit.

Prodest contra omnes tumores & dolores quos sedat & mitigat linteolis imposita.

DE PASSVLIS.

NOMENCLATVRAE.

Στάφις. ἀσαφις.
Passulæ. Vuæ passæ.
Rosyn.

ANNOTATIO IN PASSAM VVAM.

C PASSVLAE siue Vuę Passę dicuntur quæcunq; uuæ exiccatæ, à patiendo, ut Plinius lib. 13. ca. 1. docet. Sunt qui uuam passam dictam uelint, quòd in rugas siccata contrahatur, ut passam frontem rugosam & flaccidam Plautus appellat. Columella rationem præparandi, ut passę fiant scriptis tradidit: quamuis Græci alio modo utantur, quę eas sinunt exiccari in uite, postea loculis stringunt: Palladius quoq; alio modo eas conficit, sed hæc nihil ad rem. poterit quisq; eos autores, de ea re legere.

TEMPERAMENTVM.

Passulæ nascuntur quemadmodum uuæ. Calefaciunt & humectant natura. Quidam uuas siccari sinunt in furno. Salernitani apud solem desiccari sinunt, postea eas furno indunt, & acinos excerpunt, & dulci uino eas lauant, atq; iterum eximunt, atq; inspergunt eas cinamomo alijsq; bonis aromatibus, in quibus sinunt aridas fieri. Meliores habentur hoc modo confectæ.

VIRES AC IVVAMENTA.

Vinum decoctum cum Vuis passis & bibitum, sedat antiquam tussim ex frigore contractam.

Vinum illud eodem modo potum, prodest contra interiora apostemata, & præcipuè quę pulmonem obsederunt.

D In cibo sumptæ tollunt singultum & eructationem stomachi, aluumq; fluentem constringunt.

Quocunq; modo sumptæ, corpori uires administrant, bonumq; generant sanguinem.

Cibo admixtæ, dolorem stomachi mitigant.

Prosunt eædem iocineri.

Vuæ passæ, ut Ægineta inquit, alijs calidiores sunt, stomacho gratiores, ualentius alunt, sed minus subducunt aluum.

Confert faucibus, ut Dioscorides inquit, tussientibus, & uesicæ in cibo earum caro. Intestinorum torminibus cum nucleis suis eædem per se prosunt in cibo sumptæ. Milij uerò hordeiq; farinæ, & ouo mixtæ, tum cum melle frixæ, & in cibo sumptæ, per se cum pipere commanducatæ, oris pituitas purgant.

Testium inflammationes cum lomento fabæ, aut cymini farina, sedant emplastri modo impositæ.

In uerrucarum genere quas epinyctidas uocant, carbunculos, fauos, & articulorum exedentia ulcera, gangrænasq; sine nucleis sanant cum ruta impositæ. Podagris cum panacis liquore, utiliter emplastri modo imponuntur. Pellunt eædem mobiles ungues breui tempore, emplastri modo similiter impositæ.

A

DE PASTINACA.

NOMENCLATVRAE.

Σταφυλῖνος.

Pastinaca domestica.

Heymisch Moren.
Bestenaw.
Gele Rüben.

ANNOTATIO IN PASTINACAM.

B PASTINACAE nomen à pascendo ductum uidetur, ut Ruellius scribit, bonum enim nutrimentum corpori præbet. Sciendumq; est, ut Marcellus autor est, Staphylinū Græcis simpliciter Pastinacam dici, olus, & oleris notissimam & quotidiani usus radicem, nullaque adiecta nota alia, satiuam semper intelligi. Est autem duplex Pastinaca: Satiua & syluestris, Satiua præcipuum habet in sanitate inter olera usum, Syluestris uenit & ipsa quidem in quotidianos cibos: sed ob multas quas habet medicas uires, à medicis celebratur & expetitur magis. Hanc Græci, ut Marcellus testatur, nunquam nisi addito syluestris discrimine appellant, σαφυλῖνον ἄγριον uocantes, id est, Pastinacam syluestrem: intelliguntq; eam, quæ locis incultis nascens, satiuæ pariter frondeat & floreat: sed minore radice & magis fibrata sit. Syluestrem hanc ijdem Græci, ut certiore uocis discrimine à satiua illa separaretur, Daucum dixerunt. Testis pluribus locis Galenus, qui de utroq; Staphylino agens, inquit: Satiua quidem Pastinaca ignauior: agrestis uerò, quam daucum uocant &c.

DESCRIPTIO.

Pastinacæ domesticæ sunt plerunq; rapulæ flauę non tantę magnitudinis, ut sunt rapę flauę, & uulgares, sed paulò minores & magis flauę, referuntq; formam radicum petroselini, altum caulem habent, & in summo umbellam, & semen hirsutum.

TEMPERAMENTVM.

Hęc radix est calida in medio secundi gradus, & humida in primo gradu. Cibis accommodata est.

C VIRES AC IVVAMENTA.

Radix eius ciet urinam, potissimum Melancholicis conducens. Satiuę Pastinacę in cibo sumptę salubres sunt, bonum creant sanguinem. Syluestres Pastinacę mouent menstrua.

Radix collo appensa, prodest contra tumorem gutturis. Nullum uenenatum animal hominem lędere potest, qui radicem penes se gestauerit. Pastinacę omni calens est natura. Eius semen potum appositumq; uuluis, ut Dioscorides inquit, ducit menses, urinę angustijs, subeuntibus cutem aquis, & laterali dolori quem pleuritim dicunt, subuenit. Contra uenęnatorū morsus ictusue utilis est. Radix quoq; ipsa urinam cit, & uenerem stimulat. Fœtus ex utero trahit appositā. Repurgant ulcerum Phagadęnas concisa & ex melle impositā folia.

DE AQVA PASTINACAE.

Radix cum herba concisa distillatur circa finem Martij.

Aqua Pastinacę mane ac uesperi singulis uicibus tribus unciis pota, & membris illita, prodest contra omnem paralysim eorum.

Omni nocte ad vi. uncias pota, uenerem stimulat augetq; genituram hominis. Vrinæ angustijs subuenit in potu sumpta.

DE PAEONIA.

D

NOMENCLATVRAE.

Γλυκυσίδης.
Παιονία.

Pęonia.
Herba Casta.
Rosa Benedicta.
Grana Pęonię.

Peonien Blůmen.
Küngs Blůme.
Beningen Rosen.
Benedicten Rosen.
Beningen Körner.

ANNO

A

ANNOTATIO IN PAEONIAM.

PAEONIAE antiqua pariter & honesta appellatio est, habet enim autorem antiquæ medicinæ peritissimum Pæonem. Antiquitas nihil non sanari Pæonia superstitiose credidit, nec corporis tantum morbis, sed animi affectionibus pariter mederi, imperare tempestatibus: arcere grandines, dissicere satorum rubiginem, & lemuribus etiam aduersari. Duo eius genrra sunt. Fœmina existimatur, cuius radicibus ceu balani longiores, circiter octo aut sex, inhærent; mas plures habet, quoniam non una radice nixus est, palmi altitudine, candidaq;, ea gustu adstringit. Fœminæ folia myrrhã redolent & densiora sunt. Nascuntur in syluis. Radices fructumq; legi noctibus præcipiunt, quia picus martius interdiu facere in oculos impetum dicatur, alioqui effodientibus radicem Pæoniæ sedes procidit, si Theophrasto credimus; magna id uanitate ad ostentationem rei fictum Plinius arbitratur.

DESCRIPTIO.

Pæonia est herba duris folijs ab inferiori parte, Prasino colore, radices inuicem cohærentes instar radicum uiolarum, & colore rubicundæ, flores magnos & purpureos, ad formam rosarum rubearum refertarum, in quibus inest semen luteum, ex quo fiunt follicu
B li amygdalis similes: duo simul nascuntur, habent intus grana rubea, ad magnitudinem minoris pysi. Scapus super quo semen nascitur, habet magnos flores & rubicundos, & plerunq; Benedicta rosa dicitur.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; exiccat radix Pæoniæ secundo ordine. Nigro colore erit, & non splendida uel foraminosa.

VIRES AC IVVAMENTA.

Decem annis durat in sua efficacia. Habet uirtutem confortandi & refocillandi corpus. Pęonia cit urinã, purgat iecur atqꝫ renes.

Radix in uino decocta ac pota, sanguinem purgat. Datur in potu Pæoniæ radix puerperis à partu non purgatis, tum acquirunt menses & absqꝫ nocumento purgantur. Amygdalæ autem quantitate sumenda est. Bibitur in uino etiam contra dolores alui, felle suffusis prodest. Prodest renum cum urinæ malo aliquo, & uesicæ doloribus, fumus ex stolonibus radicis, naribus attractus, pellit morbum comitialem. Pęonia tollit nigras maculas corporis.

Radix collo suspensa morbum comitialem tollit. Contigit quòd collo pueri hæc radix fuerit appensa, & puer morbum non sentiebat, quandocunqꝫ autem radix amota erat, protinus denuo conuulsione corripiebatur. Hanc uirtutem Pæonia mas habet, quę non

C habet ſemen, inde enim cognoſci poteſt. Pæonia fœmina in uino
cocta, puerperas bene expurgat à partu. Ea ſemen præbet. In alijs
rebus radices utriuſq; eaſdem ferè facultates habent.

Pęonię recens radix, ut Manardus ſcribit, collo ſuſpenſa geratur,
uapores enim ab ea leuati cerebrum petentes, alienos excludunt, &
cerebrum roborant, eligenda autem in hoc mas, quę folio nucis re
galis conſtat, radice alba, digitali craſſitudine, longitudine palmi,
& guſtu adſtringit. Quidam uolunt eam eſſe effodiendam luna de-
creſcente. Nigra radice Pęoniæ pro necandis puerorum uermi-
bus in aqua, decoctione, & puluere utimur, immo & ipſa radix pu-
erulis adalligata ab atrabile & epilepſia liberat, ut Antonius Muſa
teſtatur. Ad Sciaticos Pæonię herbę radicis partem alligabis ei
qui patitur, & circumcinges: res eſt ſaluberrima. Ad lunaticos Her
ba Pęonia, ſi lunatico iacenti impoſita fuerit, nunquam ei hoc mali
accidet. autor eſt Apuleius.

Grana Pęonię multis modis proſunt, præſertim ad menſtrua mu
lierum, quę trahunt, fœtumq; mortuum educunt.

In difficili partu grana Pęonię in uino danda ſunt potui parturi
enti, ea promouent partum, & bene opitulantur. Grana Pęonię
contuſa, & Zedoaria, galanga atq; ſaccharo pari pondere admix-
tis pro Tragea uſurpantur, quę mane ac ueſperi ſumpta, pellit uene
D num, leniter ſubducit aluum. Grana decem aut duodecim in ru-
bro uino & auſtero pota, muliebres fluctiones ſuperfluas ſiſtunt.

Grana nigra auxiliantur ſuppreſſionibus nocturnis, uuluę ſtran
gulationibus, & matricis doloribus, quindecim numero pota, in
aqua mulſa, aut uino.

Comeduntur eadem utiliter cibum in ſtomacho non continen-
tibus, & eius eroſionibus. Incipientes pręterea calculos pueris in ci-
bo potuq; diſſiciunt. Puluis ex radice Pęonię in uino ſumptus in
quo radix ipſa cocta fuerit & artemiſia, etiam prodeſt contra mor-
bum comitialem. Idem puluis in uino elixus cum caſtoreo paralyſi
medetur.

DE AQVA PAEONIAE.

Ad diſtillationem conuenientem roſę Pęonię cum perfecte fue-
rint maturę ex ſcapo decerpuntur, & his admiſcetur duplum pon-
dus radicis eius, & ſimul contunduntur ac in Balneo Marię diſtil-
lantur.

Aqua Pęonię prodeſt Apoplexia correptis, qui loquelam ami-
ſerunt, duabus unciis potui data, tum abſq; dubio loquelam recupe
rant, & ſanantur.

Puerulis prodeſt contra calculum mane ac ueſperi ſingulis uici-
bus iij. unciis pota. Auxiliatur contra dolores coxendicum.

Eadem

A Eadem per 40. uel 60. dies mane ac uesperi singulis uicibus ad ij. aut iij. uncias in potu sumpta, medetur morbo comitiali.

DE PENTAPHYLLO.

B

NOMENCLATVRAE.

Πεντάφυλλον.

Quinquefolium.
Pentaphyllon.
Mercurij herba.
Penta dactylus.

Fünffinger Kraut.

ANNOTATIO IN PENTAPHYLLON.

PENTAPHYLLON Latini Quinquefolium appellant, nomẽ à numero foliorum habet, ipsa herba incipit & desinit cum uite. Theophrastus est autor: cum Quinquefolij radix recens effoditur rubet, inarescens nigrescit, & angulosa fit, folio uitis pusillo, colorque uitigineo. De hac herba magna inter medicos est controuersia, Vulgare enim quinquefoliũ descriptioni Dioscoridis non respondet, Plinius scribit. Quinquefoliũ fraga ferre, quasi fragaria sit herba, cum tamen fragaria tria folia habeat. Clarissimus medicus Ioannes Manardus scribit, uerum Pentaphyllon esse herbam quam Tormentillã uocamus, quòd ea magis forma & uiribus descriptioni ueterum quadret, Tormentilla enim radicem habet rubescentem, ut de suo Pentaphyllo scribit Dioscor. quòd uerò septem folia habeat Tormentilla, id nihil referre putat Manardus, se quoq; sæpius eam

C uidisse quinq; folijs. Multi prestantissimi medici ex recentioribus iudicio Manardi subscribunt.

DESCRIPTIO.

Pentaphyllon herba est caulem habens semine plenum, folia in quinq; partes diuisa. Radicem habet rubentem & multos ramulos & in unoquoq; florem luteum, nascitur aquosis locis uel desertis montibus.

TEMPERAMENTVM.

Radix quinquefolij desiccat in tertio gradu, paruamq; habet caliditatem. Est autem radix rubescens & oblonga.

VIRES AC IVVAMENTA.

Herba hæc in aceto decocta atq; imposita, herisypelata curat, magnosq; calores educit. Eodem modo usurpata subuenit & coxendicis articulorumq; doloribus. Folia per noctem in uino macerata, & mane bibita, prosunt contra morbum comitialem.

Radix eius in puluerem redacta, atq; fistulis imposita, eas curat. Folia in uino decocta & bibita, pellunt febrem quartanam. Folia quoq; indita melli ac aceto, quartanę medētur, ita in potu sumpta.

Herba cum ueteri axungia contusa, curat uulnera in corpore & membris.

Qui morbo regio laborat, conficiat pastillos ex Pentaphyllo, ad
D datq; farinam triticeam ac aquam, ijsq; per nouem ex ordine dies manducatis, sanatur. Prodest hęc herba contra acutas febres hoc modo: Accipe Pentaphyllon atq; bene contunde, farinaq; triticea, atq; aqua additis, ea inuicem subige, parumq; olei oliuarum admisce, ut massa fiat, emplastroq; inde facto, uentri impone, quando autem hoc semi diem, aut semi noctem impositum fuerit, tum remoue, atq; calefac, iterumq; aluo superimpone, hoc si sæpius feceris, febres pellit, facitq; euomere malos humores.

Ad caliginem oculorum, Accipe Pentaphyllon, atq; in puro uino in æreo uase, maceratum, iturus cubitum, illud uinum circum oculos inunge, hoc prodest.

Idem in puluerem contritum melleq; permistum, si exulcerationi atq; putredini oris & linguæ illinatur, eam tollit, & os mundificat. Deinde os collui debet, aqua quę melle rosaceo permista fuerit.

Potest radicis quinquefolij decoctum quousq; ad tertias decreuerit, si ore contineatur, dentium dolores finire. Putrida oris ulcera collutione sistit.

Arteriæ scabritias, gargarizatu leuigat.

Contra alui profluuia & dysenterias auxiliatur.

Subuenit & coxendicis articulorumq; doloribus potum.

Radix in aceto cocta ac illita, serpentia ulcera cohibet. Strumas,

tumores,

A tumores, duritias, abſceſſus & diſtentiones diſcutit.

Ignes ſacros, reduuias, condylomata pſoraſq; ſanat.

Radix etiam excreationem ſanguinis ſedat, & dyſenteriam ſiſtit. Cum ſale & melle temperata, ſanat uulnera.

Sanguinis eruptiones ſiſtit quinq; folium, in quos uſus bibit●, & emplaſtri modo imponitur.

Facit & radicis recentis ſuccus ad iccoris pulmonumq; uitia & letalia uenena.

DE AQVA PENTAPHYLLI.

Optimum tempus diſtillationis eius eſt, ut herba, caulis, radix cum tota ſubſtantia conciſa, in medio Maij diſtillentur.

Aqua Pentaphylli mane ac veſperi per aliquot dies ſingulis uicibus iiij. uncijs in potu ſumpta, facit ad calculum, ad lithiaſin lumborum, purgat renes. Vna uice copioſe ſumpta admodum uentrem laxat, reſoluit quoq; foris impoſita.

Sedat quoſuis calores & tumores lineis pannis impoſita, fronti illita & linteolis applicata fluxum ſanguinis narium ſiſtit. Facit ad tremorem membrorum ac manuum, ſi ſingulis uicibus inde illinantur, & per ſe iterum ſiccentur.

Sanat recentia ac antiqua uulnera, ſi inde lauentur, uel linteolis imponatur, pellit omnes tumores ac apoſtemata. Prodeſt contra
B quaſcunq; febres, per dies aliquot pota, radicitus eas expellit.

DE PERFOLIATA.

NOMENCLATVRAE.

Perfoliata.

Durchwachs.
Buchwurtz.

DE HERBIS, CAETERISQVE ANNOTATIO IN PERFOLIATAM.

PERFOLIATA herba est quæ nomen sortita est, quòd coliculi folia penetrent, unde & Germani **Durchwachß** appellant. Huius apud chirurgos & medicos uulnerarios magnus est usus, ad rupta tantummodo & uulnera conglutinanda. Veteribus hæc fortassis fuit incognita, nullus enim medicorum hactenus ei apud Dioscoridem uel Plinium nomen inuenire potuit. Hieronymus Bock scribit, duo esse genera Perfoliatę, & primum genus esse absq; dubio primum Cotyledon apud Dioscoridem. Alterum uerò genus esse Secundum Cotyledon, & meo quidem iudicio non aberrat à scopo, ita enim specie & uiribus conueniunt. Conferat quisq; hanc herbam cum descriptione Cotyledonis apud Dioscor. & iudicet.

VIRES AC IVVAMENTA.

Herba Perfoliata egregias in se continet uirtutes, & præcipuè contra rupturam puerorum, si semen in cibo sumatur, & herba ipsa imponátur.

Quibuscunq; pueris umbilicus nimium prominet, his Perfoliata umbilico superliganda est, tum introrsum pellitur.

Qui hernioßus fuerit, ita quòd is morbus ultra annum non dura uerit, is prius balneum parabit ex hisce herbis, nempe ex parietaria, Quinquefolio, Chamomilla, Chamedry, ut singularum sit pondus
D unius Manipuli uel duorũ, & semper tres horas continuas per tres ex ordine dies lauabit, & singulis uicibus in balneo semen Perfoliatæ pondere semiunciæ in potu sumet. A balneo uerò hoc unguento se inunget, Accipe olei Chamomillæ semiunciam & pulueris ex semine duas uncias, & parum ceræ admiscæ, ut fiat unguentum. Quo per octo dies se inunget, tum ruptura absq; dubio curatur.

Habet hæc herba præcipuas uires sanandi in corpore rupturas & uulnera.

Semen in puluerem contritum in uino datur, infantibus uerò in lacte datur ad interiorem rupturam.

Aqua eius distillata eadem præstat, & sanat hereßypelata, sacros ignes, & sedat dolorem æstuantis stomachi.

DE PERFORATA.

NOMENCLATVRAE.

Ὑπερικόν. Ἀνδρόσαιμον.

Perforata. Hypericon. Fuga demonum. Herba S. Ioannis.

S. Johanskraut. Harthaw oder Waldthopff.

ANNO.

A

ANNOTATIO IN PERforatam.

PERFORATAM Græci & Latini Hypericon nominant. Herbarij Perforatam hanc herbam appellant, propterea ꝙ folia soli obiecta innumeris foraminibus scatere, & omni ex parte punctis quibusdam pertundi uisantur. Vulgus item herbam diui Ioannis sæpe nuncupat. Ab aliquibus fuga dæmonum dicitur, quia dæmon inde fugere creditur, ubicunq; hæc herba seruatur, neque ibi lemures manere queunt, unde & puerperæ quibusdam locis hac herba solent fumigari. Duo in hyperico inueniuntur, quæ certitudinis faciant fidem, cruentus comæ floriſq; triti liquor, odor siliquæ seminisq; resinaceus, Vnde & chamæpitys, id est humilis & terrestris pinus dicta est, quòd semen eius resinę Pineę odorem habet. Androsæmos etiam dicta

B est, quia flos eius digitis tritus sanguineum humorem ex se remittit. Dioscorides quatuor ponit Hyperici genera. Vera Hypericon albos habet flores apud illum, nostra autem uulgaris Hypericon quę luteos habet flores, Ascyron, uel ruta syluestris ab eo dicitur. Mirum est Dioscoridem folium eius non pinxisse, in illis præsertim foraminibus, quæ in ipso apparent.

DESCRIPTIO.

Hypericon herba est quæ folia rutæ ęqualia habet, caulem oblongum & in summo flores luteos. Semen eius est oblongum figura hordei, colore nigro, odore resinę.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat in tertio ordine.

DE AQVA MENTASTRI.

Ex herba & semine si quis bibat, menses mulierum trahit, cit uri nam. Idem præstat apposita.

Contusa & emplastri modo imposita, facit ad putrida & mala uulnera.

Herba hæc siccata & in puluerem contrita, atq; cum uino sumpta, maximè prodest ad podagram.

Semen in uino sumptum, quartanam pellit.

Herba purgat renes & iecur, tollit dolores coxendicis in uino pota.

Contusa

C Contusa & ambustis imposita, extrahit calorem & minuit dolorem.

DE AQVA HYPERICI.

Optimum tempus distillationis eius est, ut herba, folia & flores à caulibus decerpta in fine Iunij distillentur.

Aqua Hyperici mane ac uesperi duabus uncijs pota, prodest contra Apoplexiam.

Aqua Hypèrici permista cum radice, semine aut aqua Pæoniæ, & quotidie bis aut ter singulis uicibus ad ij. aut iij. uncias bibita, medetur morbo comitiali. Prodest contra tremorem membrorum, si per diem bis inde fricentur. Cum rubeo uino pota, prodest ad omnes superfluos alui fluxus, & linteolo uentri imposita.

Sanat omnia uulnera tam foris quàm intus existentia, puncta uel secta, mane ac uesperi pota, & inde lota si fuerint, uel aqua linteolo eis imposita.

DE PERSICARIA.

D

NOMENCLATVRAE.

Ὑδροπέπερι.

Persicaria.
Hydropiper.

Wasser Pfeffer.
Pfersing kraut.
Pfauwen kraut.
Pfauwen Spiegel.
Floe kraut.

ANNOTATIO IN PERSICARIAM.

PERSICARIA nomen habet à foliis quę Persico similia habet. Recentiores autem duas species faciunt, alteram quæ in medio folio nigredinem quandam ueluti oculus habeat, alteram uerò quę acri mordacitate pungit, & saporem piperis habet, nullamq; habet maculam. Hanc autores Hydropiper Dioscoridis, & Plinij siliquastrum, seu Piperitida esse tradunt. Nec obstat quòd Hermolaus Barbarus dubitare uidetur, quòd Persicaria sit Hydropiper, cum inquit;

A quit: Est & in folio Persicariæ litura maculæ modo inscripta, quæ si fuisset in Hydropiperi, fortasse non omisissent autores. Non animaduertit uir doctissimus (ut Antonius Musa, & Euritius Cordus testantur,) alteram Persicariam, cui maculæ desunt, in omnibus cum Hydropipere conuenire: habet enim florem album, spicatum, acrem gustum, minutū semen, caulem nodosum, rubrum, longum: & folia Mentę conferri possunt. Nonnulli pulicariam hanc etiam appellant, quòd pulices fugare & necare uulgò creditur. Egregia quoq; herba ad pellendas muscas ac culices, nullum enim animal infestatur à muscis quod succo huius herbæ inunctum fuerit.

DESCRIPTIO.

Persicaria gaudet locis aquosis, folia habet acuta ad salicis modum, caulem nodosum, florem puniceum, radicem uerò luteam.

VIRES AC IVVAMENTA.

Succus Persicariæ auribus instillatus, uermes necat.

Herba hæc & flores bene prosunt ad fistulas & ficos. Habet fuscam maculam. Altera macula caret, quæ habet naturam inflammandi & erodendi nigras malignasq; pustulas, si folia & radix contusa emplastri modo imponantur. Mordacitate pungit ac urit cutem, ut Piper linguam.

B Folia Persicariæ quæ Hydropiper appellatur, discutiunt tumores duritiesq; omnes, cum semine illita. Sugillata delent.

Pulices hæc herba fugat, matutino tempore per cubiculum & conclaue sparsa, sed ita ut statim cubiculum scopis expurgetur.

Succus usurpatur ad putrida uulnera tam in pecoribus quàm hominibus, si inde lauentur.

DE AQVA PERSICARIAE.

Persicaria utraq; cum tota substantia in fine Iunij distillatur.

Aqua Persicariæ quæ maculam habet, conducit ad marifcas, si linteum in ea madefactum per diem bis imponatur.

DE PERSICO MALO.

NOMENCLATVRAE.

Γερσικον Μῆλον.

Persicum malum.
Persicum.

Pferfing.

ANNOTATIO IN PERSICVM MALVM.

C PERSICA tota Asia nascuntur, maximè uerò in Perside, undè ad nos translata, nomen habent, ut Plinius testatur. Iam ubiq; in hortis ferè sponte proueniunt. Persica recentia seruari poterunt, hac ratione, ut Platina docet: Optima eligito, & mitte in muriam, postera die exime & purgabis diligenter, ac collocabis in uas, fundens salem, acetum, satureiam.

TEMPERAMENTVM.

Persicum est pomum frigidæ naturæ, & stomacho noxium. Persicum, ut Ægineta tradit, in secundo ordine, frigidum humidumq; existit.

VIRES AC IVVAMENTA.

Nuclei eius naturalem calorem obtinent, corroborant stomachum & cerebrum, acuunt ingenium & memoriam.

Succus Persicorum, ut Galenus autor est, facile corruptionem sentit, ac noxam adfert, quapropter postremo cibo sumenda non sunt, ut moris est plerisq;, innatant enim stomacho, & quicquid prę sumptum fuerit, unà secum in corruptionem trahunt. Itaq; primis mensis sumi tolerabilius fuerit, sic celeriter discedentia sternunt alijs uiam commodè prœeuntia: reliqui cibi facile lubrico meatu sequentes elabuntur. Sed uulgus sibi persuasit, nucleo suo noxam expediri, quam impediens Persicum attulerit. Noxa quoq; uino discu-

D titur.

Persicorum cibus, ut Platina inquit, propter humiditatem & frigiditatem stomacho inutilis habetur, citò enim inacescit, atque in Phlegmaticos uertitur humores. Matura tamen ante cibum sumpta, appetentiam inducunt, urinam mouent, aluum lubricant, fœtorem oris emendant. Acerba aluum adstringunt, teste Dioscoride. Siccata autem maiores adhuc in adstringendo uires habent. Quinetiam siccorum decoctum in aluum & stomachum destillationes haustum sistit. Quæ in hoc genere minora sunt, & armeniaca passim dicuntur à Romanis uerò præcoqua stomachò magis accommodata sunt.

Folia eius trita sanguinis eruptionem sistunt.

Folia euidenter amara sunt, eoq; concisa tritaq; puerorum umbilicis imposita, lumbricos enecant atq; expellunt. Eadem sicca & in puluerem tunsa, recentes plagas cruentorum uulnerũ claudunt. Nucleus Persicorum cum oleo tritus, capitis dolori medetur.

DE AQVA EX FOLIIS PERSICORVM.

Distillatur hæc aqua crescente luna in Maio. Mane à ieiuno pota, facit ad lithiasim lumborum per diem ter in potu sumpta, ac singulis uicibus ad duas & tres uncias, ciet urinam, expurgat uesicam,

A ieiunis

A Aieiunis pueris pota, lumbricos necat: mane ac uesperi pota, prodest contra calculum.
Auribus indita, interficit uermes earum.
Capiti illita, dolorem sedat.

DE PEDE CORVINO.

B

NOMENCLATVRAE.

Κορωνόπους.

Pes coruinus.
Galli Crus.
Ranunculus.
Flammula.

Raben fuß.
Hanen fůß.

ANNOTATIO IN PEDEM CORVINVM.

PES coruinus apud ueteres Græcos Coronopus est dicta, hancq; describit Dioscorides lib. 2o. cap. 117. in hunc modum: Coronopus oblonga herbula est, per terram strata, & folia incisuris diuisa habet. Estur olerum modo decocta. Radicem habet gracilem, in cibo adstringentem, ideoq; cœliacis utilem. Nec aliter Galenus, & Plinius eam describunt. Vulgus eam pedem Galli nominat. Quam etiã sub Galli cruris nomine describit Apuleius Madaurensis in libro de Herbarum uirtutibus. Magno igitur in errore uersantur luniores medici atq; Herbarij omnes, qui pedem coruinum uolunt esse aliam herbam, quæ folia habet coriandri sed latiora, subalbida ac pinguia, florem luteum, caulem gracilem, ac cubitum altum, radicem albam, breuem, multis fibris, Elleborimodo capillatam. Hæc enim Dioscoridi & reliquis Græcis Βατράχιον, Latinis uerò Ranunculus uocatur, habetq; uim exulcerandi, cuius contactu

C pustulæ ambusti modo corporibus attolluntur, sæpeq; confricta carnem osse tenus exest. Hæc ulcerandi licentia impostoribus ac mendicis illis cognita est, qui crura & lacertos sibi huius illitu uulnerant, quo stipem impudentius emendicent, aut quamuis pecuniolam aucupentur. Nonnulli eam Flammulam quoqꝫ ob eam rem appellant. Plura de Pede Coruino uide apud Ruellium & Fuchsium in Paradoxis.

DESCRIPTIO.

Pes coruinus herba est quæ petrosis montibus nascitur, floribus similis Marrubio, sed tenerioribus.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atqꝫ siccat in secundo ordine.

Hæc herba in uino decocta atq; in potu sumpta, medetur morsui rabidi canis.

Itidem sumpta prodest stillicidio urinæ, trahit menses mulierum, & pellit partum.

Prodest contra tormina intestinorum, uires Hermodactyli æquat. Auxiliatur doloribus articulorum, corroborat articulos, & malam materiam inde expellit.

Vera Coronopus apud Dioscoridem habet uim adstringendi, unde & cœliacis utilem esse scribit.

D

DE PEDE LEPORINO.

NOMENCLATVRAE;

λαγώπους.

Pes Leporinus.
Sana munda.

Hasen füß.

ANNOTATIO IN PEDEM LEPORINVM.

PES Leporinus à Græcis Lagopus dicitur, quam Dioscorides Leporis cuminum quoqꝫ uocari scribit: hæc herba ab ipso Dioscoride ex foliis & floribus non describitur. Quidam putant esse herbam quam Caryophyllatam Herbarij uocant, & à uulgo Sana munda dicitur, quæ in opacis montibus nasci solet, non in segetibus, ut Lagopus, quorum sententia non est probanda, quum Caryophyllata nullam similitudinem cum pede leporino habeat. Ruellius credit pedem leporinum potius esse genus humilis trifolij, in segetibus & aruis enati.

DESCRI

A

DESCRIPTIO.

Hæc herba ferè folia habet ut Carduus porcinus, acuta, & oblonga, caulem mollem, puniceos flores stellis similes, radicem candidam. Natura similis herbæ quæ Palatium leporis dicta est.

VIRES AC IVVAMENTA.

Pes Leporinus emundat omnia exteriora membra quæ longo tempore putrida atque sordida fuerunt, in aqua pluuiali elixa, & membris inde lotis.

Qui cupit macrescere, comedat hanc herbam in acetario bis in hebdomada quando iturus est cubitum.

Quicunq; in somno loquitur, hanc herbam ponat sub capite, tũ ei uitio medetur, & pellit insomnia atq; omnem inquietudinem.

Dioscorides scribit, Lagopoda uentrem contrahere, & discutere durities apostematum.

Inguinum inflammationes discutit adalligata, febribus etiam medetur ex aqua decocta & bibita.

DE PETROLEO.

NOMENCLATVRAE.

B



Πετροέλαιον.

Petroleum.

Ein öl in der Apotecken.

ANNOTATIO IN PETROLEVM.

PETROLEVM inde dicitur, quoniam ex Petra ortum ducit, ex qua sponte fluit. Petroleum, ut Antonius Musa docet, à Dioscoride naptha & bitumen, uel asphaltum liquidum nuncupatur. Est autem Babylonij bituminis destillatio, colore candidum: inuenitur & nigrum. Trahendi ad se ignes tantam uim habet, ut ex interuallo etiam ad se rapiat.

DESCRIPTIO.

Petroleum est quod ex Petris & montibus exudat. Colore nigrum est, si uerò decoquatur, fit candidum.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; siccat usq; in quartum ordinem.

VIRES AC IVVAMENTA.

Virtutem habet dissoluendi, attrahendi, & consumendi.

Petroleum prodest membris paralyticis illitum, facit ad podagram, stranguriam, colicam, quæ ex eo curantur.

Contra calculum optimum eſt remedium, lumbis, & ſub umbili-
C co illitum.

Contra ſpiritus anguſtias & diutinas tuſſes, thoracem ex eo fo-ris inunge.

Ad affectus uuluæ ex frigida cauſa creatos ualde prodeſt, foris illitum.

Contra ſtrangulationem & procidentiam muliebriū locorum, Petroleum proñce ſuper carbones, & fumum illum mulier naribus attrahet, & uuluam ſuffire debet Laudano, hoc remedio erit, ut ma-trix in locum ſuum reducatur. Stomacho frigido prodeſt illitum.

A capite in ſubiectas partes deſtillationes ſuffitu ſanat, & den-tium dolores circumlitum mitigat.

DE PETROSELINO.

NOMENCLATVRAE.

D

Πετροσέλινον.

Petroſelinum.
Petrapium.
Holuſatrum.

Peterſilgen.
Peterlin.

ANNOTATIO IN PETROSELINVM.

PETROSELINVM quaſi petrarum apiū dicitur: nam inter lapides melius naſcitur. Eſt nota herba, quæ inter Apij genera numeratur. Macedonicum Petroſelinum ob guſtū & ſuauitatem, & odorem aromaticum, mirifi-ce laudatur, & in medicina præfertur, ideo autem Macedonicum appellatur, quia in prę̃ruptis montibus Macedoniæ creſcit. Omnia autem agreſtia, præſertim quæ in ſaxoſis & petroſis creſcunt, mul-to ualentiora ſunt ſatiuis, & odorē̃ uehementiorem prę̃ ſe ferunt, quemadmodum & uina in uno loco fortiora, & meliora naſcun-tur, quàm in alio. Prę̃ſtantiſſimi quidam medici, ut Manardus, Leo nicenus, & Collinutius, contendunt noſtrū uulgare Petroſelinum non eſſe uerum Petroſelinum, ſed Apium hortulanum, uerum Pe-troſelinum eſſe quod Macedonicum appellatur, eoq; nos carere, ſed eam controuerſiam breuitatis cauſa, hic ommittemus, oportet enim medicos, contendant quàm diu uelint, uulgari Petroſelino unà cum coquis uti, donec ueri petroſelini copiam nacti fuerint.

DESCRI-

A

DESCRIPTIO.

Petroselinum est radix palmi longitudine, & aliquando longior, ac candida, cuius usus est in cibo. Quando unum annum intra terram durauerit, fert caules & semen, floresq; luteos.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat natura in secundo uel tertio ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Est autem duorum generum. Vnum est satiuum. Alterum syluestre. Petroselinum Macedonicum syluestre est, nascitur in petrosis montibus, hoc ualde penetrat humores corporis, sudorem atq; urinam maximè prouocat. Satiuum Petroselinum nobis notum est, eius semine utimur in medicina.

Petroselinum naturam habet penetrandi, propterea urinam ciet, ualde prodest contra calculum, semen atq; radix.

Accipe radicem petroselini, & eam siccam bene contunde, atq; cum mero uino eam commisce: inde si biberis, facit bonum cerebrum atq; bonam memoriam, & purgat sanguinem.

Idem prodest mulieribus quibus menstrua obstructa sunt.

Semen sua efficatia penetrat, unde menses plene trahit.

Semen in cibo sumptum, flatus in corpore discutit.

Idem contusum & malignæ scabiei impositum, bene purgat, &
B nitidam reddit cutem. Semen manducatum tollit tumorem stomachi, prodest hominibus hydropicis, siccat enim ac penetrat malos humores, eosq; consumit: prodest quoq; ijs qui ex Phlegmaticis humoribus lepram contraxerunt. Emundat iecur, discutit dolorem lumborum atq; uesicæ.

Acetarium paratum ex Petroselino, & acetosa atq; aceto permistum, opitulatur contra calores febrium.

Petroselini radix, herba & semen in cibo uel potu sumpta, cient urinam, pellunt calculum lumborum, trahunt menses, dissoluunt uentos in corpore, tollunt tormina uentris, stranguriam, dolorem spinæ, renum atq; uesicæ dolorem, tollit tumorem stomachi. Qui morsus fuerit à rabido cane, decoquat potionem ex petroselino, ac inde bibat, faciatq; emplastrum ex semine & herba, tum sanatur.

DE AQVA PETROSELINI.

Electum tempus distillandi Petroselinū est, ut radix & herba cū tota substantia inuicem concisa, in principio Septembris distillentē.

Aqua Petroselini per 30. uel 40. dies mane ac uesperi singulis uicibus iij. aut iiij. unciis in potu sumpta, prodest contra calculum & lithiasim, purgat renes ac uesicam, lotiumq; ualde proritat.

Eodem modo pota, concoctionem adiuuat, appetentiam ciborū excitat, purgat iecur, medetur stranguriæ, ubicunq; illinitur hæc aqua, capilli excidunt.

DE PEVCEDANO.

C

D

NOMENCLATVRAE.

Πευκέδανος.

Peucedanus.
Peucedanum.
Pinaſtellum.
Stataria herba.
Fœniculum porcínum.

Harſtrang.
Harſtarck.
Eberwurtz.
Wilder Fenchel.
Sauw Fenchel.

ANNOTATIO IN PEVCEDANVM.

PEVCEDANVM ſiue Peucedanus, nomen à Pinu, quæ Græce Peuce dicitur, inuenit, ut Myrtidanum à Myrto, quanquam & amaritudinem uocabulum id ſignificat apud Poetas, ut Hermolaus indicat, celebrata inter primas herba eſt. Laudatiſſimum in Arcadia naſcitur, ut Plinius exiſtimat. Foditur exitu Autumni. Placent tenerrimæ & altiſſimæ radices. Hæ concíduntur in digitos quaternos oſſeis cultellis, funduntq; ſuccum. Probatur hic & craſſitudine mellea, & odore ſuauiter graui. In colligendo ſucco capitis dolor & uertigo ſentitur, niſi nares prius & caput roſaceo perungantur. Inuenitur & lachryma thuris modo concreta, caulíbus & radicibus adhærescens, hanc quoq; habere conueníet. Peucedanum officinæ tale ferē exhibent, quale Dioſcorides deſcribit, tantū radice non ſuccoſa, nec graui odore, ſed iucundo, uocantq; Fœniculum Porcinum.

DE-

A

DESCRIPTIO.

Peucedanum nascitur opacis locis in editis montibus, prçsertim autem sub magnis arboribus. Caulem habet fœniculo similem, in summitate caulis florem album instar cardui, circa radicem magnos habet cirros ad capillorum tortorum similitudinem. Radix est densa & magna, foris nigra aut cana, intus candida. Radix succum in se continet, qui sulphuris modo induratur.

TEMPERAMENTVM.

Succus fortioribus est uiribus quàm radix: hæc calida est & sicca, potest unum uel duos annos arida seruari, & non ultra. Radix in tertio ordine & calefacit & desiccat, ut Ægineta inquit.

VIRES AC IVVAMENTA.

Succus radicis cum oleo rosaceo permistus & capiti illitus, tollit apostemata in capite. Idem cum aceto & aqua rosacea temperatus, ac temporibus capitis illitus, medetur phreneticis, & comitialibus.

Suffitus ex radice factus, si à fœmina ab inferiore parte excipiatur, reddit eam fœcundam.

Radix conducit ad emplastra, quibus utimur ad membra conquassata. Herba decocta in uino aut in aqua, prodest contra oppi-
B lationem iocineris atq; lienis, & contra stranguriam.

Radix in puluerem contrita, ac pondere unius aurei homini peste correpto in tempore propinata in uino, si morbus horrore uel frigore quodam inuasit: uel in aceto data, si calore inuasit, uenenū potenter expellit.

Succus, ut Dioscorides inquit, strangulatu uuluæ procidentes, soporesq; olfactu excitat. Suffitu serpentes fugat. Auribus in earum dolore addito rosaceo, utiliter instillatur. Cauis dentium in dolore inditur, facit ad tussim in ouo sumptus. Spiritus angustijs, torminibus & inflationibus succurrit. Aluum leniter mollit. Lienem minuit. Difficiles partus egregiè adiuuat.

Radix sicca & in farinam trita purgat sordida ulcera: ossiumq; squamas pellit. Vetera ulcera ad cicatricem perducit.

Succus, ut Galenus inquit, admodum calefaciens & digerens, affectibus omnibus circa neruos consistentibus conuenire creditur, tum morbis in pulmone thoraceq; ex crassitudine & uiscositate humorum prouenientibus.

DE PIMPINELLA.

NOMEN.

C

NOMENCLATVRAE.

Pimpinella.

Bibenell.

ANNOTATIO IN PIMPENELLAM.

PIMPINELLA dicta est, quòd folia habeat circum ipsum cauliculum alternatim diuisa ac semper gemina, ut ueluti in duas pinnas assurgere uideantur. Est autem Pimpinella herba, cuius ueteres Autores nusquam meminerunt. Ottho Brunsfelsius ex Hermolao

D testatur eam esse quintam speciem Saxifragiæ, & ei uiribus respondere. Hieronymus Bock, qui medicinam herbariam etiam scriptis illustrauit, indicat, quam Herbarij uulgò Pimpinellam uocant, eam esse antiquorum Petroselinum Macedonicum, promeruitq; profecto doctissimus ille uir apud omnes studiosos medicinæ honestam nominis memoriam, quòd herbam tamdiu incognitã nobis ostenderit, si modo Herbarum peritissimi medici eius iudicio subscripserint.

DESCRIPTIO.

Pimpinella forma similis est Saxifragiæ, sed non uirtute, folia habet prasino colore, luteos flosculos, radicem candidam.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & siccat in secundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Pimpinellam calidi & sicci esse temperamenti, ut Saxifragiam, compertũ est, & per omnia ad eadem ualere, ut Brunsfelsius testat.

Pimpinella præcipuè medetur ueneno, abstergit omnem immunditiam exteriorem corporis.

Radix eius in uino decocta & in potu sumpta, tollit à corde malum & uenenosum sanguinem, unde pestis facile exoriri solet, sedat quoq; dolorem capitis.

Si homo

A Si homo uſq; ad cranеum uulneratus eſſet, ſuccus huius herbæ inſtillatus, ſtatim & abſq; noxa ſanat.

Sanat ulcera & alia uulnera inſtillatus.

Experimenti gratia, Accipe gallum gallinaceum & cranеum eius in ſuperiore parte cultello aperi, ne tamen transfodias, poſtea accipe ſuccum huius herbæ, & inſtilla uulneri bis aut ter, tum reducitur ad cicatricem.

Pimpinella permiſta cum ſemine Erucę & aceto, elicit ſudorem, expellit uenenum, & malos humores.

Cum uino elixa & bibita, tollit coxarum morbū, & potiſſimum facit ad malignam tuſſim, expurgat pectus.

Eadem in uino cocta, frangit calculum renum & ueſicæ, medetur ſtranguriæ.

Eodem modo prodeſt contra inteſtinorum tormina, Maximē auxiliatur contra oppilationem iocineris atq; ſplenis.

Pimpinella medetur calculo, mouet urinam, tollit ſtranguriam, purgat pectus, uenenum peſtis à corde pellit. Succus eius coctus, & ante acceſſionem febris potus, omnem febrem pellit. Radix poteſt etiam condiri, ut Ginziber cum ſaccharo uel melle, & remedium quoq; adfert contra morbos iam prædictos.

B Decoctum Pimpinellæ febrem continuam: & quarta quoq; die recurrentem leuat. Succus tertianam, idq; ante acceſſionem potus.

EXPERIMENTVM CONTRA PHTISIM.

Recipe Pimpinellæ quàm tenuiſſimè in puluereni redactæ, uncias duas, aquæ Pimpinellæ recentis, & ſacchari quantum ſatis eſt, & fiat inde Electuarium, de quo ſume quotidie drachmas duas.

DE AQVA PIMPINELLAE.

Ad tempeſtiuam diſtillationem minor Pimpinella, quę acutam habet radicem ſumitur, ex ea radix atq; ipſa herba cū tota ſua ſubſtantia inuicem conciſa & contuſa, in exitu Maij ſunt diſtillanda.

Aqua Pimpinellæ mane ac ueſperi ſingulis uicibus ad tres aut quatuor uncias in potu ſumpta, medetur calculo & lithiaſi lumborum ac ueſicæ, expurgat renes.

Contra peſtem ſubuenit, intra ſex dies ſemel pota.

Prodeſt mulieribus quibus matrix eſt refrigerata, trahit menſes.

In potu ſumpta cum modico Caſtorei in puluerem redacti, pellit paralyſim membrorum.

A ieiunis iiij. uncijs pota, illo die non corripiuntur morbo minus naturali, omnem enim moleſtiam ex corde pellit, malos humores tollit, proritat lotium. Prodeſt contra uenenum in potu ſumpta.

Cutem reddit nitidam ac pulchram in facie & manibus, ſi foris ſe aliquis ex ea lauet,

DE

c

DE PINEA NVCE.

NOMENCLATVRAE.

Στρόβιλος.

Pinea Nux.

Ein Nuß von einem Fichten/oder Kin Baum.

ANNOTATIO IN PINEAM NVCEM.

PINEAS nuces Græci Strobilos uocant. Sunt autem nuces quas Pinus arbor producit. Galenus in Hippocrate coccalos uocat nucleos Pineos. Nucis Pineæ, ut Hermolaus teſtatur, quaterna genera ſunt. Durum quod & uulgare, tenerum & putamine digitis fragili, ideoq; auibus expoſitum, Tarentinam uocabant. Tertiũ è Picea ſatiua, nucleorum cute uerius quàm putamine, adeo molli ut ſimul mandatur, ſa pineum Plinius uocat. Quartum pityidas uocant è pinaſtris, ſingularis remedij aduerſus tuſſim.

Pineæ nuces in medicina maximè conducunt: priuſq; autem ſumantur, ſuperiores cortices amouendi ſunt, & abijciendi.

TEMPERAMENTVM.

D Calefaciunt atq; humectant natura.

VIRES AC IVVAMENTA.

Galenus inquit, Pinea nux bonum craſſumq; ſuccum gignit, & alibilis eſt: haud facile tamen concoquitur.

Valde illis proſunt Pineæ nuces, quibus naturales uires & ſpiritus, corpuſq; in morbo ſunt extenuata, atq; conſumpta.

Augent ſanguinem, tollunt ſuſpiria, poſſunt ſumi quocunq; modo libeat.

Ad nimium fluxum alui, quem ſanguis comitatur, ab inferiore parte fumum atq; uaporem ex decocto pinearum excipiat, hoc ſtatim auxiliatur.

Pineæ decoctæ atq; ad molliciem contuſæ, ut amygdalæ, ſaccharo uuiſq; paſſis admiſtis, ſi inde puls conficiatur, & offulæ modo in iuſculo gallinaceo ſumatur, admodum prodeſt ad multos morbos, præſertim autem ad ſuſpiria & difficultatem anhelitus. Eo autem affectu laborantibus lectus parandus eſt, in quo magis ſedeant quàm cubent.

Nuclei Pinei, ut Platina docet, in cibum ſumpti, humores optimos gignunt, ſitim ſedant, ſtomachi dyſcraſiam tollunt, urinã purgant. Nuclei cum uuis paſſis frequentius ſumpti, uenerem etiam iacentem excitare creduntur: eandem uim habent, & cum ſaccharo conditi,

A conditi. His crebrò nobiliores ac diuites tempore ieiunij in prima, & ultima menſa ueſcuntur.

Purgati uerò Pincæ nucis nuclei, teſte Dioſcoride, in cibo ſumpti, aut cum paſſo & cucumerum ſeminibus poti, urinam cient, ueſicę renumq; acrimonias hebetant. Stomachi eroſiones leniunt, cum portulacæ ſucco ſumpti. Infirmitatem uirium roborant, corruptos humores retundunt.

Totæ uerò Pineæ nuces ab arbore decerptæ, recenteſq; contuſæ & in paſſo decoctæ, ueteſtis tuſſibus & tabi, quam phthiſim dicunt, accommodatæ ſunt, ſic ut ex eo decocto trini quotidie bibantur cyathi.

DE PIPERE.

NOMENCLATVRAE.

Πέπερι.
Piper.
Piperi.
Pfeffer.

ANNOTATIO IN PIPER.

B PIPERIS genera Theophraſtus duo conſtituit: rotundi ut eruum, putamine carneq; ſubrutila, ceu lauri baccæ, oblongi, nigri, ſemina continentis papaueracea, quod multo ualidius priore iudicatur. Arbores quæ Piper gignunt paſſim in India ſunt, ut Plinius exiſtimat, Iuniperis noſtris ſimiles, quanq; in fronte Caucaſi ſolibus oppoſitę, naſci tantum eas aliqui putauere. Semina à Iuniperis diſtant paruulis folliculis, quales in phaſeolis uidemus. Tria cæteri fecere genera: Nigrum, quod & commune dicitur à medicis. Candidum leuius longo & nigro eſt. Piper longum facillimè adulteratur Alexandrino ſinapi. Piperis arborem iam etiam habuit Italia, maiorem myrto, nec abſimilem. Deſideratur toſta ſila maturitas: ideoq; & rugarum deeſt, & coloris ſimilitudo. Eligito Piper quod ponderoſiſſimum ſit, plenum, nigrum, nec adeò rugoſum: recens præterea, nec furfuroſum.

TEMPERAMENTVM.

Piper calefacit atq; deſiccat in quarto ordine. Longum & rotundum Piper ſeruari poſſunt quadraginta annis ſynceris uiribus.

VIRES AC IVVAMENTA.

Virtutem habet diſſoluendi, conſumendi, & attrahendi.

Piper in uino potum, quartanam febrem tollit.

C Grana piperis & toſtum allium ſimul commixta, & cum ſucco abſinthij ſumpta, tormina inteſtinorum repellunt.

Piper ſæpius manducatum, Venerem ſtimulat.

Mulieres quæ pipere utuntur, euadunt ſteriles. Creditur & ſterilitatem facere poſt coitū muliebri uuluę ſubditum & appoſitum.

Accipe Piper, Thus, & ſiccatam Saluiam, ea in puluerem redige, deinde adde oui album, atq; unguentum inde confice, quod maxillis impoſitum, arcet deſtillationes & ictus.

Piper commiſtum cum ſemine Saxifragiæ, & ea in puluerem inuicem contrita, & naribus indita, multos malos humores ad ſe trahunt, reddunt́q; leue caput. Vtrunq; Piper, longum & rotundum, concoctionem adiuuant, emacrant, nam exiccant & conſumunt humiditatem hominis.

Piper bilioſis nocet, uentū ex aluo reſoluit & pellit, urinam ciet. Eius uerò uſus in hyeme magis quàm in æſtate laudatur. Puluis eius naribus attrahitur ad ciundas ſternutationes, deuocandamq; capitis pituitam. Spiritualia membra à frigidis & uiſcoſis humoribus expurgat, ſi cum carycis aſſumatur.

Longum Piper, ut Dioſcorides inquit, efficaciſſimam habet erodendi uim, habetq; & ſaporis amaritudinem.

Nigrum maiore acrimonia eſt quàm candidū, gratius in cibis.

D Piper tuſſientibus, cunctiſq; alijs pectoris uitijs, linctu potuq; ſuccurrit. Contra anginas utiliter ex melle inungitur. Tormina cum lauri teneris folijs potum Piper finit. Somnum & appetentiam cibi conciliat. Diſcutit ſtrumas pice exceptum Piper. Vitiligines cum nitro exterit.

DE PIPERITI.

NOMENCLATVRAE.

Πεπέριον.
Piperitis.
Piperina.
Zinziberina.
Lepidium.
Seitaragi Indum.
Pfeffer kraut.
Senff kraut.

ANNOTATIO IN PIPERITEN.

PIPERITIS in Germanico nomen habet à Pipere & ſinapi, eo quòd guſtanti miram adfert acrimoniam, linguamq; magno.

A pere uellícat. A Dioſcoride Lepidium dicitur, ut Cordus & Hieronymus Bock teſtantur. Lepidium autem appellatum Græci putant, ut Hermolaus Barbarus inquit, ab eo quòd lepidas & maculas in facie deíciat ac repurget. Zinziberina ab alíjs quoqꝫ dicitur, Serapion & alíj Arabes Seitaragi Indum appellant. Herbarij uerò raphanum appellant Lepidium, radicis forſitan ſimilitudinem contemplati.

DESCRIPTIO.

Piperitis ſpecioſa eſt herba, acquirens folia maiora atq; latiora perſici folíjs, & craſſiora, uiridiora, & molliora, uel, ut Plinius ſcribit, exit Lepidion in cubitalem altitudinem, folíjs laurinis ſed mollibus. Lepidíj Eicon à Dioſcoride non repreſentatur. Nota cunctis herba eſt, ut idem inquit. Sale inter ſalgama cum lacte ſeruatur.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; deſiccat in tertio ordine, ut Brunſfelſius tradit. Galenus inquit, Lepidion ex quarto eſt ordine excalfacientium, ſimile naſturtio tum odore, tum guſtu, tum uiribus, ſed minus eo deſiccat.

VIRES AC IVVAMENTA.

Folia habent acrimoniam, ut Dioſco. tradit, & exulcerant: ideoque in dolore coxendicis ad exulcerationem, tritum cum Inulæ ra-
B dice quarta horæ unius parte impoſitum dimittitur. Imponitur & lienoſis ſimiliter. In facie cutem emendat exulcerando, ut tamen cera & roſaceo facile ſanetur. Sic lepras & pſoras ſemper facilè tollit, & cicatricum ulcera. Creditur lepidíj radix collo adalligata, dentium dolores compeſcere.

DE PIRIS.

NOMENCLATVRAE.

Απιος.
Pirum domeſticum.
Pirum ſylueſtre.
Biren.
Zahm Biren.
Wilde Biren.

ANNOTATIO IN PIRVM.

PIRVM à figura nomen accepit, dictum quòd ad metæ ſimilitudinem è lato in acutum ſpectet, & in mucronem turbinetur. Pirorum infinita pene genera quæ antiquioribus rei ruſticæ ſcri-

C ptoribus tradita sunt. Barbarus longissimè in Corollario suo ea prosecutus est. Ex his quædam sunt dulcia, quædam austera, quædam acida. Dulcia, ut Platina docet, cum sint aquatici & soluti sapo ris, cumq; inter frigidum & calidum consistant, utpote parua illa & ocyssima, quæ Plinius superba innuit appellari, ante cibum danda sunt. Stiptica uerò & acida, quorum magna turba est, secundæ mensæ reseruentur, quia ante cibum sumpta adstringunt, quod ua letudini contrarium est. Annotatum est etiam Pira præter alia Po. ma corpus nutrire. Piro magna certe ineſt uis, nec in fructu solum uerum etiam in radicibus & foliis. Pira condiuntur & saccharo, adiecta cinnamomi portiuncula, ut cœnas claudant. Seruari Pira Democritus affirmat, quæ illitis pice furculis suspendantur. Alij in sapa uel passo aut dulci uino mersa custodiunt, cadis plenis plurimi inter scobem obruta seruarunt. Alij siccatis frondibus iuglandis inuoluta recondunt: Aliqui arena in scrobe subiecta ita sicca operiunt, mox terra. Plurimi pira inter paleas, aut frumenta obruta seruarunt. Sed Pira quæ huic negocio destinantur, à cadiuis diligenter electa integra debent esse, placido die, crescente luna, manu decerpta, uegeto solis calore.

VIRES AC IVVAMENTA.

Pira sunt domestica & sylueſtria. Domestica humectant, Tosta
D aut elixa, stomachum corroborant, & sitim auferunt.

Sylueſtria adstringunt, & singultū creant. Pira domestica grandia in cibo magis probantur quàm minora. Verum minora cruda comesta, magis nutriunt quàm grandia,

Copiosius manducata Pira, tormina inteſtinorum ac colicam pariunt, propterea prodeſt forte uinum bibere post pira comesta, & assumere aromata, ut Piper & cinnamomum.

Pira cocta conducunt, nam confortant & molliunt aluum.

Sylueſtria frigidiore sunt natura quàm domestica.

Succus ex utrisq; ante cibum sumptus, laxat aluum, post cibum uerò adstringit.

Pira in aqua decocta & deinde contusa & stomacho imposita, tollunt uomitionem ex Cholera prouenientem.

Pira cruda manducata, nec sanis nec ægrotis salubria sunt.

In aqua decocta & comeſta, dissoluunt omnem duritiem & constipationem in aluo.

Sylueſtria serò matureſcunt, quę concidenda sunt in orbiculos, & suspendenda ut siccescant, prosunt enim ad alui fluctiones sistendas, cruda uel cocta in cibo sumpta.

Decoctum quoq; è siccis aluum sistit.

DE

A

DE PIROLA.

NOMENCLATVRAE.

Pirola.

Winter Grün.
Walt Kól.
Holtz Mangolt.
Walt Mangolt.

ANNOTATIO IN PIROLAM.

B PIROLA inter herbas uulnerarias non postremum locum obtinet, & à Germanis **Winter Grün** appellatur, quia folia eius perpetuò uirent tam hyeme quàm æstate. Nonnulli **Waldt Mangolt** Germanice uocant, id est Betam syluestrem, eo quòd syluis lætatur, & locis paluſtribus ac aquosis. Betæ hortensi non dissimilis. Propterea rectè & meritò Beta syluestris appellanda est, ut Hieronymus Bock tradit: eius sententiæ quoq; Brunsfelsius est. Cordus putat Limonium apud Dioscoridem esse, nam hæc à quibusdam Germanice, à similibus scilicet foliis **Walt Mangolt**, id est syluestris Beta dicitur, Ipse quoq; Dioscorides Limonium suum talibus decem & aliquando pluribus foliis describit, & tintinnabulum terræ à Romanis tum dictum ait, fortè à similibus tintinnabulo floribus, quę omnia in hac Pirola conspiciuntur. Est autem duplex Pirola, mascula scilicet quæ iuxta fluuios, & in aquosis nascitur, cuius folium arboris piri folio simile est: hinc Pirula, & corruptè paulatim Pirola appellata. Fœmina altera quæ in umbrosis & syluestribus scatet, chirurgis & tonsoribus optimè nota, uulnerariam & adstrictoriam uim possidens, quam etiam Dioscorides Limonio tribuit.

DESCRIPTIO.

Pirola nascitur in syluis, cœruleis floribus, caulem habet palmi

C altitudine, folia uerò Betæ similia, sed minora. Maximè prodest si foris corpori adhibeatur.

TEMPERAMENTVM.

Calida & sicca est in tertio gradu,

VIRES AC IVVAMENTA.

Pyrola contusa cum radice, atq; succo Alchimillæ & Saniculæ admixto, simul decoquetur cum oleo oliuarum, & unguentum inde conficietur.

Hoc in tres partes diuidi potest, & unicuiq; parti proprius color attribui potest, Ad primam partem, accipe uiride æris & Aristolochiam longam & admisce, tum unguentum hoc omnino fit uiride, quo putridam carnem radicitus erodere potes. Ad secundam partem, accipe Cerussam, & oculos cancrorum in puluerem contritorum, hoc unguentum omnino fit candidum, quo multos affectus potes mitigare & sanare. Ad tertiam partem unguenti, accipe Bolum armenum, Sanguinem Draconis, hoc fit unguentum omnino rubrum, quo inflammationes illinere potes. Pellit omnem calorem, & præseruat quoq; uulnera à calore, ita ut nullum symptoma ei accidere possit. Primum unguentum uocatur attractiuum
D unguentum, secundum lenitiuum unguentum. Tertium uocatur unguentum præseruatiuum.

Potio ex uino & hac herba confecta, atq; sumpta, omnia uulnera tam interiora quàm exteriora sanat, Si uelis eam potionem reddere efficaciorem, adde Saniculam, Alchimillam, Vincam peruincam, & Artemisiam.

Eodem modo sanat antiqua ulcera, & fistulas, alioscq; huiusmodi affectus.

DE AQVA PIROLAE.

Herba, caulis & radix cum tota substantia distillantur in medio Maij.

Aqua Pirolæ facit ad omnia recentia uulnera, mane, meridie & uesperi pota, singulis uicibus ad duas uncias, & uulnera etiam ex ea lauantur, & linteolis quoq; aqua ipsa imponitur.

Prodest eadem ad antiqua ulcera, si prædicto modo ex ea lauentur, tum mire auxiliatur.

DE PISIS.

ANNO.

A

NOMENCLATVRAE.

Λέκυθος.
Γίσον.

Pisum.

Erbsen.

ANNOTATIO IN PISVM.

PISVM genus leguminis satis noti, cuius caules sparguntur in terram, nisi habeant adminicula. Latini pariter & Græci Pisum dicunt, Aliàs etiam à Græcis λέκυθος dicitur. Dioclesin leguminum
B censu ei secundas à faba tribuit partes, addidit dolichis non minus nutrire, consimiliter flatu uacare. Duo apud nos genera reperiuntur, unum in aruis caducum, humi serpens: alterum in altum scandit, arboris ramo cui adhæret adfixo, cui sese capreolis uinciens illigat, cuius recens theca cum ipsis granis uerè manditur in patinis. Simile quid tota substantia Pisa cum fabis obtinent, ut Galenus inquit, nec alio quàm illæ modo comeduntur. Duo tantum sunt in quibus euariant. Non enim similiter ut fabę inflant, nec abstergent, ideoq; segnius quàm illæ per aluum secedunt. Mirum est Dioscoridem tam uulgaris tamq; protriti leguminis non meminisse, cum Theophrastus, Plinius, Galenus, & Ægineta, non intactum reliquerint. Impatientissimum frigoris pisum habetur, ideoq; in apricis seri gaudet, ad austrum uerno tempore facili ac soluta terra.

TEMPERAMENTVM.

Pisa albos producunt flores. In secundo ordine humectant ac refrigerant.

VIRES AC IVVAMENTA.

Accipe siliquas & folia pisorum, ex singulis manipulum unum, & ea contunde, ac inflammationi, in quocunq; loco corporis fuerit, impone emplastri modo, statim ardorem extinguit absq; noxa.

C Decoctorum cremor aluum ciet. Recentia quæ cum suis ual. nulis manduntur, ructus mouent.

Pisa in cibo non admodum conducunt, multam enim generant humiditatem, & frigiditatem, inducunt asthma. Sed iusculum eorum ualde corroborat atq; confirmat, est temperatæ naturæ.

Qui calida fuerit complexione, ei Pisa edere licet absq; incõmodo, nam ipsum corroborant. Verum qui frigida natura fuerint, ab esu eorum abstinebunt.

Pisorum duos manipulos in aqua decoque, & eo iusculo non salito uulnus aut ulcus aliquod corporis statim sanatur.

DE PISTACEIS.

NOMENCLATVRAE.

Πιστάκια.

Pistacea.
Fistica.
Fistici.
Ein Frucht in der Apotecken.

D ANNOTATIO IN PISTACEA.

PISTACEA Romanis pariter Græcis dicunt. Sunt autem Pistacea, ut Platina scribit, auellanis similia & medici eis in Pharmacis utuntur. Eosdem ferè usus habent, quos nuclei pinei, præter quàm ad serpentium ictus. Austeræ & stipticæ uirtutis sunt. Pistacea, ut Hermolaus Barbarus autor est, in nucum genere habentur. L. Vitellius qui Censor fuit, & hæc in Italiam primus intulit è Syria, cum legatus in ea prouincia fuisset, nouissimis Tiberij Cęsaris temporibus: mox & in Hispaniam qui cũ eo militauerat, Flaccus Pompeius eques Romanus. Nascuntur hæc quidem circa magnam Alexandriam, ut Galenus inquit, sed longe uberius in Berræa oppido Syriæ: pauci nutrimenti, sed iecori confirmando, ac liberandis ab infarcto humore eius uisis non inutilia, subausteram nanque & amaram uim cum odorifera participant. Officinę Fistica & fisticorum grana hodie uocant.

VIRES AC IVVAMENTA.

Pistacea confortant stomachum atq; iecur. In caliditate & siccitate sunt temperata.

In cibo sumpta ualde corroborant, aperiunt thoracem, purgant pulmonem.

Oleum ex

A Oleum ex fructu isto capiti prodest illitum.

Hic fructus comestus stomacho ualde est accommodatus, non enim potest inde oppilari, neq; nimium laxari, retinet stomachum in suo uigore, si non comedatur copiosius. Cor confortat, eiq; bonum sanguinem parit. Pistacea in cibo idem præstant quod amygdalæ.

DE PLANTAGINE.

B

NOMENCLATVRAE.

Ἀρνόγλωσσος.
Ἑπτάπλευρος.
Πολύνευρος.
Ψυλλάτειος.

Plantago.
Arnoglossa.
Lingua agni.
Septineruia.

Wegerich.
Wege Breyt.
Schaffzung.

ANNOTATIO IN PLANTAGINEM.

PLANTAGO à Græcis Arnoglossus dicta est, quòd agninæ linguæ folia eius speciem habent, Heptapleuros eadem & Polyneuros ex eadem causa, ijsdemq; notis dicta est: πλευρὰς enim Græci costas dicunt. Et quoniam septem crassioribus fibris, quasi costis in dorso, per longitudinem folia eius distincta sunt, ideo nomen id inuenit, nec minus à multitudine earundem fibrarum, quas neruos etiam uocant, Polyneuron. Nos interdum Graia, uti solet fieri, imitatione, Septineruiam eam uocamus. Latini eam plantaginem, ducto à planta uocabulo, nuncuparunt. Themison Arnoglosso proprium uolumen dicauit, laudes abunde complexus. Duo autem genera Plantaginis sunt. Maior & Minor. Minor angustioribus uiret foliis, minoribus, mollioribus, læuioribus atq; tenuioribus, caule anguloso, in terram inclinato, flore pallido, semine cacuminibus caulium emicante. Hanc officinæ quoniam fo-

C niam folium arctius definit in acumen, & uelut in lanceæ mucronem fastigiatur, lanceolatam appellant, uulgus uerò lanceolam. Maior contrà crassior uegetiorq;, folio latiore, betaceo, caulis ci angulosus, subruber, cubiti altitudinem petens, à medio sui ad fastigium usq; tenui semine uestitus, flosculo in spica lanugineo ut frumento, particulatim erumpente, radicibus teneris, pilosis, candidis, digitali crassitudine. Inuenitur in uliginosis & circum septa, lacunosisq;. Efficaciorem, melioremq; usum maior habet.

DESCRIPTIO.

Plantago maior gaudet nasci prope uias & in pratis. Folia habet lata multis fibris distincta, & in medio caulis semina, quę in summo habent nodulos: flores habet candidos.

TEMPERAMENTVM.

Frigidæ & siccæ naturæ est, quare uirtutem habet exiccandi uulnera nimium humida.

Plantago, ut Ægineta inquit, refrigerat pariter & desiccat in abscessu secundo, temperata ex aquea & terrestri substantia, cui etiam adstrictionis nonnihil adsit, quo nomine ad maligna ulcera, fluxiones putredinesq; accommodata est, temperamenti moderatione.

VIRES AC IVVAMENTA.

Succus Plantaginis clystere infusus per anum, diutinam febrem
D tollit. Oculis idem illitus pellit inde calorem & tumorem.

Succo si dentes colluantur, dolorem ac tumorem sedat. Prodest quoq; mulieribus quarum menses non possunt adstringi, linteolo pudendis subditus & impositus: & linteolum quàm primum siccatum fuerit, statim iterum madefieri debet.

Semen contusum & in uino sumptum, easdem cum succo facultates habet. Foliorum succo continua collutione purgantur oris ulcera, & linguæ uulnera.

Succus fistulis infusus, eas sanat.

Idem auribus instillatus sanat, atq; exiccat ulcera.

Sacris ignibus medetur cum succo Semperuiui permistus. Cum aceto sumptus facit ad cruentas excreationes. Ad Phthisim quoq; confert.

Folia melle contusa & elixa, ac humidis uulneribus emplastri modo imposita, ea desiccant.

Plantaginis maioris folia cum aceto & sale calidi oleris modo cocta, & in cibo sumpta, aluum adstringunt ac dysenteriam.

Lenticulis autem additis magis prosunt.

Triplices sunt alui fluxus, quorum primus uocatur dysenteria, & uenit cum sanguine.

Alter autem Diarrhoia dicitur, qui absq; sanguine profluit.

Tertium

A Tertium lienteriam nominant, & est fluxus in quo cibi celerrimè per intestina dilabuntur, & excernuntur non cocti, sed quales ante fuerunt sumpti. Ad primum & ultimum fluxum maximè prodest plantago cum uino decocta ac in potu sumpta.

Ad affectus gutturis, Accipe plantaginem ac eam contunde, succumq; expressum bibe, collumq; eo inunge. Idem thoracẽ relaxat.

Plantago sistit profluuium sanguinis uulnerum, si contusa cum oui albo mixta fuerit ac imposita.

Sanat etiam canum morsus, pellit omnem tumorem contusa ac imposita. Tollit uulnerum cicatrices, & reducit cuti pristinum colorem.

Ambustis quoq; medetur contrita & cũ oui albumine imposita.

Succus prodest ad quartanam febrem, duabus horis ante accessionem potus.

Quæcunq; sunt ulcera quæ pascendo serpunt, & uetera mala, ea purgat & sanat.

Sanguinem sistit plantago & dysenteriam, cum aceto cocta & manducata, uel si clystere in aluum injciatur, uel in puluerem trita sumatur.

Potest quoq; imponi ambustis, & inflammationibus & strumis.

Succus oculis instillatus purgat & refrigerat eos. Auditum re-
B stituit, auribus inditus.

Decocta eiusdem radice colluuntur utiliter in dolore dentes.

Plantaginis tres radices integræ in uini cyathis tribus, & pari aquæ potæ, tertianas febres soluunt: Quatuor uerò quartanas pellunt.

Plantago & puluis ex Aro hemorrhoidibus impositę, eas sanant.

Radix cum pyretro trita & cum tepida aqua dentibus admota, eorum doloribus medetur.

Plantago cum tota sua substantia, aperit iecur, lienem atq; renes, eaq; refrigerat.

Morsui rabidi canis medetur imposita. Prodest quoq; contra morsus serpentum aliorumq; uenenatorum, imposita.

Cruditatem stomachi succus in potu sumptus, discutit.

Plantago cum melle cocta & mamillis mulierum bis aut ter applicata apostemata sanat.

Si cui ex longo itinere pedes intumuerint, hanc herbam pedum plantis subijciat, ea tumorem discutit.

Folia cum sale contusa & podagræ doloribus imposita, dolores mitigant.

Succus utiliter datur suspiriosis ac comitialibus. In lana strangulatu uuluæ procidentibus, idem apponitur.

Apponitur

C Apponitur & contra muliebrium locorum fluctiones.

Plantaginis ſemen in uino potum, alui fluores & cruentas excreationes ſiſtit.

Luxatis dolores et tumores tollũt folia tuſa, addito ſale modico.

Dantur contra ueſicæ renumq; exulcerationes in paſſo radix & folia.

DE AQVA PLANTAGINIS MAIORIS.

Radix atq; herba cum tota ſubſtantia minutim conciſa, in exitu Maij diſtillantur.

Aqua Plantaginis per 40. dies mane ac ueſperi ſingulis uicibus iiij. uncijs in potu ſumpta, facit ad aquam intercutem, calidam tuſſim, & tumorem, ex calore prouenientem: ſanat puſtulas ex calore obortas. Prodeſt contra omnem alui fluxum, & imprimis contra dyſenteriam, ſi lapidis hematitis & Boli armeni, ſingulorum drachmam, & aquæ Plantaginis duas uncias admiſceas: hoc ſimul permiſtum, & in potu ſumptum, diarrhoiam quoq; ſiſtit, & nimium fluxum menſtruorum.

Vlcera pulmonis ſanat & tabem. Prodeſt contra uenenum.

Medetur morbo comitiali per xiiij. dies pota. Ad amatorium medicamentum confert per iiij. dies bibita, ac deinde purgatione in potu ſumpta, pellit dolorem lienis. Lumbricos necat. Per tres dies
D matutino tempore ad iiij. uncias à ieiuno ſumpta, medet febribus. Matrici ſubuenit, & pellit ſecundas. Conducit ad peſtem. Inflammationibus prodeſt, linteolis impoſita.

Sanat omnia ulcera quæ uel ex contuſione, percuſſione, caſu, uel ex alia quacunq; cauſa generata ſunt.

In ore diu retenta, ſanat omnia uulnera ac ulcera oris, & putreſcentes ſanguine gingiuas.

Fiſtulis quotidie inſtillata, eas perſanat, ſi quoq; ex ea lauentur.

Auribus indita, dolorem inde remouet. Sacris ignibus medetur.

Oculis illita, tumores eorum tollit. Exulcerationem gutturis ſanat, gargariſſata.

Vulneribus impoſita linteolis ſanguinis profluuium ſiſtit. Sanat omnes morſus atq; ictus uenenatorum, facit ad inflammationes, & heryſipelata, linteolis applicata.

Lineis pannis impoſita, ſeruat uulnera, ne inflammatio uel aliud ſymptoma eis accidat: medetur ulceribus quæ paſcendo ſerpunt.

Herpetem depaſcentem curat, quem morbum uulgõ lupum dicunt, ſi in ea decoquantur: balauſtiæ, pſidiæ, nucis cypreſſi, Xylobalſami, Carpobalſami, Aluminis ſuccharini, ſingulorum uncia una, Mumiæ uncia ſemis, & poſtremo Camphoræ drachma una, aquę plantaginis libra una: quo decocto affectus ille lauandus eſt.

Aqua

Aqua Plantaginis facit renasci carnem. Sanat fistulas podicis.
A Apthas quoq; sanat, ore sæpius inde colluto. Exulceratis intestinis medetur per anum infusa. Facit ad fluentes hemorrhoidas gossypio imposita. Malignas pustulas & ulcera etiam mala curat.

DE PLANTAGINE MINORE.

B

NOMENCLATVRAE.

Ἀρνόγλωσσον μίκρον.

Plantago minor.
Lanceolata.

Spitz Wegerich.

DESCRIPTIO.

PLANTAGO minor nascitur ad maioris Plantaginis formam, folia tantum habet acuta & neruosa, & in summitate capitellum puniceos flores producens.

VIRES AC IVVAMENTA.

Hęc ad omnia prodest, ad quę Plantago maior, sed uiribus non adeo pollet.

Succus facit ad ulcus narium quod Ozæna dicitur, cum molli lana emplastri modo impositus. Hoc emplastrum post nouem dies semper renouari debet.

Ab aranea uel alio uenenato animali punctus, succum eius illinat loco dolenti.

Prodest quoq; succus morsui rabidi canis illitus, ac in potu sumptus. Facit etiam ad serpentium morsus.

Si aliquem punctura lateris dolore afficit, folia huius herbæ

C aquæ imponat, & ea calida lateri uel lieni adhibeat, tum dolor sedatur.

Si quis anthracem uel carbunculum in corpore habuerit, accipiat radices eius, & eas apud ignem toſtas, calidas imponat, hoc erit remedio.

Qui paralyſi laborat, accipiat utranq; Plantaginem, pari pondere, & ſuccum exprimat, quem cum uino aut melle temperatum bibat, id morbum diſcutit. Qui ad ſpaſmum propenſus eſt, hanc herbam cum forti uino contundat, & imponat, ea opem præſtat.

Succus eius in potu ſumptus, uarios affectus ueſicæ expellit.

Ex hac Plantagine accipe tria uel quatuor folia, eaq; in ore retine, tum nulla apis te punget. Contra tertianam, Accipe Plantaginis minoris radices, eaſq; ſiccatas in puluerem contunde, & in uino calido ante acceſſionem ieiunus eas ſume, optimum eſt remedium, & febris emanet. Febre quartana qui laborat, bibat ex ſucco duabus horis ante acceſſionem, uel herbam in uino decoquat, illudq; tribus uicibus mane bibat, & ſemper die ſequenti ſemel bibat, hoc absque dubio auxiliatur.

Succus in potu ſumptus pellit ſecundas.

Idem emplaſtri modo tumoribus impoſitus, eos diſcutit.

Item ſuccus cū aqua mulſa potus, tollit febrem quartanam, hoc ſæpius factum ante multas acceſſiones.

D Succus impoſitus parotidas tollit, & dolorem ſedat.

Idem potus lumbricos occidit.

Succus calefactus, uel herba ipſa ſi aluus inde fricetur, pellit tormina eius.

Contra ulcera uel puſtulas oris, accipe ſuccum foliorum, & in ore retine, uel herbam ipſam dentibus mande, tum facile medetur.

Contra ginguias, ſanguine putreſcentes, accipe ſuccum & os ex eo collue, tum opem præſtat.

DE AQVA PLANTAGINIS MINORIS.

Tempus diſtillationis eius eſt, ut radix & herba cum tota ſubſtantia conciſa in medio Maij diſtillentur.

Aqua Plantaginis minoris quatuor uncijs ante acceſſionem in potu ſumpta, medetur febri quartanæ.

Itidem pota pellit ſecundas, purgat renes & ueſicam, prodeſt quoq; contra ulcera narium uel oculorum, ſi per diem bis ex ea lauentur.

Tepida ſi in potu ſumpta fuerit, pellit lumbricos alui.

Hæc aqua habet fermè eaſdem uires cum aqua Plantaginis maioris, ſed non adeo potentes.

DE POLYPODIO.

A

NOMENCLATVRAE.

Πολυπόδιον.

Polypodium,
Filicula.

Engelsüß/oder Baumfar.
Tropffwurtz.

ANNOTATIO IN POLYPODIVM.

POLIPODIVM ex similitudine quam cum cirris polypi piscis habet, quasi paruus Polypus appellatur. Neq; enim à multitudine pedum, quos nullos habet, Polypodium Gręci hanc herbam nominauerunt, sed quoniam radix eius cyrris polypi, ut diximus similis est, Latini ex similitudine foliorum cum filice, filiculam nuncuparunt. Polypodium quercinum, quia hoc efficacius habetur, medici magis usurpant,

B

DESCRIPTIO.

Polypodium herba est nascens in petris, quercubus, & antiquis muris, & pręsertim in uetustis arboribus. Folia eius Filicis formam repræsentant, quæ intus habent nigras guttulas, instar Scolopendræ uermis habentis xĵ. pedes. Radix illi est digiti crassitudine, & intus herbacei coloris, & ualde dulcis saporis.

TEMPERAMENTVM.

Polypodium calefacit in tertio ordine, & desiccat in secundo.

Quod in truncis quercuum nascitur illud magis probatur. Radix in æstate colligetur, & diem unum ad solem siccari debet, ea duobus annis suam uirtutem seruat.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radix habet uirtutem dissoluendi & purgandi frigidum humorem, ut Phlegma & Melancholiam.

Præseruat hominem à morbis qui accidere possunt.

Polypodium cum aniso, fœniculo, atq; cumino, æquali pondere in libra aquę decoctum, ac in potu sumptum, aluum expurgat, multos malos humores educens. Habet facultatem resoluendi Melancholiam.

C Radix in iure gallinaceo & aqua mulsa coquetur: hoc modo autem sumpta pituitam & bilem atram purgat.

Polypodium sumptum cum sero lactis, leniter subducit aluum, & præcipuè medetur lieni inflato.

Prodest quoq; ad intestinorum tormina.

Cum aqua mulsa potum, medetur febri quartanæ.

Cor ualde confortat Polypodium, & bonũ generat sanguinem.

Recipe Polypodij in puluerem redacti unciam unam, quinquefolij drachmam, radicis Hermodactyli drachmam semis, sacchari semiunciam, quę omnia simul misceantur, cum modico aquæ paralysis herbæ, uel Saluię: hoc sumptum facit ad paralysim & dolorem articulorum.

Polypodium decoctum cum iure gallinaceo, Beta aut malua, expellit per inferiora atram bilem atq; Phlegma.

Puluis quoq; cum aqua mulsa sumptus, purgat etiam iuxta modum suprà dictum.

Radix etiam conducit ad febres Melancholicos, & præsertim aduersus Colicam in iusculo antiqui galli gallinacei elixa, ac in potu sumpta.

Facit ad digitorum rimas, si ex ea trita cum melle inungantur.

Eodem modo & luxatis prodest, emplastri modo imposita.

D Folia eius, ut Plinius inquit, cimicem necant, serpentem non recipiunt. Ideo substerni utile est in his locis suspectis.

Dosis Polypodij, ut Mesue inquit, est à duabus drachmis usque ad pondus iiij. aureorum. Quia ualde desiccat & corpus emacrat, corrigi debet, cum aqua mulsa, sero lactis, iure gallinaceo, decoctione aquæ hordeaceę, uel uuarum passarum.

DE AQVA POLYPODII.

Ad tempestiuam distillationem sumitur Polypodium querculum, & radix tantum absq; herba minutim concisa, intra mensem Iulium usq; ad Septembrem distillatur.

Polypodij aqua mane ac uesperi singulis uicibus ad iiij. uncias in potu sumpta, facit ad tussim, & phrenesim, pellit Melancholiam, tristiciam ac ægritudinem animi.

Eadem pota relaxat angustiam thoracis, mollit aluum, repellit horrenda somnia, emendat uitiatum colorem, purgat sanguinem.

DE POMIS.

NOMEN

A

NOMENCLATVRAE.

Μῆλον, ὀπώρα.

Pomum, malum:

Epffel.

ANNOTATIO IN POMVM.

POMA, duntaxat fructus sunt grandiusculi ij quibus uescimur. Cerasum, Prunum, Mespilum, appellatione pomi ueniunt, ab hoc quòd indigent potu Poma dici posse putat Varro, nanq; cum inseruntur siccitatibus, aquam postulant, Potest quoq; hinc dici pomum quòd uicem potus in cibis præbeat. Pomum generale nomen est, ut complectatur quicquid apud Græcos ὀπώρα continet. Sunt de agricultura scriptores, qui sic Pomũ à nuce distinguunt, ut nuces dicant omne pomum quod foris duro operimento tegitur, & intus habet quod esui est, Pomum uerò quod foris habet quod edendo est, & durum intus
B includat. Malum idem esse cum pomo plærique omnes testantur. Est autem infinita penè in malis ludentis naturæ uarietas, ut Verg. Marcellus scribit, tam multa eorum genera, tot colorum differentias, tot figurarũ discrimina, tam uarios saporum odorumq; sensus, & maturitatis tempora, in uno hoc pomo sagax omniũ artifex natura ostendit. Seruantur Poma tabulatis loco frigido, septentrionalibus fenestris, quæ sereno die lucem accipiant patentes Austri specularibus arcendi. Aquilonis afflatu deturpantur rugis. Stramentis, storeis, paleisue substernuntur. Rara componuntur, ut limites parui spiritum æqualem accipiant. Hordei aceruis obruta, à putrilaginis labe uindicantur.

VIRES AC IVVAMENTA.

Poma & inprimis mitia, boni odoris gratia, cor & cerebrum confortant, medentur Phthisicis & Melancholicis. Cruda manducata omnibus alijs pomis insalubriora sunt, generant enim in membris malos humores.

Dulcia natura calefaciunt & exiccant, austera refrigerant.

Adstringunt & Poma, sed acerba, ut Dioscorides testatur. Matura enim non adeo id possunt, quæ per uer maturitatem suam absoluunt, bilem augent, neruis omnibus inutilia sunt, & inflationes faciunt. Galenus uerò non omnia reijcienda pronunciat, sed ea tantum, quę aut aquei saporis sunt, aut asperi atq; acidi. Dulcia autem

C & matura, quæq; hyeme cuſtodita ſuauiter fragrant, inflammationem tollunt, ſtomacho nauſeanti ſuccurrunt, & appetentiam inducunt. Mala autem frigida eſſe & humida ex eo maximè deprehenditur, quòd ſuccus ex his expreſſus, facile tranſit in acorē. Hanc ob rem quidam cenſuere huiuſmodi fructus bono ſtomacho ante menſam non nocere, cum uentrem humectent & prȩcordia refrigerent.

Nullorum pomorum ſuccus poteſt ſeruari præterquam cotoneorum, qui cum melle & ſaccharo uel alijs aromatibus paratus multo diutius durat.

Citrea poma non eandem quoq; uirtutem poſſident, putamina enim calida ſunt & ſicca. Nuclei qui intus ſunt, refrigerant atq; ſiccant. Medium autem pomi eſt calidum & humidum.

Mali granati corium crudum comeſtum, cor confortat, tollit tremorem cordis. Nuclei coniecti in aquam, oreq; inde colluto, & leniter ſi quis deglutiat, emendat aſperitatem gutturis, & eructationem ſtomachi tollit.

DE AQVA EX POMIS PVTRIDIS.

Ex Pomis inſitis quæ putrida fuerint, diſtillabis in Balneo Mariæ. Hæc aqua conducit ad inflammationem, quæ refrigerata atq; putrefacta latius ſerpit, ita ut caro excidat, ſi mane ac ueſperi ea lauetur, uel linteolis ſi imponatur.

D Facit ad anthracem & herpetem depaſcentem, ac peſtilentes abſceſſus per diem ter linteolis impoſita. Aqua ex mitibus pomis diſtillata priuſquam putreſcant, ualde prodeſt ad confortandum, refrigerat corpus atq; cor, mane ac ueſperi in potu ſumpta.

DE AQVA EX FLORIBVS POMORVM.

Flores ex inſitis pomis colligi debent cum oculi ſe dilatant, & linteo ſub arbore ſtrato, fuſte debent decuti, ac deinde in Balneo Mariæ diſtillari.

Ea aqua facit ad ruborem & deformitatem faciei, ſi per tres aut quatuor hebdomadas mane ac ueſperi inde lauetur, tũ remedium præſtat.

DE POPVLO.

NOMENCLATVRAE.

λεύκη, ἄιγειρος.

Populus arbor.

Popeln baum. Alber baum. Olben baum.

ANNOTATIO IN POPVLVM.

POPVLVS arboris genus à frondium multitudine ſic appellata, Eſt autem duplex. Alba & Nigra. Alba λεύκη, Nigra ἄιγειρος à Græcis

A Græcis appellata, utrunq; genus erectum, sed nigra procerior & lęuior, folio bicolor, utriq; densa lanugo quæ ut iulus euolet, ligno utriq; par candor, neutra putatur florere, sed albumine rosiore folio, quæ uuas Bryon uocatas ferat unguentis. Aquosa & palustria amat loca, lætiorq; secus omnes nasci solet. Hinc unguentum populneum, quod ægirinon Gręcis dicitur, ex uua populi quę Bryon dicitur, conficitur uerno tempore cum plurimum grauis est prægnansq; resina.

DESCRIPTIO.

Populus arbor est ad similitudinem arboris, quam uulgo Tremulum appellant, præterq; quòd hæc bonum odorem emittit quando oculos producit.

TEMPERAMENTVM.

Hæc arbor est humidæ & frigidæ naturæ. Populus nigra in primo ordine calefacit, & modice siccat & tenuis est substantiæ, ut Æginęta docet. Populus alba quoq; calida potius quàm frigida, scribente de ea Galeno, quòd mixtę est aliquo modo temperaturæ, ex aqua tepida, & terrestri tenuata substantia, & quòd absterśiuæ uirtutis est particeps, Vide Manardum epistola 5. lib. 20.

VIRES AC IVVAMENTA.

B Ex radice Populi, si quis biberit, octo dies tutus est à colica & stranguria. Ex folijs populi quando primum prodeunt, conficitur unguentum populneum, quod ad multa utilissimum est. Hoc sudorem elicit umbilico inunctum.

Conficitur autem ad hunc modum, Accipe oculorum Populi libram unam, foliorum papaueris, semperuiui, lactucæ, Satyrionis, Solatri, Hyoscyami, mandragoræ, singulorum unciam unam, ea simul tusa decoque in uino usq; ad medietatem. Deinde instar Piperis per linteum colabis, & axungiæ Porcinæ non salitæ quantum uolueris admiscebis, & apud ignem bene agitabis usq; dum fiat unguentum. Hoc prodest contra calorem acutæ febris, conciliat somnum temporibus illitum, & reprimit tumores.

DE PORRO.

NOMENCLATVRAE.

Πράσῳ. Κεφαλωτόμ.
Porrum.
Porrum capitatum.
Porrum sectiuum.
Lauch.

ANNOTATIO IN PORRVM.

c PORRVM oleris genus est quod allij naturam fermè refert. Dictum autem putant Porrum, quòd porrò eat, & longe lateq; grassetur. Græci Prason dicunt. Porri duo genera designauit antiquitas. Capitatum, quod increscit in caput: & sectiuum, cui frondentem comam solo tenus amputarunt: Sectiuo uerò Cæsar autoritatem dedit, edens singulis diebus cum oleo, conseruandæ uocis gratia. Cantare em̄ non modò priuatim, uerum etiam publicè, & in scæna gaudebat. Debere etiam porro se plurimum cum benè cantauit, professus est. Vtrunq; Porri genus, sectiuum scilicet & capitatum, eadem omnia potest, ut Marcellus scribit, sed capitati efficaciora uis. Illiberalis cibus Porrū est, nō tamen à natura tantopere damnatū, ut non medicinam multiplici remedio etiam instruat.

GENERA PORRI.

Porrum apud Herbarios Germanos duorum uel triū generum est, primum est Porrum ipsum quod **Lauch** appellant. Secundum genus est quod Astronum Latine appellant, & Germanice **Prieß-Lauch**. Tertium quod **Eschlauch** uulgò dicitur. Hæc omnia in hortis inter olera nascuntur. Astronum habet paruum & acutum capitellum & florem cœruleum. Porrum crescit paulo altius, flores acquirit candidos. Sed quod **Eschlauch** uulgò dicunt, alia duo
D altitudine excedit, nullos flores producit, in summo tantum habet nodum super rotundo caule. Hieronymus Bock omnino credit illud genus Porri quod uulgò **Prieslauch** appellant, esse Porrum sectiuum.

TEMPERAMENTVM.

Porrum calefacit in tertio ordine, & desiccat in secundo & præsertim satiuū. Agreste Porrū caliditate & siccitate excedit satiuum.

VIRES AC IVVAMENTA.

Porrum contusum & sale permistum, ac malis pustulis impositum, eas sanat. Agreste in quacunq; corporis parte applicetur, exulcerat. Eius nimius usus capitis dolores facit, mala somnia inducit.

Porrum in puluerem contritum & temperatum cum oleo rosaceo ac aceto, auribusq; instillatum, dolores earum discutit. Prodest quoq; ita sumptum contra dolores dentium. Porrum satiuum stomacho non est accommodatū, multo minus agreste. Porrum comestum inflat corpus, ideo bis in aqua coqui debet, antequam in cibo sumatur, ita uires eius retunduntur. Menses mulierum trahit, cit urinam, superfluū obtinet calorem. Succus Porri sumptus cum lacte mulieris, ueterē tussim sanat, ac pulmonis ulcera. Sanguinem excreantibus idem in potu sumptus, prodest. Sanguinem reiicientibus succus cum gallę & thuris farina datur. Sanguinem è naribus fluentem idem sistit. Crudum manducatū nauseam inducit, & est uenenosum. Ebrietatem discutit, si crudum editur. Empla-

A Emplastrum ex eo factū, & membris conquassatis applicatum, reprimit tumorem, & sanguinem concretum consumit.

Contra dolores coxendicis, bibe succum porri, & proderit.

Idem antiquam tussim sedat atq; dolores pectoris & pulmonis, medetur hydropicis, in potu sumptus.

Contra ingentes dolores capitis, accipe duas partes succi cum tertia parte mellis, id ualde auxiliatur, si in nares uel aures infundat.

Contra exulcerationem locorum muliebrium multum prodest succus subditus.

Vulneribus præcipuè medetur, quæ refrigerata sunt atq; putrefacta, si infundatur, carnemq; putridam inde erodit.

Cum radicibus alborum liliorum, si permisceatur ac coxis illinatur, repellit earum dolorem.

Porrum sæpius sumptum, onerat stomachum, parit sitim, ac sanguinem inflammat.

Succus uulnera recentia cum sale appositus, statim claudit.

Venerem stimulat porrum, ut Dioscorides inquit: facit idem ad omnia pectoris uitia cū melle in eclegmate: facit & ad tabem, quam Græci Phthisim dicunt.

Purgat fauces in cibo sumptum: continuus tamen eius cibus ocu
B lorum claritati officit, & stomacho nocet. Succurrit & uenenatorum morsibus, potus cum melle porri succus: succurrunt & folia ipsa emplastri modo imposita. Grauem uocem explicat porrum, sua lentitia faucium asperitatem deliniens.

DE AQVA PORRI.

Radix Porri tantum distillatur in Iunio.

Aqua Porri mane ac uesperi pota, singulis uicibus ad ℥. uncias, salubris est frigidum sanguinem excreantibus. Conducit fœminis sterilibus in potu sumpta.

Sistit profluuium sanguinis è naribus, gossipio in ea intincto ac naribus indito.

Eadem pota prodest contra uentrem constipatum, & dolores coxendicū, purgat renes & uesicam, ciet urinam, & pellit calculum.

Vulnera citò sanat, si mane ac uesperi inde lauentur.

Facit quoq; ad exulcerationem & fracturam locorum muliebrium, quæ post partum contingere solet, si mane ac uesperi ex ea lauentur.

DE PORTVLACA.

NOMENCLATVRAE.

Ἀνδράχνη.

Portulaca. Burgel. Burtzelkraut.

ANNO.

ANNOTATIO IN PORTVLACAM.

c PORTVLACA herba est quæ à Græcis Andrachnæ dicitur, ea à Gallis in acetarijs editur, cucumeribus, cæpis, oleo, sale, & aceto conditis. Distribuitur autem in duas species. Vna in hortis emicat, cauliculis teretibus, in altum erectis, lente uergentibus in puniceum, foliis pinguibus, à tergo candidis, gustu subsulso, semine nigro, in herbaceis calycibus collecto. Alia sponte sua in uitibus nascitur, & ternis quaternisue coliculis in terra sessilibus serpit, cultaq; latius euagatur, folio carnoso, uerum turbinatiore, cætera priori consimilis. Est & Portulaca quæ aquatica dicitur, folia tenuiora habens & letiora, florem item subrubrum & rotundum, præterea altius attollitur.

DESCRIPTIO.

Portulaca nasci gaudet in agris & segetibus adhuc teneris ac herbescentibus. Folia habet fabis similia, & in terra iacentia.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat in tertio gradu, & humectat in secundo. Portulaca recens ac uiridis magis probatur, siccata exiguas habet uires, mitigat & humectat.

VIRES AC IVVAMENTA.

Qui æstuantem habuerit stomachum, cuiq; orificium stomachi inflatum est, edat portulacam, ea bene opitulatur.

D Decoctum Portulacæ in ore retentum, sedat dolorem dentium. Inflammationibus exterioribus subuenit, si succus illinatur.

Succus bibitus ualde refrigerat calores interiores.

Herba manducata, ulcera pudendorum tollit.

Oculis noxia est, corpusq; admodum refrigerat.

Emplastrum ex Portulaca confectum, & calidis ulceribus impositum, ubi metus est quòd materia in eis putrescat, multū prodest: uel si calidū aposteam fuerit, quod intus ab uno membro ad aliud uagatur. Tollit quoq; Portulaca ulcera capitis, si contusa temperetur cum uino, atq; caput ex ea lauetur.

Oculis inflatis medetur impositа.

Remouet calorem æstatis, si eo tempore in cibo sumatur.

Contra excreationem sanguinis iuuat.

Cruda si sumatur, stomachum replet uiscoso humore.

Continuus eius cibus ueneris impetus inhibet. Ardentes febres repellit cum aceto sumpta.

Cum farina hordeacea contusa & calefacta ad ignem, deinde stomacho imposita, ardorem eius extinguit.

Mulieres fluxu menstruo laborantes utentur portulaca, ea citō absq; noxa sistit.

Contusa

A Contusa ac imposita sacris ignibus medetur.

Portulaca ore manducata, prodest contra fluxum sanguinis narium. Idem præstat succus fronti illitus. Portulaca permista cum polenta, & emplastri modo imposita, sedat dolores capitis, extinguit oculorum calorem, sistit fluxum alui & prȩcipuȩ dysenteriam, corroborat renes ac uesicam. Succus in potu sumptus, medetur febribus ardentibus, lumbricos uentris necat, tollit sanguinis excreationem.

Portulaca clystere contra destillationes in intestina muliebrium locorum erosiones infunditur. Inspergitur capiti in dolore ex æstu facto cum rosaceo aut oleo. Inspergitur & contra pustularum in capite eruptiones cum uino ut exterantur, & cum polenta contra uulnerum siderationes utiliter emplastri modo imponitur.

Manducata item cum polenta, intestinorum uomitiones sistit, aluum refrigerat, laborantes podagra calida sanat.

Eius radix suspensa filo, gestata ad collum, uuæ morbum expellit, quod accidisse Prȩtorio uiro scribit Plinius.

Oculis si procidant, eadem prodest folijs tritis cum corticibus fabæ. Vlcera oris commanducata crudа tumoremq; gingiuarum sedat: item dentium dolores, tonsillarum ulcera succus decoctæ.

B Mobiles dentes stabilit mansa, cruditates sedat, uocemq; firmat, & sitim arcet.

Recens postremò masticata, stuporem dentium ex esu acerborum fructuum contractum diminuit ac tollit.

DE AQVA PORTVLACAE.

Herba, caulis, atq; folia simul concisa, in exitu Maij distillantur.

Aqua Portulacæ mane ac uesperi per tres aut quatuor dies singulis uicibus duabus aut tribus uncijs in potu sumpta, medetur sanguinem excreantibus & dysentericis.

Eadem pota unumquemq; alui fluxum sistit, pellit calidam ac siccam tussim.

Prodest contra calorem iocineris, sedat sitim, medetur pesti, pellit suspiria.

Salubris est infantibus contra calorem & lumbricos, mane ac uesperi singulis uicibus ad duas uncias pota.

Item in duabus uncijs aquæ Portulacæ, si semen psilij pondere decem granorum hordei per noctem maceretur, & deinde si inde spongia linguam per diem ter aut quater lauent, quæ ex magno calore in morbis acutis adusta est, & nigredinem contraxit, auxilium præstat.

Conducit ad refrigerandum sanguinem inflammatum, in potu sumpta, uel potui admista: repellit quoq; affectus uesicæ.

DE

c

DE PREMVLA VERIS.

NOMENCLATVRAE.

Premula ueris.
Solidago.

Maßliebe.
Zeitlosen.
Maßüsselen.

ANNOTATIO IN PREMVLAM VERIS.

PREMVLA ueris herba est, quæ primo statim uere emicat. Est autem herba paruula cuius folia supra terram extenduntur, & florem album fert chamomillæ floriſimilem, florum uerò extremitates phœniceum colorem & ualde floridum imitantur. Apolline hic opus esset, ut nobis hanc herbam apud ueteres autores indicaret. Recentiorum medicorum uaria de hac herba est opinio. Antonius Musa eam putat esse Violam albam, & quod Plinius lib. 21. cap. 11. de ea scribat, ubi inquit: Florum prima uer nunciantium uiola alba: tepidioribus uerò locis, etiam hyeme emicat. Doctor Theobaldus Fettichius, ut Ottho Brunsfelsius indicat, eam inter species Consolidæ numerat, uocatque eam Solidaginem. Apud Pandectariũ Artetica dicitur, & procul dubio, propterea quòd experimento comprobata sit contra dolores articulorum ex calidâ intemperie prouenientes. Recentes etiam herbam paralysis nominant.

D

DESCRIPTIO.

Premula ueris oblonga habet folia in summitate rotunda, flores albos, rubore permistos, & quosdam refertos colore ex rubro albicantes, in medio luteum granum continetur, semperq; se ad solem uertunt. Gaudet locis humidis, pascuis, & hortis, atq; supra terram se propagat.

TEMPERAMENTVM.

Hæc herba & radix eius refrigerant atq; humectant, usq; ad secundum ordinem.

VIRES AC IVVAMENTA.

Si quis ex radice bibat, summopere prodest contra pustulas oris atque linguæ.

Colligenda

Colligenda est hæc herba cum floribus & radice in Septembri,
A & in loco aëri exposito siccanda, & non ad solem, ea totum annum durat integris uiribus.

Spasmo qui ualde obnoxius fuerit, eam in bono uino decoquat atq; bibat, cum dormitum iturus est, tum auxilium præstat.

Contra maculas corporis. Hanc herbam cum radice in aqua cœlesti coque, si inde lauentur, pereunt.

Eo decocto si paralytica membra inungantur, ualde prodest.

Prodest quoq; si tumida genitalia uiri inde foueantur.

Radix etiam contrita ac tumoribus ijsdem imposita, certe iuuat.

Folia uiridia salubria sunt ad omnia calida uulnera, si imponant̃.

Herba ipsa adhuc tenera, cum sale, oleo oliuarum & aceto manducata, aluum constipatum laxat.

DE AQVA PRIMVLAE VERIS.

Herba ipsa cum radice atq; tota substantia in medio Maij distillatur.

Aqua hæc mane, meridie ac uesperi singulis uicibus ad iij. aut iiij. uncias pota, facit appetentiam ciborum.

Prodest si alicui costa uel crus fractum fuerit, sanat uulnera, in potu sumpta, & si ex ea lauentur.

Eadem sex uncijs sumpta, mollit aluum, sanat intestina exulcerata, confortat membra paralytica, si ex ea fricentur. Iecur refrige-
B rat, extinguit interiorem calorem, reprimit Choleram, medetur pustulis oris, atq; linguæ ex calore obortis.

DE PROSERPINATA.

NOMENCLATVRAE.

Πολύγονον.

Polygonon.
Proserpinata.
Centum nodia.
Corrigiola minor.
Weg Dritt.
Weg Gras.
Deñ Gras.

ANNOTATIO IN PROSERPINATAM.

PROSERPINATAM Plinius lib. 27. cap. 12. Sanguinariam, Columella uerò Sanguinalem appellat. Nec fuit Romanis scriptoribus, ut Marcellus inquit, alia nominis ratio quàm ex ui & us-

C eius, qui sentientes sanguinem expuentibus, cruentisque intestinorum torminibus eam mederi, ex meliore hac potestate nomen illi fecerunt. Græci contrà à seminis copia, uel geniculorum quos habet frequentia, Polygonon eam appellauerunt. Siquidem Græcis Gonos genitura & semen, Gony uerò genu est. Hanc herbam uerum Gramen esse medici recentiores perhibent, quare ubicunque Graminis mentio habetur, non alia utendum est. Magnam ei iniuriam facimus, quæ cum multis nominibus celebretur, & uarias in se uirtutes habeat, eam tamen pedibus nostris calcamus. Duplex eius genus est apud Dioscoridem, nempe Polygonon mascula & Polygonon fœmina. Mascula, numerosos, graciles & teneros ramulos habens, geniculis intersectos, graminis modo per terram serpentes. Folia rutæ illi sunt, longiora tamen & molliora, & singulis folijs adnatum semen. Fœmina autem singulari caule exiguus frutex est, harundini similis continuatis geniculis, & in se ipsos tubarum modo farctis; circa quos piceæ similia folia in orben exeunt. Centumnodiam quoq; Latini eam appellant à multitudine nodorum. De hac quoq; suprà tractatum est in Gramine.

DESCRIPTIO.

Proserpinata habet singulares & molles ramulos cum teneris geniculis, per terram se propagantes, & singulis folijs semen adnatum
D habet, flores ei sunt albi atq; rubri, atq; hæc est mascula. Fœmina habet teneros ramulos instar harundinis, radix nullius est usus. Gaudet nasci secus fluuios, quidam appellant caudam uulpis.

TEMPERAMENTVM.

Proserpinata humectat in secundo, & refrigerat in principio tertij gradus.

VIRES AC IVVAMENTA.

Succus in potu sumptus prodest sanguinem excreantibus, tollit alui fluxum, & uomitum.

Idem potus & umbilico illitus, facit ad stillicidium urinæ, sanat morsus uenenatorum.

Proserpinata cum uino & melle cocta, sanat recentia uulnera, si imponatur.

Potio uulneraria. Accipe succi Proserpinatæ, Saniculæ & Brassicæ, singularum manipulum, & exprimatur permisceaturq; cum aqua Sambuci. Hæc potio sanat quælibet uulnera.

Succus Proserpinatæ auribus instillatus, tollit fluxum purulentum. Fistulas quoq; sanat infusus.

Idem bibitur cum pipere longo aduersus quartanam, matutino tempore tribus diebus ex ordine sequentibus.

Herba

A Herba ipſa cum uino & aqua bibita, prodeſt contra omne frigus, febrem, & morſus uenenatorum. Vrinam ciet, purgat ueſicam.

Contra apoſtemata pectoris, Accipe ſuccum huius herbæ, & oleum roſaceum eodem pondere, butyroq; admiſto temperabis ſimul, & thoracem inde illines, aliaq; apoſtemata corporis, opitulatur.

Proſerpinata uiridis contuſa, uulnera ſanat.

Genitalium ulceribus egregie medetur, cum uino decoctus ſuccus, addito melle. Contra ſtomachi ardores, ſanguinis excreationes, quæ ſerpunt, ſacros ignes, inflammationes tumoreſq; & uulnera, emplaſtri modo folia utiliter imponuntur.

Proſerpinata in rubro uino decocta, omnem fluxum alui, uomitum, excreationem ſanguinis & ſuperfluos menſes ſiſtit. Itidem expellit omne uenenum: calculum potenter pellit, omnem calorem interiorem ſedat, ſanat omnem exulcerationem internam.

DE AQVA PROSERPINATAE.

Herba tota cum radice conciditur & diſtillatur in medio Maij.

Aqua Proſerpinatę mane, meridie & ueſperi ſingulis uicibus iiij. unciis in potu ſumpta, nimium fluxum alui ſiſtit. Prodeſt contra febrem quæ cum calore inuadit. Sacris ignibus medetur, linteolis impoſita. Confert quoq; contra omnem dolorem uulnerum, ſi he-
B ryſipelas uel inflammatio acceſſit, ſi inde lauentur, & linteolo etiam imponatur.

Purgat renes, pellit calculum lumborum, cit urinam, aperit obſtructionem eiuſmodi membrorum.

Prodeſt pueris & adultis contra lumbricos, in potu ſumpta: facit ad putridas gingiuas ſi inde lauentur, medetur nigris puſtulis linteolis impoſita.

Omnes calores extinguit tam intus quàm foris.

DE PROTENTILLA.

NOMENCLATVRAE.

Protentilla.
Tanacetum agreſte.

Genſerich.
Grenſich.
Grenſing.

ANNOTATIO IN PROTENTILLAM.

C PROTENTILLA uulgò ab Herbarijs dicitur, quam nonnulli medici Tanacetū agreſte appellant, folia em̄ Tanaceto fermè ſimilia ſunt. Poſſet quoq; ob formam parua Agrimonia uocari, cui quoq; non diſſimilis eſt. Apud Plinium & Dioſcoridem certa nomenclatura ei attribui adhuc non poteſt. Hieronymus Bock putat eſſe Millefolium magnum. Germani eam appellant **Genſerich** aut **Grenſich**, quia anſeres hac herba ualde delectantur.

DESCRIPTIO.

Protentillæ folia ſuper terram ſerpunt abſq; caule, flores habet luteos, ad ſimilitudinem florum rumicis, naſci gaudet ſecus uias & & in locis aquoſis, ferè ſimilis Tanaceto.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; humectat, ut Barbari tradunt.

VIRES AC IVVAMENTA.

Cum abſinthio uſurpata, interficit lumbricos, pellit colicam.

Ad Teneſmum, Hanc herbam in uino decoque, ac ita calidam umbilico impone, ea abſq; dubio auxiliatur. Succus eius cum uino ſumptus, tollit Colicam ex frigida cauſa procreatam.

Succus etiam exterius uulneribus illitus, prodeſt.

Herba ipſa in uino decocta, colicæ quoq; medetur.

Itidem confortat membra, ſi inde fricentur.

D Eadem herba cum aqua & ſale decocta & potui data, ſubuenit ex alto delapſis, diſſoluit atq; expellit ſanguinem concretum.

DE AQVA PROTENTILLAE.

Herba ipſa cū radice conciditur, & à Iulio uſq; ad Septembrem diſtillatur.

Aqua hęc vi. aut viij. diebus mane ac ueſperi ſingulis uicibus duabus aut tribus uncijs in potu ſumpta, alba menſtrua mulierū ſiſtit.

Eadem oculis inſtillata defluxionis impetū pellit, medetur quoq; inuerſis palpebris, ſi inde illinantur. Oculis indita prodeſt contra caliginem, albuginem, maculas atq; puſtulas eorum. Vulnera ſanat, ſi ex ea lauentur, & linteolis imponatur. Herpetem depaſcentem quoq; ſanat. Si ſpina dorſi inde fricetur, tollit dolorem.

DE AQVA EX FLORIBVS PROTENTILLAE.

Flores eius quando plene fuerint maturi, in Balneo Mariæ diſtillandi ſunt.

Hæc aqua mane à ieiuno duabus aut tribus uncijs ſumpta, per aliquot dies, omnia membra hominis confortat. Prodeſt contra uertiginem capitis in potu ſumpta & fronti illita. Tollit catharrum & deſtillationem oculorum lippientium, facit quoq; ad humida ulcera linteolis applicata, humiditatem enim per poros educit.

A

DE PRVNELLA.

NOMENCLATVRAE.

Prunella.

Brunellen.

B

ANNOTATIO IN PRVNELLAM.

PRVNELLA, à Hieronymo nobiliſſimo Herbario inter Conſolidæ ſpecies numeratur. Multæ ſane ſpecies ſunt Conſolidæ quæ enumerantur à recentioribus medicis & Herbarijs, quarum nulla fit mentio apud antiquos autores. Hieronymus ponit Conſolidam mediam uel minorem, cuius triplicem facit differentiam. Primæ quidem nomen indit Germanum, Brunell, flore purpureo. Alteri, Güſlden Güntzel, flore ueneto, Blaw. Et tertia nomen maiuſculæ, teutonice Groß Güntzel, ſine floribus, figura Betæ, folijs paulò exilioribus. Habent ferè eaſdem uires, ſed Prunella uſitatior eſt ad affectus oris atq; gutturis, & ad linguæ ardorem, ualde enim ſanat & refocillat, ore atq; gutture inde colluto.

DESCRIPTIO.

Prunella caulem habet craſſum qui ad Balſamitæ modum fert herbam, & in Martio ac Aprili florem ueneto colore producit.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; deſiccat in tertio gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Succus huius herbæ cum aqua roſacea temperatus, capitiq; impoſitus, dolorem eius ſedat.

Idem cum uino permiſtus ac in potu ſumptus, uenenum ex morſu uenenati, tollit.

Herba ipſa elixa & temperata cum oleo amygdalino, & ſucco malorum granatorum, & ſumpta, medetur calidæ tuſſi.

Pellit apoplexiã & lenit ſtomachum cũ aceto elixa ac mandata.

Cum farina hordeacea temperata ac oculis circumlita, calorem inde repellit. Itidem dolorem gutturis ſedat.

Radix cum farina hordeacea temperata, medetur ſacris ignibus.

Succus cum oleo roſaceo ac aceto mixtus, dolorem capitis tollit, ſi illinatur.

Herba ipſa cum aceto contuſa, atq; ceruſſa admiſta, locoq; calido illita, calorem repellit.

Cum alijs bonis herbis permiſta & manducata, malos humores per inferiora expellit.

Præſens remedium eſt alcolæ, & oris ulceribus ſerpentibus.

DE AQVA PRVNELLAE.

D Tempus diſtillationis eius eſt, ut herba, caulis, & flores concidantur & diſtillentur in exitu Maij.

Aqua Prunellæ tollit putrefactionem oris.

Temperata cum oleo roſaceo & aceto, & temporibus illita, calorem capitis diſcutit.

Cum aqua roſacea permiſta, capiti quoq; medetur.

Eadem mane & ueſperi ſingulis uicibus quatuor uncijs in potu ſumpta, prodeſt contra punctura quę in latere ſentitur, & contra apoſtemata interiora corporis, extinguit inflammationes, ſuccurrit imbecillitati cordis.

Eodem modo pota, ſacros ignes & heryſipelata ſanat, tam in adultis quàm in pueris.

Mane in potu quotidie ſumpta, præſeruat à peſte, expurgat pectus, & tollit ſtranguriam. Prodeſt contra tertianam & quartanam febrem.

Itidem pota medetur muliebribus quibus matrix intrinſecus incipit putreſcere & ſuppurare, ex ea enim ſanantur.

Facit ad uulnera, ſi inde lauentur, atq; ſi ea linteis imponatur.

Facit ad alcolam & exulcerationem oris, ore inde colluto & gargariſſato, putrefactionem enim & ardorem atque puſtulas oris ſanat.

DE

A

DE PRVNIS.

NOMENCLATVRAE.

Κοκκυμηλέαι.

Prunus.
Prunum, fructus, arbor.

Pflaumen.

ANNOTATIO IN PRVNVM.

B PRVNORVM uaria sunt genera, & innumeræ differentiæ. Prima laus Damascenis tribuitur, nigra cute, carne suaui, rotundo ligno, exili nucleo. Habentq; nomen, ut Galenus inquit, à Damasco Syriæ monte, in quo nascuntur. Secundas partes sibi uendicant Pertigona cognomine, Iberica uocata, quoniam primum ex Hispania uenerunt, ut inquit Aëtius, succi dulcioris, durioriſque carnis, suaui gustu, ea parte qua solem spectant, purpureo nitent colore, aduersa candicant uel subrubent, utraq; pressa digitis internum os dimittunt. Alia coloris ceræ ex candido in luteum pallescentia, quæ cereola uel cerea uocitantur. Commendantur maximè quoq; quæ Prunidactyla, à longitudine digiti dicta, purpurea, suaui carne, ouata pomi specie, insitionis mangonio nusquam non nascentia. Pruna ut ficus exiccata, utilia permanent, usuiq; per annum reseruantur commodè. Siccantur pruna in sole per crates loco sicciore dispositа.

DESCRIPTIO.

Prunorum quędam sunt alba, quędam rubicunda, cœrulea, & cerea, alia citrino colore, flores producunt, colore roseo.

VIRES AC IVVAMENTA.

Habent omnia uirtutem molliendi aluum, & mutandi naturam hominis.

Pruna Damascena & Armeniaca uiribus præstant. Austera Pruna in principio secundi gradus, natura sunt humida & frigida. Virtutem habent purgandi, & laxandi, corriguntur Tamarindis & Cassia fistula.

Ex carne eorum conficitur electuarium quod ad multos affectus
C conducit ex calida causa proueniẽtes. In Armenia Pruno perfo
ratæ Scammoneam indunt, deinde argilla iterum obturant fora-
men. Pruna quæ in tali arbore crescunt, subducunt aluum, & ualde
penetrant.

Nigra Pruna atram bilem expellunt. Alia stomacho sunt noxia,
parum alimenti præbent.

Pruna emolliunt uentrem, præsertim recentia, sunt difficilis con
coctionis, si nimium edantur, potissimum ijs qui frigido sunt stoma
cho. Sed siccata stomacho non adeo sunt nociua.

Gummi manat ex Pruno arbore quod ad multa conducit. Id
frangendis uesicæ calculis cum uino bibitur. Ex aceto infantium im
petigines idem sanat.

Folia huius arboris in aceto coquuntur, si antiqua ulcera inde la
uentur, ea sanantur.

Nigra Pruna magis probantur, quia uentrem laxant, & Chole.
ram refrigerant.

Recentia magis laxant quàm siccata.

Decocto Prunorum faucium, & gutturis inflammationes utili.
ter colluuntur.

D

DE PSYLIO.

NOMENCLATVRAE.

Ψυλλιον.
Κυνοκεφάλιον.

Psylium.
Herba pulicaris.
Psylien Kraut.
Flö Kraut.

ANNOTATIO IN PSYLIVM.

PSYLION à Latinis herba Pulicaris dicitur, uel quia Pulices fu
gat, uel quia semina pulicibus similia habet, A Græcis Cynoce-
phalion dicitur, quia flores canino capiti non dissimiles habet. Est
& altera herba apud Dioscoridem, quę Conyza pulicaris, hæc au-
tem simpliciter Pulicaris dicitur, ne hoc alicui errorem pariat.

DESCRIPTIO.

Psylium foliis est flaccidis, caule oblongo, in summo duo aut tria
capitula habens, in quibus semen continetur nigrum instar puli-
cum, cuius usus est in medicina. Gaudet locis humidis.

TEMPE.

A

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat atq; humectat in secundo gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Subducit aluum, & naturam hominis mutat, si quis eo utatur.

Exterior cortex seminis natura refrigerat, modicumq; ueneni in se continet, propterea semen contundi debet, & in aqua lauari, ut interior materia exeat, sic potest in medicina usurpari.

Semen cum oleo rosaceo permistum, omnes dolores exteriores corporis pellit, qui ex calore oriuntur, si emplastri modo imponat.

Idem contritum & aceto temperatum, & emplastri modo calidis pustulis impositum, calorem educit. Præsertim autem ita conducit ad herysipelata.. Ad calorem si foris corpori adhibeatur, magis prodest, quàm si intrò sumatur semen.

Semen sub lingua retentum, sedat tussim, prodest contra siccitatem linguæ, quę ex calore prouenit. Semen in usu fronti imponitur in dolore & temporibus ex aceto, & rosaceo aut posca.

Psyllion in aqua cũ radicibus coctum tenesmo imponitur: Item umbilicis prominentibus, & infantium ramici, uetustis ulceribus prodest.

Omnibus articulorum morbis salutare est semen huius herbæ,

B madefactum in aqua, admistis in heminam seminis duobus resinæ colophoniæ cochlearibus, thuris uno. Podagras idem refrigerat, dolorem & tumores luxatorum tollit.

In quam domum uiridis inferatur herba, pulices arceri perhibentur. Succus uerminosis auribus, aut fluxione tentatus instillat.

DE PVLEGIO.

NOMENCLATVRAE.

Γλήχων.
Βλῆχρόμ.

Pulegium.

Poleyen.

ANNO.

ANNOTATIO IN PVLEGIVM.

C PVLEGIVM nota paſſim herba, magna ei cum nepeta & mentha ſocietas: fœmina in eo efficacior, ut Plinius inquit, florem habet purpureum, mas candidum, utriuſq; recens incenſus pulices necat: unde & nomen Pulegio. Quotidianus Pulegium olim ucteribus in ſanitatis uſu cibus: unde in ſale ſeruabatur aliorum, ſalgamorum modo, ut autor eſt Columella. Græci etiam Blechona mutatis literis uocauere, quoniam pecus, guſtato eo dum floret, balatu compleatur. Eſt & Pulegium ſylueſtre, Origano ſimile, foliis minoribus quàm ſatiuum.

DESCRIPTIO.

Pulegium maioranæ formam repræſentat, caulem habet mollem, flores cœruleos, in terra ſe propagans, odorem habet bonum, & gaudet locis humidis.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; deſiccat in tertio gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Pulegium, ut inquit Ægineta, calefacit & attenuat, & decoquit uehementer, Quamobrem ex thorace & pulmone, humida, craſſa, glutinoſaq; facile facit expuere.

Pulegium quando flores geſtat colligendum eſt, tum duos an-
D nos ſynceris uiribus durat.

Nepeta, Pulegium, & Origanum, eaſdem ferè uires poſſident, unde & ſæpius unum pro alio ſumitur.

Contra corporis pruritum, Pulegium in aqua decoques, & inde prurientem ſcabiem lauabis, & bonum erit remedium.

Contra inflationem uuluæ, mulier decocto Pulegij aluum fouebit, hoc auxiliatur. In uino coctum ac bibitum à mulieribus, menſes ducit. Pulegium grauidis fœminis in cibo non conducit, quia abortus ita timendus eſſet.

In potu uel in cibo aſſumptum, ſecundas expellit.

Cum melle & ſale permiſtum, auxiliatur paralyticis & fractis membris. Aſthma tollit cum melle permiſtum atq; intrò ſumptum.

Contra tormina inteſtinorum, accipe duas partes uini, & cum Pulegio decoque, eoq; utere. Vel Pulegium cum aqua mulſa uel aceto ſume, ita etiam opitulatur.

Ita ſumptum medetur etiam uiperæ ictui.

Qui aſſidue ſomnolentus fuerit, accipiat recens pulegium, ac ſub linguam ponat, & in ore contineat, ſæpius enim ita recens ſumptum, auxilium adfert, & arcet ſomnum.

Obmuteſcens accipiat Pulegium ac in bono uino uel aceto elixum, linguæ admoueat, hoc loquelam citò reſtituit.

In pulue-

A In puluerem redactum ac uino inditum, atq; bibitum per duos dies, cum cubitum ire uolueris, pulmonum & iecinoris uitia emendat. In ouo sumptum pulegium uel semen eius, contra cruditatem stomachi & uomitionem eius auxiliatur. Qui ex nimio fluxu sanguinis animo deficiunt, eos recreat atq; confortat, cum aceto naribus obiectum. Si dentes ex eo in puluerem contrito fricentur, omnem pellit dolorem. Podagræ subuenit, recens contusum atq; impositum.

Cum polenta calidum impositum discutit inflationem.

Contusum atq; cum croco temperatum, maligna corporis ulcera pellit, & præsertim ea quæ circa ungues digitorum exoriuntur.

Contusum ac lieni impositum, tumorem eius discutit.

Cum uino calido sumptum, medetur uesicæ stillicidio, idem uinum in oleo elixum ac uentri impositum, ad eundem affectum auxiliatur. Radix eius in forti uino elixa, tumorem pellit, imposita.

In uino sumptum pulegium, uenenum serpentium pellit.

Itidem sanat pulmonis ac iecinoris affectus.

Succus clystere insusus, lumbricos necat.

Pulegium in uino elixum, ac naribus ita calidum bis aut ter inditum, catharro medetur & destillationi capitis. Vuluæ humiditatem expurgat atq; desiccat. In uino coctum ac ita calidum aluo im-
B positum, pellit intestinorum tormina. Idem à muliere sæpius sumptum, reddit eam fœcundam.

Admotum naribus idem ex aceto animæ defectus excitat.

Vinum decoctionis eius & ficuum siccarum, ualet contra frigidam tussim, ex glutinoso humore, uel aquoso.

Id uinum ualet etiam dolori stomachi & intestinorum ex causa frigida, ut Platearius testatur. Similiter & emplastrū ex eo in uino decoctum.

Gargarismus factus ex aceto decoctionis pulegij, & ficuum siccarum, humiditatem uuæ & gingiuarum desiccat.

Fomentum factum ex aqua decoctionis eius, humiditatem matricis desiccat, & uuluam mirabiliter coarctat.

Decoctum eius ablutas prurigines mitigat.

DE AQVA PVLEGII.

Conueniens tempus distillationis eius est, ut herba ipsa cum tota substantia concidatur quando flores gerit, ac distilletur.

Aqua Pulegij mane ac uesperi singulis uicibus duabus uncijs pota, prodest mulieribus quibus matrix refrigerata est, ac menses earum trahit.

Eadem per diem bis pota ac singulis uicibus ad iiij. uncias, prodest contra sanguinis fluxum, tam per superiora quàm inferiora, nimirum

C nimirum ſubuenit ſanguinem excreantibus, ac ſanguinem mingentibus, & dyſentericis.

In potu ſumpta, pellit ſecundas, per incuriam obſtetricis impeditas. In potu ſumpta ruptis medetur.

Supra dicto modo bibita, craſſos ac glutinoſos humores in thorace extenuat ac emollit, nauſeam ac uomitum ſiſtit, pellit Melancholiam ac triſticiam, medetur inteſtinorū torminibus, pellit uenenum, ſanat morſus ſerpentium ac uiperarum, in potu ſumpta, uel linteolis impoſita.

Quatuor uncijs pota ac quater per diem, ſtranguriæ medetur, parturientibus potui data partum promouet.

Prodeſt in potu ſumpta, contra frigidas deſtillationes capitis & catharrum, tollit quoq; antiquos affectus capitis: prodeſt quoq; auribus indita, contra frigidos eorum humores. Oculis fluentibus inſtillata medetur, pellit omnes dolores oculorum, eoſq; claros reddit, caloremq; inde repellit, uiſumq; confortat indita.

Pruriginem tollit per diem bis ex ea lotam, mitigat podagram, ac pellit tumores linteolis impoſita.

Naribus applicata fluxum ſanguinis ſiſtit.

Nitidam reddit faciem, ſi ex ea ſæpius lauetur, pellit lentigines aliaſq; maculas ex ſolis æſtu contractas.

D

DE PVLMONARIA.

NOMENCLATVRAE.

Pulmonaria.

Lungen Kraut.

ANNOTATIO IN PVLMONARIAM.

PVLMONARIA, ut Antonius Muſa, & Hieronymus Bock ſcribunt, herba eſt quam Dioſcorides & Plinius Lichena appellant. Eſt autem duorum generum, Vna quæ petris adhęreſcit, & iecoraria ab Herbariſs dicitur, quòd iocinerum fibris ſimilis conſpiciatur, hanc Lichenam petroſam, & aquaticam poſſumus appellare, ut Hieronymus Bock indicat, & teutonice Brunnen Leber kraut. Alteram uerò Arboream ſiue Sylueſtrem Lichenam, quæ muſcoſis arboribus, & umbroſis petroſiſq;

A petrosisq; rupibus adhæret. Germanice autem Waldt Lungen kraut nominare possumus: utraqꝫ, ut Plinius inquit, contra impetigines prodest. Pulmonaria autem ab Herbarijs dicitur, quoniam pulmonum affectibus præcipuè medetur.

DESCRIPTIO.

Pulmonaria herba est in quercubus & saxosis rupibus crescens, foliꝭ mollibus & sibi cohærentibus ac foraminosis, infrà autem luteo est colore, formamq; pulmonis refert.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat atq; humectat in secundo gradu. Habet uirtutem mol liendi & dissoluendi.

VIRES AC IVVAMENTA.

Pulmonariam cum uino coctam, melleq; admisto, per linteum aut setaceum traiꝭcito, ut pulti similis fiat, tum ad solem siccari sinito, usq; ad tantam duritiem, ut in puluerem redigi possit. Puluis ille cum farina hordeacea permistus, calidis ulceribus medetur insperſus.

Eadem per noctem in uino macerata difficultatem spirandi adimit. Eodem modo usurpata contra siccam tussim prodest, potissimum autem contra omnia pulmonum & iecinoris uitia auxiliatur.

B Contra pulmonis uitia puluis conficitur hoc modo, Accipe Pulmonariam siccatam, semen anisi, pulmonē uulpis in aëre siccatum, fœniculi semen, dulcem radicem Enulæ, Ginziber, eodem pondere, & singula benè contusa per setaceum colabis, saccharumq; optimum ad pondus omnium addes, simulq; miscebis. Hic puluis ad modū alterius Tragęę, mane ac uesperi sumptus, pellit difficultatem anhelitus, aperit pulmonem & iecur, prodest ad asperam tussim.

Veterinarij pulmonaria in puluerem redacta, & cum sale permista utuntur ad tussim & asthma pecorum, & est experimentum.

DE PYRETHRO.

NOMENCLATVRAE.

Πυρέθρου.

Pyrethrum.

Saliuaris herba.

Bertram.

ANNOTATIO IN PYRETHRVM.

PYRETHRVM à feruido sapore qui in eo similis igni sentitur, nomen obtinuit. Romani Saliuarem herbam dicunt, Comman

C ducatum enim copiosam oris saliuam proritat: quia potestate plę-
runq; sunt feruida omnia, ideoq; ueteres Græcorum medici ad pur-
gandas capitis pituitas eo utebantur.

DESCRIPTIO.

Pyrethrum herba est Tanaceto fermè similis, nisi quòd in sum-
mo umbellam habet anetho similem: floribus est luteis, radice tenui
& nigricante, sed foris cano colore. Gaudet editis montibus.

TEMPERAMENTVM.

Radix calefacit atq; desiccat in tertio gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Colligitur aūt in hyeme, duratq; quinq; annis integris uiribus.

Bonitatis laudem obtinet quæ feruido est gustu, & multam sali-
uam excitat.

Radix multum malorum humorum attrahit, & tollit dolorem
dentium in ore retenta.

Radix ea bona censetur, quæ densa & ponderosa fuerit, neq; fra
cta puluerulenta fuerit, Virtutem habet consumendi, attrahendi,
& dissipandi.

Ad dentiū dolorem, quem maxillarum tumor comitatur, Pyre-
thrum in aceto decoques, eo decocto calido os collues, illudq; sæ-
pius expues, recensq; iterum assumes, eo modo opem præstat.

D Ad dentium candorem, Accipe albos filices ex fluuijs, eosq; con-
tunde in puluerem, deinde accipe pennam & dentes expurga, ac pu
ra aqua fontana, puluereq; illo eos frica, atq; post quatuor hebdo-
madas os semel inde collue, tum dentes candorem acquirunt, bo-
nasq; gingiuas consequeris, orisq; suauitatem.

Pyrethrum cum aceto & ficis, aut dulci uino elixum, ac gargaris-
satum, purgat humidum cerebrum, malosq; humores Phlegmati-
cos educit.

In uino decoctum atq; oleo oliuarum, paralyticis membris sub-
uenit illitum.

Ita quoq; prodest podagricis emplastri modo impositum.

Sudores inunctis ex oleo commouet. Facit ad longos in accessio
nibus febrium cum tremore algores.

Facit & ad ea quæ frigoribus perfrixerunt corpora & torpent,
quibus egregiè prodest.

Sequitur Litera Q.

DE QVERCV.

NOMEN

A

NOMENCLATVRAE.

Δρῦς.

Quercus.
Arbor Glandis.
Viscum Quercinum.

Eychbaum:
Eychen mispell.

ANNOTATIO IN QVERCVM.

QVERCVS à Græcis Δρῦς dicitur, quòd id genus arboris graue sit ac durum, tum etiam quòd in ingentem euadat amplitudinem. Plinius glandiferas arbores una uoce comprehendi posse negat, Latino sermone quemadmodum Græco potest δρῦος. Ponuntur autem huius arboris quaterna genera apud ipsum Plinium: scilicet Quercus, robur, æsculus,
B cerrus.

TEMPERAMENTVM.

Quercus omnes partes facultatem habent adstringendi: idq; maximè potest, quod inter corticem & lignum membranæ simile clauditur. Idem potest membrana glandis ea uidelicet, quę fructus carnem conuestit.

VIRES AC IVVAMENTA.

Quocunq; modo hæc usurpata fuerint, natura adstringunt atq; refrigerant.

Glandes faciunt ad profluuium muliebre, & præcipuè interior cortex arboris in aqua decoctus, si mulier inde ab inferiore parte foueatur, uapor iste auxiliatur.

Idem Cortex & membrana quę sub calyculo glandem obducit, simul in aqua & aceto decocta, ac emplastri modo sacris ignibus imposita, calorem reprimit.

Glandes in puluerem contritæ prosunt contra alui affectus & stillicidium uesicæ, & contra stranguriam, medentur calculo renū ac uesicæ.

Glandium calyculi sanguinem excreantibus prosunt.

Contra ardorem stomachi, Accipe folium Quercus, ac linguæ superimpone, humiditatem inde prouenientem, si deglutieris, ad-

C iumentum adfert. Folia Quercus contusa ac recenti uulneri impo sita, adeo illud contrahunt, ut non opus sit id consuere.

Contra uuam gutturis, Accipe glandes contusas, piperéq; contu so ac albo canis stercore addito, atq; ijs simul permistis uuam frica-bis: possunt quoq; ad idem manducari.

Contra punctura lateris, Bibe ex quercino uisco, hoc remedi-um præstat.

Lignum Quercinum coctum, prodest sanguinem expuentibus, si decoctum illud cum uino bibatur.

Fomentum uel suffitus ex folijs Quercus, subuenit mulieribus contra longum profluuium mensium.

Glandes in puluerem redactæ, & in uino sumptæ, uenenum in homine tollunt, ac expellunt per urinam.

Folia Quercus ad multa prosunt. Vnum enim folium apostema-ti impositum, tollit calorem ac sanat illud.

Glandes dolores capitis & inflationes in cibo faciunt.

Radix cum lacte bubulo cocta, ac in potu sumpta, prodest con-tra uenenosa remedia.

Fructus Quercus refrigerat & siccat in primo gradu.

Viscum Quercinum habet facultatem extenuandi, attrahendi, & humores discutiendi. Calefacit in tertio gradu.

D Hoc in puluerem contritum, ac cum resina & cera permistum, prodest contra lienem induratum, & morbum articulorum.

Viscum duplex est. Alterum quod in quercubus nascitur. *Alte-rum* uerò quod in piris. Sed Quercinum uiscum magis probatur.

Hoc in puluerem redactum ac cum aqua uitæ bibitum, *pellit* fe-bres & Apoplexiam.

Ita sumptum pellit uertiginem & tumores corporis.

Annulus cum uisco quercino gestatus, auxiliatur contra morbū comitialem. Idem manducatum præseruat à lepra. Auro circunda-tum & collo gestatum, defendit ab Apoplexia.

Strumas cum resina & cera discutit, panos mitigat omnis gene-ris: quidam galbanum adijciunt pari pondere singulorum. Vngues auripigmento & sandaracha illitum extrahit, additum calci uiuæ, & fecibus, uim suam intendit.

DE AQVA FOLIORVM QVERCVS.

Folia Quercus non antiquæ in medio Maij distillantur.

Aqua illa facit ad alui fluxum siue album siue purulentum, singu lis uicibus sex uncijs pota.

Expellit sanguinem ex contusione in grumos concretum.

Prodest immundo & putrescenti iocineri, ac pulmonarijs, qui-bus pulmo putrescere incipit, in potu sumpta. Prodest contra pun-cturam lateris.

A mulie-

A muliere pota nimium profluuium menſtruorum ſiſtit, ſangui
nem uulnerum quoq; ſiſtit, ſimiliter & ſanguinem mingentibus me
detur, modo iam prædicto in potu ſumpta.

Eadem in potu ſumpta præcipuè conducit contra calculum lum
borum & ueſicæ. Sanat quoq; inteſtina exulcerata ex fluxu alui.

Linteolis membro inflammato applicata, ultra modum refrige-
rat. Antiqua ulcera crurum ſanat, ſi ex ea lauentur, & per ſe iterum
ſiccentur.

Subuenit quoq; contra ruborem & ardorem crurum ex nigris
puſtulis, ſtupa canabina aut lineis pannis, per diem bis aut ter ſu-
per impoſita, uſq; dum calor extinguatur.

Sequuntur Herbæ de Litera R.
incipientes.

DE RAPA.

B

NOMENCLATVRAE.

γογγύλι ἥμερος.
Rapa.
Rapa ſatiua.
Rapum.
Rüben.

ANNOTATIO IN RAPAM.

RAPA ſiue Rapum genus oleris eſt apud nos in uſu fre-
quentiſſimum. Varro Rapam quòd ex terræ rure quaſi
ruapa, dictam putat. Alij quòd paſſim rapiatur Rapæ
nomen deflexum eſſe cenſent, Græci à figura, quæ plæ-
runq; rotunda eſſe ſolet, uocabulum detorſerunt, appellantes gon
gylen aut gongylida. nanque quod in rotunditatem coactum eſt,
uel in orbem circumagitur γόνγυλον, hoc eſt σφόγγυλον dixerunt, ut te
ſtatur Barbarus, Dioſcorides duo facit raporum genera, Satiuum
alterum, agreſte alterum. De uarijs generibus eorum, require Theo
phraſtum lib. 7. cap. 4. & Plinium lib. 18. cap. 13. & 19.

DESCRIPTIO.

Raparum omnigena genera ſunt. Alię enim ſunt oblongę, aliæ
paruæ, alię uerò magnę, iuxta genus & ſationem, agriq; naturã, flo
res luteos producunt. Lętantur agris, & rure in hortis ſatæ amari-
tudinem contrahunt.

TEMPERAMENTVM.

C Rapæ calefaciunt in ſecundo ordine, & humectant in primo, multos humores pariunt ac difficile concoquuntur, multoſq; flatus creant.

VIRES AC IVVAMENTA.

Satiuæ Rapæ ſunt difficiles concoctu, quæ decoctæ inflant aluum, & humores in corpore augent.

Habent Rapę miram proprietatem acuendi uiſum, ut Auerrois ſcribit.

Perfecte tamen coctæ, ut Galenus docet, nutrimentum prębent, corporiq; accommodatę ſunt. Contrà ſi crudiores ingerantur, concoctioni pertinacius reſiſtunt, inflationes pariunt, & ſtomachum infeſtant.

Semen raporum ſumitur ad Theriacam, medetur ueneno. Qui uenenum hauſerit, ſemen in aqua mulſa ſumat, hoc ueneni uim reprimit, ne nocere poſſit.

Rapæ cum aceto confectæ refrigerant atq; inflant, ſed tamen extinguunt calidum & ſiccum ſanguinem, unde maximi morbi creari ſolent.

Rapæ atq; ſemen earum uenerem ſtimulant.

Sanitati conducunt, ſi bis in aqua decoctę fuerint, malignam ſca
D biem, quę leprę ſpeciem repręſentat, lauet ſe aqua in qua ſemen elixum fuerit, ea cutem reddit nitidam atq; puram. Cum uernali butyro ſi Rapa elixa fuerint, thoracem relaxant.

Decoctum eorum ſedat ſiccam tuſſim. Cum oleo oliuarum decocta, concoctionem adiuuant.

Fouentur decocto eorum paralytica membra, podagræ & perniones, hoc maximè auxiliatur.

Si quis in excauata eius radice, ceram roſaceo exceptam inferuenti cinere liquefecerit, exulceratis pernionibus medebitur.

Rapæ aſſiduo uſu craſſos creant humores, & ideo à Democrito in cibos damnatæ.

DE AQVA RAPARVM.

Rapa ſatiua cum radice conciditur, & in exitu Iunij diſtillatur.

Aqua raparum facit ad perfrictionem membrorum, ſi inde lauentur ac fricentur, & linteolum in ea madefactum per diem bis aut ter applicetur.

Facit ad quancunq; uſtionem, ſi ex ea lauetur, cruſtam enim acquirit cutis quæ non eſt remouenda, ſed aſſidue hac aqua lauanda, donec curetur.

DE RAPHANO MAIORE. NOMEN.

A

NOMENCLATVRAE.

ραφανὶς ἀγρία.
Ἀρμοράκια.
Raphanus maior.
Raphanus agreſtis.
Armoracia.
Merrettich.
Merrich.

ANNOTATIO IN RAPHANVM.

RAPHANVS, ut Ruellius inquit, nomen ἀπὸ τοῦ ῥᾴφαίνεσθαι id eſt, quòd facile appareat, ſibi adſciuiſſe conſtat, nam die tertio à ſatu proſilit. Latini radicem uel radiculam appellant. Quamuis ut autor eſt Marcus Varro, hoc uocabulum è Græcia uenit in Latinum, cum ueteres Græci radicem dixerunt quam nunc raphanum. Niſi quis arbitretur forſitan ſibi radicis nomen arrogaſſe, quòd cæteras amplitudine corporis ſuperet, uel quàm pauciſſimis magnitudine cedat. Etenim plærunq; in tantam molem coaleſcit, ut frigidis locis quibus gaudet, infantium
B puerorum magnitudinem æquet. Dioſcorides duo genera raphani ponit, Satiuæ & Sylueſtris, utraq; cuilibet ſatis nota. Satiua eſt uulgaris Raphanus, qua magis ex conſuetudine utuntur ad uoluptatem, quàm ad utilitatem. Hac ſiquidem in cibis antecedente, plęriq; omnes, cum faſtidium urget, uorandi facultatem moliuntur, & appetentiam accerſunt, in quem uſum in taleolas orbiculoſq; ſecatur, ut aqua ſaleq; conſperſa cœnas inchoët. Si quis etiam cibos faſtidit, ad excitandam cupiditatẽ interponitur. Hanc raphnum Romani radicem ſeu radiculam appellant. Syluęſtris Raphanus eſt quam Latini Raphanum maiorem appellant, ut autores teſtantur, quia acriori eſt ſapore & maiores uires poſſidet quàm altera, propterea tali nomine donata eſt. Hæc à Latinis Armoracia quoque dicitur, & in medicina magis uſurpatur. A Germanis uerò **Mörrettich** dicitur.

DESCRIPTIO.

Raphanus maior herba eſt procera, & Bugloſſo uel Enulę Campanæ ſimilis, parua & inciſuris diuiſa, excelſo caule ac in medio albis & paruis floribus.

Radicem habet in terra profundam, albam, craſſam, & oblongam. Magna & oblonga habet folia, quæ prope radicem cerſcunt.

TEMPERAMENTVM.

C Calefacit & desiccat in secundo ordine.

Raphanus iuxta sententiam Auerrois calida est in tertio gradu, & sicca in secundo.

Radix adhuc uiridis melior est arida. Cortices eius exiccati durant annum.

VIRES AC IVVAMENTA.

Raphanus maior à cibo sumpta, laxat aluum & cit urinam.

Radix multum prodest à ieiuno manducata, totum diem præseruat hominem à ueneno, stomachum tantum inflat, creat ructus, atque uomitum, A cibo cibum deprimit, & magis digerit quàm si à ieiuno edatur.

Succus radicis ualde prodest contra ulcera gutturis, gargarissatus. Radix combusta & in puluerem trita, purgat putrida uulnera, erodit carnem putridam, exiccat singulariter humida ulcera, morsibus uenenatorum absq; noxa medetur in cibo sumpta.

Herba ipsa cum Peucedano in aqua elixa, facit renasci pilos, si caput inde lauetur, uel alius locus caluus.

Succus eius auribus instillatus, tollit ulcera earum, & desiccat quoq; absq; nocumento purulentiam aurium.

Semen cum melle contusum opitulatur contra difficultatem anD helitus: puerperis præbet lactis copiam.

Raphanus maior contusa ac elixa, ac melle permista, ore inde colluto sanat ex ulcerationem oris.

Decoctum eius cum modico aceti temperatum ac bibitum, subuenit lieni inflato.

Succus eius per aliquot dies in potu sumptus, sanat exulceratum pulmonem, & est singulare remedium Phthisicis atq; pulmonarijs.

DE AQVA MAIORIS RAPHANI.

Radix eius tantum conciditur & distillatur in Iulio.

Aqua illa mane ac uesperi singulis uicibus duabus aut tribus uncijs in potu sumpta, mirifice prodest contra Colicam. Conducit contra uenenum & impurum cibum in stomacho retentum, ad sex uncias pota. Eadem per tres aut quatuor hebdomadas, mane ac uesperi pota, ita ut homo natu grandis singulis uicibus, quatuor uncias in potu sumat: iunior duas uncias: puer uerò unã unciam, medetur calculo renum & uesicæ, cit urinam, expurgat renes atque uesicam, atq; stranguriam discutit. Tribus uncijs mane ac uesperi pota, purgat thoracem, medetur tussi, sanat apostemata iocineris, illudq; confortat, eiusq; obstructionem aperit. Auribus indita, ulcera earum pellit. Sanat in cruribus herpetem depascentem, si exinde lauetur, atq; linteolis ipsa aqua imponatur.

Aqua

A Aqua hæc sale temperata ac pauliſper calefacta quatuorq; unciis in potu ſumpta, ita ut per ſemihoram in ſtomacho retineatur, & deinde filum in oleo intinctum in guttur demittatur, & uomitus eo prouocetur, tum omnes Phlegmatici & frigidi humores educuntur, è quibus plærunq; febris exoriri ſolet.

Aqua diſtillata ex herba, ſemine, & radice, ea mane ac ueſperi in potu ſumpta, medetur calculo.

DE RAPHANO MINORI VEL COMMVNI.

B

NOMENCLATVRAE.

Ραφανις.

Raphanus.
Radix, Radicula.

Rettich.
Geneyn Rettich.

DESCRIPTIO.

RAPHANVS radicem habet inſtar Rapæ quæ interdum magna & oblonga conſpicitur, interdum uerò rotunda & nodoſa: herba eius raparum foliis ſimilis eſt, quæ tamen longiora ſunt. Semen autem in folliculis continetur, floreſq; fert candidos.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; deſiccat in tertio gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Raphanus à cœna manducatus cibum bene concoquit, calefacitque ſtomachum, grauem autem reddit anhelitum, ſi quis ſtatim ab ea ſumpta, ſomnum ceperit.

Grauidis fœminis nondum conducit, expellit enim fœtum, trahit menſes, educitq; ſecundas.

Succus eius inueteratis ulceribus illitus, ea renouat, gangrenamque in eis erodit. Idem præſtat puluis eius.

Succus

C Succus raphani cum melle decoctus, atq; modico aceti admisto, percolatus, prodest contra febrem quartanam, & contra oppilationem lienis, si in potu sumatur.

Cutem subeuntibus aquis, lienosisq; utiliter Raphanus emplastri modo imponitur, ut Dioscorides testatur. Vomitorium semen est: urinam cit, & cum aceto potum, lienem minuit.

DE AQVA RAPHANI MINORIS.

Radix eius minutim concisa in principio Septembris distillatur.

Aqua raphani per triginta dies mane ac uespere singulis uicibus iij. aut iiij. uncijs pota, medetur calculo, cit urinam, expurgat renes & uesicam, locosq; qui calculum continent,

Tribus uncijs bibita, medetur ueneno quod in cibo uel potu sumptum est.

Medetur morbo regio, necat uentris lumbricos, concoctionem stomachi adiuuat, expurgat ipsum ab omnibus uiscosis humoribus & ab alijs rebus quæ concoctionem impediunt, aperit omnem obstructionem interiorum membrorum atq; uenarum. Superiore modo in potu sumpta, extenuat glutinosos humores in pulmone, facit ad tumorem splenis, expurgat thoracem à uiscosis humoribus, bonamq; reddit uocem.

D Prodest contra febrim quartanam bibita, trahit menses, pellit calculum.

Conducit illis qui à uespis & araneis icti fuerint, si locū affectum ea lauerint, & linteolis eam imposuerint.

Humores oculorum incidit, unde glaucoma oriri solet, oculis indita, extergit maculas faciei, si inde lauetur: tollit quoq; luteas maculas ex quibusuis membris, si sæpius inde fricentur.

Eadem sæpius gargarissata, & in ore retenta, auxiliatur anginę, & ulceribus gingiuarum, consumit enim resoluitq; & rumpit ea.

Facit ad puncturam lateris, si ex ea lauetur, Interimit etiam Scorpiones.

Mane ac uesperi singulis uicibus quatuor uncijs per tres aut quatuor hebdomadas pota, facit ad aquam intercutem, educit eam per urinam, modo ægrotus se nimio potu abstineat, nam quanto minus biberit, tanto magis aqua mingendo educitur, unde eo citius etiam sanatur.

DE RAPISTRO.

NOMEN.

A

NOMENCLATVRAE.

Rapistrum.

Hederich.
Wilder Senff.

B

ANNOTATIO IN RAPISTRVM.

RAPISTRVM Ruellius nihil aliud putat esse quàm syluestre rapum, cuius Columella meminit, ubi inquit, Rapistrum olus fauorum ceras exuberat: nam & crudo cespite uiret, sed flores creat apibus gratissimos. Syluestrem raphanum quidam etiam rapistrum uocant.

DESCRIPTIO.

Rapistrum herba est ad Rapæ uel Cardui Mariæ figuram accedens, præterquam quòd hæc acutiora habet folia, quæ in medio nigras guttulas habent, instar Polypodij, flores gerit luteos, radices autem habet albas.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat in tertio gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Si cui membra sunt refrigerata, ut scabies inde oboriatur, accipiat hanc herbam & in uino decoquat, ac mane & uesperi in potu sumpta, præstat auxilium.

Radix eius in puluerem contusa, & mane ac uesperi sumpta, ualde prodest contra febrem.

Hæc herba unà cum radice contusa, & plantaginis maioris atq; proserpinatæ singularum manipulus semis ei si admista fuerit, & de

inde

C inde in aceto cocta, atq; linteolo percolata, & uesperi, quando cubi tum iturus es, hoc modo sumpta, sudorem elicit, expellitq; malos humores. Contra pestem hoc modo sumpta, priusq; homo dormierit, tum uehementer sudorem prouocat, deinde autem sumere debet Theriacam cum aceto.

DE RAPVNCVLO.

NOMENCLATVRAE.

Rapunculus.
Raponeoli.

Rapuntzelen.

ANNOTATIO IN RAPVNCVLVM.

RAPVNCVLVS rapula uel radicula est diuitum lautiorumq; mensis petita, qua potissimum tempore uerno in acetarijs utimur, quo tempore omnibus est cognita, nascitur enim passim prope sepes & etiam in hortis graminosis, Medicis adhuc nondum est exploratum, quo noīe apud Dioscoridem & Plinium sit appellata. Iacobus Manlius putat esse minimū genus naporū, unde & napunculus ab aliquib. dicitur, qui sane ipsam ueritatem attigisse uidet̄.

DESCRIPTIO.

Rapunculus nascitur folijs angustis, duris & oblongis, caule alto, multisq; cœruleis floribus, radice dura & candida, eaq; tenera utimur cum ipsa herba in acetarijs, sic aūt maximē refrigerat, ciborum appetentiam facit, gustum emendat.

VIRES

A VIRES AC IVVAMENTA.

Cum sale & aceto parata ad acetarium, non solum cibi desiderium inducit, sed & stomachum resocillat, ciet urinam, & ociosis ac delicatis hominibus in cibo est gratissima.

DE RHEV BARBARO.

NOMENCLATVRAE.

Pæ. Pñop.

Rhabarbarum.
Rheon.
Rheubarbarum.

Rheubarbarum/ Ein Wurtzel.

ANNOTATIO IN RHABARBARVM.

B RHABARBARVM radix est prꝛciosissima quꝛ aliquando auri precium æquauit, eam nostri medici, secuti Ioannem Mesue, inter cætera purgantia medicamenta, tancꝫ prꝛcellentissimam collocant, nec enim uim purgatoriam minorem agarico habet. Considerandum autem erit, quòd Rheubarbarum quo nunc passim officinæ utuntur, & quod Mesue describit, penitus esse diuersum ab eo quod antiqui depingunt. Antiqui enim alterius cuiusdam Rheubarbari meminerunt, quo ad uentris purgationem non utebantur, sed antidotis miscebant, & ad plꝛrosq; alios usus adhibebant, quos operꝛ precium non est hoc loco referre, quando ex Plinio, & Dioscoride cæterisq; facile disci possunt. Varijs autem nominibus ab illis appellatur. Galenus enim hoc interdum Rheon, aliquando Rhiam uocat, Dioscorides Rha, & iuxta quosdam Rheon, Plinius Rhacoma, Celsus radicem Ponticam appellauit.

Rhabarbarum uerò quod nunc passim in Germania in monachorum hortis crescit, quodq; ab Herbarijs cum lutea radice & magnis folijs ostentatur, Hieronymus Bock credit esse Rumicem hortensem, apud Dioscoridem, scribitq; eam radicem siccatam in medicina quoqꝫ conducibilem atq; bonam esse, tam intrò sumptam quàm foris applicatam. Choleram enim & Phlegma absq; noxa purgare, si in puluerem redacta pondere unius drachmꝛ cum dimidia parte Gingiberis in iusculo aliquo sumatur, idq; se experientia didicisse. Qui ergo exoticum & prꝛciosum illud Rhabarbarum,

C quod in officinis extat, emere non possunt, relinquant id diuitioribus, & hoc nostrate Rhabarbaro utantur, quod fermè exotico, ut iam indicatum est, uiribus est æquale.

DESCRIPTIO.

Rheubarbarum nascitur in Barbaria, unde & nomen sortitum est. Optimum censetur quod rubens est, & nigredine quadam permistum, quodq; ponderosum & densum succulentumq; est, & commanducatum luteum croci colorem refert. Improbatur in medicina illud quod molle & laxum est, & uenis caret, quodq; fractum puluerulentum est.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat in secundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Hac radice tam minoribus quàm natu grandibus semper utilicitum est, puerperis quoq; salubris est.

Huius radicis semidrachma uino imposita, magnas uires tali uino præbet, præseruatq; illud hominem à morbis imminentibus.

Ex eadem radice si quis bibat, discutit morbum regium & aquã intercutem.

Rheubarbarum membris ruptis tam interioribus quàm exterioribus accommodatum est, ex quacunq; causa id accidat, si quis ex
D eo bibat.

Expellit malam Melancholiam & Phlegma.

Maxima eius uirtus est, quòd stomachum, iecur, atq; sanguinem in corpore expurgat, & tollit omnem obstructionem membrorum interiorum, unde grauissimi morbi, utputa hydrops, icteros, febris quartana, & lienis affectus sæpius exoriuntur.

Ad membra contusa atq; conquassata, Accipe Mumię duo grana, Rheubarbari semidrachmam, & bono uino decoque, membris inde inunctis auxilium præstat, & sanguinem conglobatum dissoluit. Durat Rheubarbarum quatuor annos syncerís uiribus.

Hæc radix obduci debet cera quæ Terebinthina est permista, tum succum retinet.

Aqua Endiuiæ in qua Rheubarbarum est maceratum, facit ad fellis suffusionem & febrem Tertianam. Rheubarbaro autem modicum Spicæ admisceri debet.

Vsurpatur ferè Rheubarbarum ad omnes calidos affectus ex Cholera & Phlegmate exortos, qui humores inde euacuantur, si drachma ex eo contusa in uino uel alio liquore sumatur.

Ex Ioannis Mesue, & Auerrois & recentiorum omnium autoritate, ipsaq; experientia didicimus, inquit Manardus, Rheubarbarũ inter medicinas bilem pituitamq; expurgantes esse pereximium, adeoq; ab

A adeoq; ab his nocumentis quæ secum reliqua cathartica afferre consueuerunt, immunem, ut pueris, prægnantibus, cæterisq; imbecillioribus tutò exhibeatur.

DE RHAPONTICO.

NOMENCLATVRAE.

Rhaponticum.

Rheuponticum/ Ein Wurtzel.

ANNOTATIO IN RHAPONTICVM.

RHAPONTICVM à natali solo retulit appellationem, siquidem in ripis Rha fluminis suprà Pontum & Cymerium Bosphorum nascitur. Is amnis Tanai uicinus est, in cuius supercilijs eiusdem nominis oritur radix, ad multiplices medelarum usus proficiens. Cornelius Celsus Radicem Ponticam appellat. Rhaponticum Dioscoridis medicorum doctissimi interpretantur esse Rhabarbarum, suntq; quidam ex illis qui Rhaponticum idem cum Rhabarbaro esse contendunt. Porrò
B Rhaponticum uerum apud nos non habetur, sed quæ pro eo uenditur radix, Centaurium maius est, ut Ruellius, Cordus, alijq; præstantissimi medici scriptis testantur.

DESCRIPTIO.

Hæc radix Rhabarbaro similis est, intrinsecus habens paruas fibras ad Rhabarbari speciem, sed talem non reddit colorem. Est autem hæc radix leuis minimoq; odore, & gustu amara, Manducata uerò mollescit, & croci fermè acquirit colorem.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat in tertio ordine, confortat atq; purgat sanguinem, expellit malos humores.

VIRES AC IVVAMENTA.

Maximas uires possidet, & præcipuè conducit ad omnes affectus interiores corporis, siue sint ex colore, siue ex frigiditate, & temperat naturam hominis.

Ex hac radice in uino decocta, si tumida membra inungantur, tumor deprimitur.

Sanguinem atq; colorem homini restituit.

Emplastrum. Accipe quatuor uncias olei rosacei, & pulueris Rhaponticisemiunciam, ceraq; admista, fiat emplastrum. Hoc foris impositum stomacho, aut iocineri, aut lieni, aut in quacunque

C parte corporis dolorem senserit, auxilium præstat.

Rhaponticum cũ semine fœniculi in uino elixum & cum pauxillo sacchari edulcatum, facit ad oppilationem iocineris atq; lienis ex frigida causa procreatam. Idem in puluerem redactum & permistum cũ modico melle, atq; assumptum, prodest contra lumbricos.

DE RIBES.

D

NOMENCLATVRAE.

Ribes.

Johans Treublin.

ANNOTATIO IN RIBES.

RIBES quid apud Arabes medicos sit nondum satis clarum est. Serapion & Isaac Ebemamaran scribunt, Ribes plantam esse quæ habeat capreolos recentes, rubeos ad uiriditatem tendentes, folia magna, lata, rotunda, uiridia, grana quorum sapor sit dulcis cum acore quodam, frigidam & siccam esse in secundo gradu. Hoc Arabum Ribes medici putant, hoc tempore prorsus esse ignotum, atq; officinas eo carere. Verum quo Pharmacopolæ iam utuntur, & passim apud nos in hortis inuenitur, Frutex est, ut Ruellius inquit, nullis planè spinis horridus, sed topiarius magis, & uitis pusillæ folio, rubentis uuæ, fertilis, sapore subacido, sepit eleganter hortorũ puluinos & areas, acini race-

A acini racematim congesti pendent,& à Gallis rubra grossula appellatur. Germani S. Johans Treublin, id est uuas S. Ioannis uocant. Nec constat apud antiquos quid sit hoc Ribes nostrum uulgare. Multi ex recentioribus medicis & Pharmacopolis putauerunt esse speciem Rhamni,parum spinosam,ferentem rubrum,in modum berberis, fructum. Alij uerò speciem Oxyacanthæ.

DESCRIPTIO.

Ribes arbuscula est bicubitalis, ad formam Rubi folia habens, sed non adeo aspera,flores luteos ferens,fructum in ramulis nascentem, rubicundum & minutum, instar Corallorum, Cuius usus est in medicina.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat atq; desiccat in tertio ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Vuæ istæ manducatæ sedant sitim ex calore Choleræ proueni-entem,& alui fluxum cohibent.

Cibi & potus appetentiam inducunt.

Succus inde sumptus maximè confert ad tremorem cordis, tollitq; uomitum. Succo inest dulcedo. Qui maximò calore infestatur, edat acinos Ribes & bibat succum, utrunq; habet uirtutem refri-
B gerandi.

Ex Ribes conficitur Eclegma, quod æstuantibus hominibus ualde conducit.

Potio inde parata cum aqua Endiuiæ, prodest ad uariolas & morbillos:

Ribes cum acetosa decoctum, prodest contra sitim & pestem. Hæc potio conducit quoq; contra ebrietatem,& hemorrhoides.

Acini Ribes, ut Ruellius testatur, sapore placent acido, refrigerant æstuantem stomachum: sitim restinguunt: quæ cum alios, tũ maximè febricitantes excruciat: cibi fastidia discutiunt, & appetentiam inuitant: fœdam uentris proluuiem cohibent, uomitiones sistunt,stomachum firmant,proluuium alui retinent,quod flaua bilis attulerit: erosiones & eiusdem uellicatus tollit: sanguinis feruorem demulcet, & bilis acrimoniam domat.

Rob de Ribes,ut Campegius scribit, stomachum calidum confortat,uomitum Cholericum sedat,sitim extinguit, cordis ebulitionem mitigat, & ipsum confortat, solutionem Cholericam stringit & alterat.

DE ROSA.

NOMENCLATVRAE.

ῥόδον.
Rosa.
Rosa rubra.
Rosa alba.
Mel rosarum.
Oleum rosarum.
Succus rosarum.
Rosen.
Rot rosen.
Weiß rosen.
Rosen honig.
Rosen öl.
Rosen safft.

ANNOTATIO IN ROSAM.

ROSAM Græci ῥόδον uocant, eo quòd (ait Plutarchus) ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδμῆς ἀφίησι, hoc est, ingentem odoris fluxum emittat. Rosa autem tam florem ipsum, qui spina uerius quàm frutice nascitur, quàm ipsam spinam aut fruticem comprehendit, generali quadam significatione. Poëtæ Rosas omnes antiquitus albas fuisse tradiderunt, uerũ quum Mars Zelotypus Adonidem interfeciſſet, accurrebat Venus per dumeta opem latura, & uulnerato pede, eius sanguine Rosæ tinctæ sunt. Sunt autem Rosarum uariæ species, quas suo ordine Plinius lib. 21. cap. 4. describit, præter eas quæ sentibus ac rubis crescere solent, quas Gręci caninas uocant. Pharmacopolę autem duo tantum rosarum genera colligunt. Rubras, ex quibus oleum, electuarium, & saccharum rosatum conficiunt. Albas, ex quibus fit probatissima aqua ad refrigerandum, & syrupus rosatus, item etiam oleum.

D

ROSAE PARTES.

Multæ sunt rosarum partes, à Plinio & Theophrasto numeratæ, quas in medicina habere cõmodum erit, exiccant enim & extenuant, tum etiam adstringunt.

Vna est, cortex, illa scilicet quæ calycem circundat, quæ, quum calyx aperitur, in quinq; partes secatur.

Calyx est ille Rosæ globus antequam folia patescant.

Flos, est illud medium croceum capillamentis insidens.

Capillamenta

A Capillamenta uerò sunt ueluti tenuia fila, supra quæ flores insident.

Caput est globulus ille ab inferiore parte, quem si aperias, re quadam ueluti lana plenum uidebis: quod quum maturuerit, semen ambit, aptum plantari: non plantatur autem, quia tardiuscule nascitur. Vnde multi decipiuntur, qui putant semen, id esse croceum, quod flos dicitur capillamentis insidens.

Vnguis est in imo folio candida pars.

TEMPERAMENTVM.

Rosæ natura refrigerant atq; desiccant in secundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Cum Rosæ rubræ sunt & nondum dehiscunt ac sese pandunt, rescindi debent & siccari ad solem.

Mel rosatum hoc modo facies, Mel bene despumatum ac clarificatum, per linteum transmittito, & accipito recentia rosarum folia, quæ nondum sunt aperta & explicata, eaq; in summo abscindito, ut nodus extra maneat, atq; in mel indito, & paulisper ebullire finito, usq; dum mel rubrum colorem acquirat. Hoc Mel sumptum multum prodest, nam sanguinem confortat atq; stomachum.

B Succus rosarum cum uino coctus, tollit dolorem capitis, & medetur oculis.

Gingiuis inde collutis, remouet dolorem.

Folia rosarum tunsa, & inflammationibus imposita, educunt calorem.

Semen rosarum in puluerem redactum, sedat dolorem dentium si gingiuæ ac dentes ex eo fricentur.

Rosarum capita in aqua elixa ac pota, fluentem aluum & sanguinis excreationes compescunt.

Eodem modo oculis indita, lippitudinem eorum emendat.

Idem decoctum in potu sumptum, medetur Lipothymiæ.

Rosæ cum melle & saccharo permistæ ac sumptæ, exiccant malos humores è stomacho.

Folia rosarum in uino decocta, ac à muliere pota, quæ uuluæ uitijs laborat, auxilium præstant.

Eadem recentia cum melle commista, expurgant hominem.

Idem præstat & succus.

Ad parandum bonum Laxatiuum, Accipe duas uncias succi rosarum, & admisce serum lactis ac parum spicæ. Licet quoq; accipere serum lactis, & addere xij. uncias foliorum ex rosis, modicumque mellis, hoc bene laxat ac lenit aluum.

C Syrupus roſarum etiam laxat & lenit.

Roſæ cum ſaccharo ac melle confectæ confortant & purgant corpus.

Acetum in quo Roſæ per noctem fuerint maceratæ, ualde prodeſt membris calidis illitum.

Aeſtuanti ſtomacho foris adhibitum, ſummopere auxiliatur, ac magnos calores inde extrahit.

Succus roſarum cum recenti aqua fontana bibitus, bene laxat, purgat ſanguinem & prçcipuè Choleram, diſcutit morbũ regium.

Succus ita ſumptus ingentes calores ſine noxa repellit, inducit homini poſt alui ſolutionem bonam quietem.

Roſæ confortant cor, lætificantq; ſanguinem.

Mel roſaceum confortat, atq; Melancholicam Phlegmaticamq; materiam expellit, exhibitum cum aqua in qua ſemen fœniculi coctum fuerit: melius uerò purgat, ſi modicum ſalis admiſtum fuerit.

Quidam decçquunt roſas in oleo oliuarum, & ita faciunt oleum roſaceum. Alij roſas oleo inditas, ac nondum coctas, per xij. dies reponunt. Sed folia roſarum in ſuperiore parte abſciſſa, & in oleo decocta, per quinquaginta dies in uitreo uaſe, ſoli exponito. hoc oleum eſt probatiſſimum.

Ardenti enim iocineri illitum ualde prodeſt.

D Temporibus capitis illitum, tollit dolores capitis, ipſumq; refrigerat.

In cibo ſumptum remouet calorem ſtomachi & iocineris.

Roſarum puluis cum aceto contritus, & cum albugine oui commiſtus, oculorum dolorem efficaciter ſanat, reſtringit humorem, & ſanguinem ad oculorum uenas defluentem, ſi emplaſtri modo temporibus applicetur.

Saccharum roſaceum habet uirtutem confortandi, ac conſtringendi, facit ad dyſenteriam, uomitum Cholericum, ſyncopen, & Cardiacam paſſionem.

Ros ille qui inſidens roſis inuenitur hærere, munda pinna lectus, & ſpecillo genarum palpebris inſtillatus, oculorum lippitudini medetur.

Aridis roſis in uino decoctis expreſſus cremor, ut Dioſcorides inquit, probatur ad capitis, oculorum & aurium dolores, gingiuas, uitijs ſedis ac recti inteſtini, & uuluæ penna illitus collutusue, aut infuſus medetur.

DE AQVA DESTILLATA EX ROSIS creſcentibus, in ſentibus & rubis.

Folia iſtarum roſarum conuenienti tempore decerpta diſtillantur,

Aqua

A Aqua illa mane ac uesperi singulis uicibus, duabus uncijs pota, prodest contra calores non naturales, tollit fluxum locorum mulie brium ex calore prouenientem, graueolentiam oris emendat, aluũ laxat ex calore constipatam, sistit etiam fluxum alui ex calore nimium fluentem.

Eadem in potu sumpta, subuenit æstuanti stomacho atq; iocine ri, sistit diarrhoiam, prodest contra herysipelata.

Duarum drachmarum pondere una uice sumpta, cum semidrachma eboris rasi, medetur tumoribus, ad eum modum sæpius pota, prodest.

Cum linteis aut stupa cannabina foris imposita, prodest contra inflammationem in quacunq; corporis parte fuerit. Manibus ac pedibus illita, confortat caput atq; cor, maximè conducit illis qui ex diuturna ægrotatione debilitati sunt.

Oculis instillata facit ad ruborem & ulcera oculorum: temporibus, pulsui, & naribus illita, discutit ictus in capite, ac quietem inducit.

In ore retenta tollit dolorem dentium ex calida intemperie procreatum.

Pota atq; fronti illita, auxiliatur contra uertiginem.

DE AQVA EX RVBRIS ROSIS DESTILLATA.

B Folia ex rosis bene maturis matutino tempore decerpta, in uitreo uasculo in Balneo Mariæ distillantur.

Hæc aqua in potu sumpta, corroborat & refrigerat cerebrum, cor, stomachum, & omnia interiora membra, confirmat spiritus & calorem naturalem, præseruatq; à putredine.

Prodest contra dysenteriam & diarrhoiam, debilitatem, uomitum, & uehementẽ sudorem, qui ex cordis imbecillitate prouenit.

Dentes & gingiuæ hac aqua collutæ, inde corroborantur, & facit bonum oris odorem, redditq; ipsum os bene coloratum.

Accipe aquæ rosarum unciam, uinumq; album, Tuciæ contusæ drachmam, quibus aloes epaticæ, & sacchari candi, singulorum xx. grana admisceantur. Hæc aqua salutaris est oculis, nam expurgat, exiccat, & corroborat oculos atq; uisum.

Oculis instillata cum modico sacchari, facit ad exulcerationem, & ruborem oculorum ex calore prouenientem.

A ieiuno sumpta pondere iij. unciarum, confortat caput: cum uino permista, & sex uncijs pota, tollit uertiginem, confirmat iecur.

Cum linteolis imposita restringit sanguinem narium & omnium uulnerum, facit ad omnem scabiem cutis, ex calida causa creatã.

Est singulare & bonum Repercussiuum, quo membra nobiliora ab ardore defendi queunt.

Aqua

C

DE AQVA ROSARVM ALBARVM.

Hęc aqua pota & foris illita facit ad cordis imbecillitatem, confortat, atq; confirmat omnia membra tam interiora quàm exteriora, ſi inde illinantur.

Temporibus, fronti, palpebris & ceruici illita, bonas præſtat uires, & mitigat ſanguinem ſęuientem, & conciliat quietum ſomnum.

Oculis indita facit ad omnes oculorum affectus, & ferè ijſdem pollet uiribus quibus aqua ex alijs roſis deſtillata, niſi quòd hęc magis refrigerat, ex rubris roſis magis confortat.

Aqua ex capitibus roſarum deſtillata, per diem & noctem, quater & ſingulis uicibus iij. uncijs ſumpta, fortiter reſtringit, & abſq; noxa dyſenteriam, & diarrhoiam ex calida intemperie exortam.

DE ROSMARINO.

D

NOMENCLATVRAE.

Λιβανωτίς.

Roſmarinus.
Roſmarinum.
Anthos.

Roſmarin.

ANNOTATIO IN ROSMARINVM.

ROSMARINVS frutex eſt non ingrati odoris, qui hodie in hortis delectationis & ornatus gratia ſeritur, uerum in medicina quoq; mirabilem habet efficaciam, Apud Græcos autores Libanotis dicitur, ἀπο τοῦ λιβάνου ἢ τοῦ λιβανώτου, hoc eſt à thure, quòd eius folia & radix, thus oleant maximè. Dioſcorides Roſmarinum coronarium appellat, eo quòd olim coronas inde nectebant. Simon Genuenſis per Anthos florem Roſmarini intelligit, ſed nullum autorem ſequitur. Tria Libanotidis genera à Dioſcoride enumerantur, uerum unum tantum ex ijs, in Germania eſt cognitum.

DESCRIPTIO.

Roſmarinus canum durumq; caulem habet ab inferiore parte: in ſuperio-

A in ſuperiore autem parte foliis eſt acutis, & ad Lauendulę modum cœruleis. Radicem habet nigram & fruticoſam. Gaudet naſci locis putridis, & ſimo ouillo ſtercoratis.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; deſiccat in tertio gradu.

Omnes Libanotidis ſpecies, ut Galenus inquit, eiuſdem ſunt facultatis, hoc eſt, emollientis, digerentis, incidentis, & abſtergentis.

VIRES AC IVVAMENTA.

Roſmarinus cum lingua ceruina per noctem uino impoſitus ac bibitus, morbum regium diſcutit.

Succus tum radicis tum herbæ miſtus melli, obtuſam oculorum aciem, ab humorum craſſitudine emendat.

Emplaſtrum ex foliis confectum, facit ad condylomata ſedis, emollit enim ea & citò curat.

Radix contuſa atq; cum melle permiſta, & ulceribus impoſita, ſtatim ea emollit.

Eadem cum parietaria impoſita atq; decocta in uino, & in potu ſumpta, mollit aluum & dolorem eius repellit, itidem prodeſt contra morſus uenenatorum. Eodem modo cum artemiſia temperata, ciet urinam, & promouet menſes mulierum.

Flores roſmarini recipies, eoſq; candido linteolo illigatos in ui-
B no decoques, quod mane uel ueſperi ſumptum, multos affectus corporis pellit, præcipuè autem ſuccurrit affectibus mamillarum.

Flores in puluerem contriti atq; in calido uino ſumpti, animum reddunt hilarem, & confortant naturam atq; ſanguinem, & preſeruant hominem à morbis qui accidere poſſunt.

Carbones ex ligno uel caulibus combuſtos ac in puluerem redactos lineo panno indito, ac dentes inde fricato, tum candorem recipiunt, & uermes in eis necantur.

Qui catharro laborat, accipiat corticem roſmarini, ac inde fumum faciat, quo naribus attracto, auxilium adfert.

Ex radice in aceto elixa ſi pedes lauentur, præſeruantur à tumore & podagra.

Qui flores cum melle deſpumato atq; pane ſiligineo ieiunus comederit, tutus eſt ab anthrace & alijs apoſtematibus.

Folia cancro medentur impoſita.

Pulmentum ſumptum cochleari ex eius ligno facto, ſapidum eſt atq; ſalubre, reddítq; hominem iucundum & lætum.

Qui nullam habuerit ciborum appetentiam, roſmarinum in aqua ebullire ſinat, & in potu ſumat, uel uinum inde miſceat. Si quis corpore tumidus fuerit, & membrorum paralyſi laborauerit, folia in aqua coquat, & tenui linteolo ea imponat, idq; ſuperliget, tum curatur.

Quicunq;

C Quicunq; ex magno calore uehementer sitit, potum suũ misceat cum aqua in qua rosmarinum ebullierit atque mala granata: illud absq; dubio opitulatur.

Puluis ex floribus siccatis contusus atq; in mollibus ouis manducatus, naturam maximè corroborat & sanguinem emendat.

Vinum ex rosmarino confectũ, si bonus haustus mane & uespe-ri inde sumatur, sanguinem mundificat, edendi desiderium inducit, expellit omnes interiores humores, atq; magnam imbecillitatem aufert.

Rosmarinum cum syluestri pulegio uel mentastro in uino & oleo oliuarum decoctum, si quis inde inungatur, sudorem elicit, & medetur hydropi.

Idem cum Ruta in uino decoctum, modicoq; piperis admisto, prodest contra morbum comitialem.

In uino elixum & permistum cum dianthos, facit ad imbecillitatem cordis. Electuarium dianthos in Pharmacopolijs est preciosa compositio contra omnes suprà dictos morbos.

Idem cum pyrethro in uino coctum, confert ad magnitudinem uuulæ, ore inde gargarizato.

Si ex decocto rosmarini & melissæ uulua mulieris purgetur, reddit eam facilè fœcundam.

D Rosmarinum, ut Dioscorides inquit, medetur suffusis felle, si quis in aqua decoxerit, decoctumq; id ante exercitationem homini bibendum dederit: & post exercitationes lauerit, merumq; biberit.

Vinum ex rosmarino uel herba ipsa cum floribus in uino elixa, si calidus haustus mane ac uesperi singulis uicibus, inde sumatur, & postea nisi post tres horas nullus cibus uel potus capiatur, mirabiliter album fluxum repellit, qui mulieribus ex ulcere contingere solet, & curat exulcerationem locorum muliebrium. Eodem modo sumptum discutit ac educit morbum regium, tollit asthma, aperit arteriam, facit facilem excreationem, adiuuat concoctionem, sedat tormina, mundificat sanguinem.

DE AQVA ROSMARINI.

Aquam ex Rosmarino distillare bis intra annum licet, in Maio scilicet & in Septembri, tum herba & flores ex caulibus decerpti destillantur.

Aqua rosmarini confortat humidum cerebrum, cor infirmum & interiores sensus.

Corroborat quoq; memoriam.

Tollit imbecillitatem cordis, atq; syncopim.

Confirmat atq; calefacit uenas refrigeratas.

Aufert tremorem,

Confert

A Confortat paralyticos, membris infricata;
Sedat omnem frigidum tumorem impoſita.
Præſeruat à peſte, ſanguinem purificat.
Mitigat aſthma atq; antiquam tuſſim.
Facit ad Tabem. Caleſacit medullam oſſium, & frigidum uiſcoſumq; ſtomachum, Concoctionem adiuuat.
Stomachi inflationem deprimit.
Reſtituit perditam loquelam.
Reddit hominem audacem & animoſum.
Clarificat faciem, ſi ex ea lauetur.
Præſeruat ab Anthrace.
Reddit faciem iuuenilem, retardat ſenectam quotidie potã.
Bonum reddit anhelitum. Curat cancrum & fiſtulas.
Mundificat maligna & putrida uulnera.
Prodeſt contra uomitum, & fluxus alui.
Eſt Theriaca contra omne uenenum.
Dolorem uuluæ ſedat. Subuenit contra tormina inteſtinorum.
Purgat matricem & reddit fœcundam.
Exterit maculas. Expurgat uiſum, tollit albugines.
Siſtit fluxum oculorum, uiſum exacuit.
B Vinum in autumno ex roſmarino confectum cum recenti muſto eaſdem facultates poſſidet quas ipſa aqua, omnibuſq; iam prædictis morbis æque ac ipſa aqua medetur.

DE RVBEA TINCTORVM.

NOMENCLATVRAE.

Ἐρυθρόδανον.
Ἐυξενθόδανον.

Rubia tinctorum.
Rubia ſatiua.
Lappa minor.

Klebkraut.
Rödt.

ANNOTATIO IN RVBEAM TINCTORVM.

RVBIA tinctorum apud Dioſcoridem Rubia ſatiua dicitur. A Græcis Erythrodanon appellatur, à rubore radicis quo lanę & coria tinguntur, factum illi nomen eſt. Thuſci Lappam minorem uocauerunt, quia Rubię cau les & folia tractata aſperitate ſua hærent, & apprehenſa retinent.

C Notiſſima eſt Rubia, infectores enim eam ubiq; ad lanas tingendas in uſu habent. Magna copia apud Spiram, & Argentoratum à ruſticis in agris ſeritur, magnum enim uectigal eis inde prouenit. Tria inde ſeruari ad medicinam oportet, ſemina, radices, & folia quæ priuatim aliquibus ægritudinibus conferunt.

Rubia duplex eſt. Vna ſylueſtris eſt, quæ ſua ſponte creſcit. Altera ſatiua quæ in hortis & agris ſeritur. Radice lanam rubro colore inficiunt.

TEMPERAMENTVM.

Calida & ſicca eſt in ſecundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radix omnem obſtructionem tum iocineris tum lienis diſcutit.

Puluis ex hac radice cum oleo ſuccoq; allij & pauxillo mellis permiſtus, ſi maligna ſcabies inde inungatur, unde lepra procreari ſolet, eam curat.

Succus radicis auribus inſtillatus, dolorem earum mitigat.

Radix atq; herba omnibus quæ urinam prouocant admiſceri poſſunt, quo fiant multo efficaciora.

Radix in uino decocta cum ſemine fœniculi, ciet urinam & mulierum menſes, educit fœtum mortuum atq; uiuum.

Eadem in aqua mulſa decocta, & de die, ſi bis inde bibatur, ape-
D rit oppilationem iocineris, lienis, renum & matricis, probataq; exiſtit potio contra morbum regium.

Minuit lienem ſemen in aceto mulſo potum.

Succurrit uiperarum morſibus, radicis Rubiæ ſuccus ſimulq; foliorum potus. Iuuat quoq; ſi uulnera inde foueantur.

Radix atq; herba cum aceto contuſa, & impoſita necat atq; ſanat omnem cutis impetiginem & uitiliginem.

Quinetiam appoſita radix, fœtus, ſecundas, & menſes trahit.

DE RVTA.

NOMENCLATVRA.

Πήγανον.

Ruta ſatiua.

Ruta ſylueſtris.

Wein Rauten.

Rauten. Wilde Rauten.

ANNOTATIO IN RVTAM.

A RVTAM à Græcis ῥύγανον, à poteſtate & uiribus ſuis appellatam fuiſſe Plutarchus ſcribit. Concernit enim & ſiccitate indurat, ob caliditatẽ ſuam hominis ſemen: in uniuerſumq; gerentibus uterum aduerſatur. Quemadmodum autem dictamum herbam extrahendis ſagittis efficacem à ceruis didicimus, & quemadmodum Chelidoniam hirundines indicarunt, & herbæ nomen dederunt, & Ciconia origanum. Hederam morbis mederi monſtrarunt apri: Sic & Rutam medicinis habilem eſſe, eiuſq; uires nobis oſtenderunt muſtelæ, quæ cum ſerpentibus dimicaturæ, & in murium uenatu rutam prius edunt, quo uenenum ſibi nihil nocere poſſit. Hiemem odit Ruta, ut Platina inquit, apricis ac ſiccis gaudet locis, cinericia terra uult nutriri. Amicitia ei eſt cum ficu, adeo ut nuſquam lætior proueniat, quàm ſub hac arbore. Surculus ſi in perforatam fabam adactus pangatur, melius proueniet. Immundæ mulieris & acceſſum & omnem prorſus attactum metuit: ſi quidem eo confeſtim, ut inquiunt, enecatur. Ruta eſt antidotus contra omnia uenena, & peculiaris Theriaca pauperum, quod non ſolum Mithridates rex teſtatur, uerum etiam experientia ipſa quotidie docet. Sculptores pictoreſq; Ruta utuntur in cibo, propter uiſum.

DESCRIPTIO.

B Ruta folia habet ex ordine numeroſa, caulem cubitalem, & plærunq; maiorem, florem luteum, quadratos calyces in quibus ſemen continetur, quod nigrum eſt, inſtar pulicum. Radicem habet candidam & lignoſam.

Satiua Ruta ſurculoſis eſt ramis, foliis paruis, albis floribus, & rubro ſemine. Duum generum Ruta eſt, Sylueſtris & montana altera: ſatiua & hortenſis altera.

TEMPERAMENTVM.

Hæc natura calefacit & deſiccat in tertio ordine. Folia & ſemina uſurpantur in medicina. Vbicunq; in Receptis Rutæ fit mentio, ſemper folia & non ſemina intelligi debent. Semen colligendum eſt in autumno, hoc durat quinq; annos, folia ſiccanda ſunt, ea ad annum durant.

Quidam inquiunt Moly eſſe Sylueſtrem rutam, hæc ſubtilis eſt, & calida in quarto gradu, quare eius uſus eſt contra craſſos humores, penetrat enim & ualde cit urinam. Hæc etiam maximè exiccat hominem, & minuit libidinem.

VIRES AC IVVAMENTA.

Ruta manducata genituram extinguit, & cohibet uenerem. Ruta quia flatus diſcutit aboletq;, ideo etiam ueneris ardorem obtundit, ut inquit Ægineta lib. 1. cap. 35.

C Folia ſumpta cum caricis & iuglandibus nucibus: pellunt letale peſtis uenenum, & eſt tutius præſeruatiuum quod haberi poteſt.

Alĳ alio modo hoc præſeruatiuum conficiunt.

Accipiunt enim foliorum Rutę unciam unam, ficorum ſemiunciam, Iuniperorum ſeſquiunciam, nucum iuglandium ĳ. uncias, aceti iiĳ. uncias. Hoc ſimul permiſtum ſumendum eſt, mane antequam quis prodit in lucem. Et certum eſt hominem raro à ueneno infici, qui hoc ita uſus fuerit, & eſt præcioſa theriaca contra aërem peſtilentem.

Ruta cum aceto cocta & ſumpta, pellit ſingultum.

Itidem ſumpta ſedat dolorem coxendicis & pectoris.

Prodeſt quoq; ſuſpirioſis, & tollit tuſſim.

Curat etiam abſceſſum pulmonis, unde Tabes (quam Græci Phthiſim uocant) generari ſolet.

Cum oleo decocta, & per Clyſteriũ infuſa, pellit dolorem locorum muliebrium, & inflationes maioris inteſtini, quod Colon Græci dicunt.

Trita cum melle, ac tota pube uſq; ad ſedem oblita, uuluæ ſtrangulatus aperit.

Emplaſtrum ex Ruta & oleo confectũ, ac umbilico impoſitum, necat lumbricos. Ruta quoq; in oleo elixa, mane edenda eſt, & poſtea tribus aut quatuor horis ieiunare.

D Cum uino ad dimidias decocta, tollit hydropem.

Confert oculorum claritati Ruta ſola manducata, aut cum ſale.

Succus ex Ruta naribus inditus, ſanguinis eruptiones cohibet.

Emendat Ruta grauem ceparum alliorumq; halitum commanducata. Ruta ſumpta ualde auxiliatur contra uenenum. Muſtela dimicatura cum ſerpentibus, rutam edit, tum à ueneno nullam noxam accipere poteſt. Conducit Ruta interioribus membris, & uiſum clarificat.

In aqua decocta & forti uino permiſta, diſcutit rugitum uentris. Ita quoq; pellit tumorẽ coſtarum. Febricitantibus ruta medetur in oleo oliuarum decocta, ſi ante acceſſionem corpus inde inungatur, uel ſi per Clyſterem infundatur.

Eadem in oleo cocta, & auribus calida inſtillata, pellit uermes earum.

Cocta cum myrrha & uino & in potu ſumpta, pellit aquam intercutem.

Succus Rutæ cum oleo roſaceo & aceto permiſtus ac capiti illitus, dolorem inde repellit.

Idem cum aqua fumi terrę coctus, ſubuenit pueris, qui morbillis laborant.

Ne autem

A Ne autem infantes à uariolis excæcentur, tum radicem Rutæ & Scabiosæ collo eorum suspende, & erunt tuti.

Vnguentum ex ea factum cū oleo rosaceo, cerussa & aceto, lanat quamuis scabiē, sacros ignes, herpetas & capitis manantia ulcera.

Cum melle & alumine, lichenibus Ruta infricatur.

Ruta cum allio, sale, & nucibus simul mixtis ac tritis, & super morsum rabidi canis, aut alterius animalis uenenosi posita, statim curat.

Ruta omnia uenenosa animalia fugat, unde & in hortis prope saluiam plantatur, ne bufonés se sub ea continere possint, qui, ut fertur, gaudent locis Saluia consitis.

DE AQVA RVTAE.

Folia ex caulibus decerpta in medio Maij distillantur.

Aqua Rutæ mane ac uesperi singulis uicibus duabus aut tribus uncijs pota, medetur uitiato iocineri atq; lieni, prodestq; malo stomacho.

Opitulatur contra uomitum & eructationem stomachi, subuenit pulmoni, pellit tumorē pectoris & costarum, emollitq; pectus.

Eodem modo bibita, flatus in corpore discutit, medetur colicæ, & intestinis accommodata est.

B Itidem prodest contra capitis uertiginem, medetur oculis quotidie duabus uncijs pota, pellit scabiem corporis.

Triginta diebus aut eo amplius in potu sumpta, hydropicis auxiliatur, pellit alui lumbricos, subuenit mulieribus in partus difficultate, nam expellit fœtum, atq; expurgat mulieres à partu, atq; menses trahit.

Medetur tussi & pesti, pellit rugitum in uentre. Sistit alui fluxum, præcipuè aūt medetur febribus, ueneno, ac morbo comitiali.

Subuenit paralysi ex calida intemperie prouenienti, si mane ac uesperi cum ea fricetur, & linteolis imponatur.

Conducit affectibus oculorum, pellit enim albugines & maculas oculorum, clarificat oculos, indita uel illita, exiccat atq; purgat eos ab omni uiscoso humore.

Prodest contra spasmum si inde fricetur, tollit tumorem capitis, linteolis applicata, medetur Apoplexię, pellit quoq; frigus quod minus est naturale, si membra ex ea fricentur, uel linteolis imposita, remouet tremorem membrorum.

Tollit ulcera nariū & polypum, si inde lauentur, uel linamentis naribus indita.

Mitigat eadem dolorem articulorum in digitis, lineis pannis imposita, præcipuè si Phagedæna ad fuerit.

Tollit dolorem uenarum, confortat eas si inde sæpius fricentur,

C & lauentur, præsidium quoq; adfert contra putridas gingiuas, ore inde colluto.

Facit quoq; contra omnium uenenatorum morsus, pota uel linteolis imposita.

Sequuntur nomenclaturæ Herbarum
à Litera S. incipientium.

DE SABINA.

D

NOMENCLATVRAE;

Βραθύς.
Βάρυθον.

Sabina.
Herba Sabina.
Sauina.

Seuenbaum.

ANNOTATIO IN SABINAM;

SABINA ab antiquis Græcis uarijs nominibus fuit appellata, ut Brathys Barython & Berathon. Romani Herbam sabinam à regione, in qua multa nasceretur, uocarunt, ut testatur Vergilius Marcellus. Sauina quoque à nonnullis uocatur. Est autem omnibus nota herba, eadem penitus figura qua à Dioscoride describitur. Frutex herbaue est folio ferè cupressi, perpetuò uirenti, in topiarijs pergularum operibus non improbatur. Estq; duorum generum. Altera Tamaricæ similis folio est, altera cupresso, qua ex re quidam creticam cupressum dixerunt, Plinius lib. 24. cap. 11. Sabina herba propagine seritur, & auulsione: aiunt fece uini aut è parietibus latere tuso mirè ali.

DESCRIPTIO.

Sabinæ frutex est figura Iuniperi, sed foliis est mollioribus, & in summo rotundioribus, floret quoq; instar Iuniperi, nullum producens fructum, plantatur in hortis ad Buxi modum.

TEMPE-

A TEMPERAMENTVM.

Calefacit siccatq; in tertio ordine, est ex numero eorum quę maximè tenuium sunt partium, extenuat & digerit pota, ut Galenus docet.

VIRES AC IVVAMENTA.

Ad crebras inaneſq; egerendi uoluntates & impetus, quem morbum Græci Teneſmum uocant. Decoque Sabinam in uino & aceto, & uaporem inde ano excipe, uel calido huic decocto insidę.

Facit etiam ad catharrum ex frigida causa procreatum.

In puluerem redacta, & unguentis quæ conducunt ad scabiem purulentam admista, opem præstat.

Sabina in uino decocta bonum reddit stomachum, tollitq; tormina inteſtinorum: medetur eodem modo stranguriæ.

Contusa & emplastri modo imposita coxis, auxiliatur coxendici.

Habet uirtutem extenuandi, & erodendi Gangrę nam in putridis uulneribus, uel antiquis quibuslibus ulceribus, mundificat etiam fœtida uulnera, si puluis inde cū melle temperatus imponatur.

Sabina in aqua decocta facit ad hery sipelata.

Mulierum menses plus prouocat, quàm ulla alia herba, penetrat tam fortiter, ut etiam sanguinem per urinam exigat, fœtum uiuentem in utero materno necat, & mortuum eijcit, quare prægnantibus hæc herba potissimum uitanda est, ne in extremo iudicio cogantur de o rationem reddere.

B

Carbunculos soluit cum melle illita, & pellit dolorem illarum pustularum.

Sabina in puluerem redacta, & cum Lithargyro, Sulphure atq; succo plantaginis minoris permista, modicoq; axungiæ porcinæ addito, inde fit unguentum contra scabiem, quod multū prodest.

Eadem cum aceto & caulibus hortensibus contusa, & uulneribus serpentibus imposita, prohibet ne latius serpant. Et cum ceruſſa temperata, eadem uulnera sanat.

Herba Sabina diligenter trita cum aceto, & oleo rosaceo mixta, capiti & temporibus illita, ualde prodest.

Gallinacei generis pituitas fumo huius herbæ sanari produnt.

Cum melle & uino pota, regio morbo medetur, utilis ad suffitus pro thure assumitur.

Cum melle illita folia, nigredines abstergunt, sordesq; alias cutis. In medicamentis uerò duplicato pondere, eosdem effectus habere quos cinnamomum traditur.

DE AQVA SABINAE.

Herba ipsa ex stirpe decerpta, in ultimo mense autumni distillat.

C Aqua Sabinæ duabus uncijs pota, menſes ducit, & excitat naturam.

Conducit uertigine capitis laborantibus, illita & linteolo in ea madefacto fronti applicato, inde enim pellitur uertigo.

Digitis impoſita occidit phagedænam.

Abſtergit flauas maculas faciei ex ægrotatione procreatas, ſi facies inde illinatur & lauetur. Et deinde balneum intrabis, & iterum faciem lauabis, tum maculæ pelluntur.

DE SALVIA.

NOMENCLATVRAE.

Ελελίσφακος.
Ελαφοβόσκος.

D Saluia.

Salbey.

ANNOTATIO IN SALVIAM.

SALVIA quæ à Græcis Eleliſphacos dicitur, inde fortaſſis à Latinis dicta eſt, ut inquit Hermolaus Barbarus, quòd ſalutaris ſit ad multa, & preſertim ad fœcunditatem. Nam in Aegypti Copto multis peſtilentia ſublatis, coactæ ſunt mulieres huius herbæ ſucco ad conceptum uti, unde & Agrippa Eleliſphacon ἱερὰν βοτάνην, hoc eſt ſacram herbam appellat. Illud habetur in confeſſo, ut Ruellius docet, fœminam quæ quadrantem horæ ante concubitum, huius ſuccum inſtar heminæ cum momento ſalis ebiberit, concepturam. Eleliſphacos autem, ut Theophraſtus inquit, differt à Sphacelo, quòd altera mitior eſt, altera ſylueſtrior. Sphacelo folium breuius & leuius, eleliſphaco ſqualidius & ſcabrius. Quæ in hortis naſcitur eleliſphacos à Theophraſto uocari accipitur. Sylueſtris autem ab eodem Sphacelon appellari uidetur, quæ ad omnia in re medica efficacior eſſe, à nonnullis traditur. Saluia in hortis & ſemine & ſurculo ſeritur. Apricum amat locum. Lixiui cinere fruticem muniunt olito.

A niunt olitores,& sic lætiorem prouenire testantur, frigora non hor ret, hybernis temporibus uiuit. Saluia herba est culinis ualde accommodata, coqui enim ea in multis condimentis utuntur, ut Platina scribit.

DESCRIPTIO.

Saluia duplex est. Altera est gracilibus foliis, Altera lata est & oblonga, utraq; flores cœruleos producit, ad modum fruticis crescit, ubicunq; in hortis plantatur, neq; plantari debet absq; ruta, neque fimo stercoranda erit, sed antiqua terra cum argilla straminea.

Satiua Saluia crescit frutice ramoso, sed nõ alto, folia illi sunt cotonei mali figura, oblongiora tantum, & hirsuta instar uestis attritæ, & albescentia odorataq;.

TEMPERAMENTVM.

Saluia calefacit in primo ordine, siccatq; in secundo. Foliorum usus est in medicina quę ad annũ durant, postea renouari debent.

Galenus inquit, Saluia euidenter excalfacit, ac leuiter subastringit.

VIRES AC IVVAMENTA.

Saluia sistit abundantes fluctiones. Comorantes menses trahit, B abundantes sistit, decocto eius poto.

Folia in cibo sumpta faciunt ad dysenteriam.

Bibitur quoq; Saluia cum absynthio ad dysenteriam.

Succus ex foliis facit crescere capillum, idem potus ciet urinam.

Bibitur ad ciendam urinam foliorum ramorumque eius decoctum: menses idem trahit & fœtum expellit: quare grauidæ mulieres à nimio eius usu abstinebunt, præterquam in tempore partus.

Morsus à uenenato animali, si biberit ex Saluia sanatur.

In puluerem redacta atq; in aqua decocta, capillos inde lotos denigrat.

Idem puluis manantia ulcera purgat, uulnerum sanguinem cohibet.

Rami foliaq; eius cum agrimonia in aqua pluuiali cocta: & pota, si fluctiones & pruritus cutis inde abluantur, ualde prosunt.

Succus foliorum denigrat capillum, idem bibitus mouet urinam.

Saluia in uino decocta, contra paralysim ualet, in potu sumpta, & imposita.

In aqua elixa facit ad podagram & morbum comitialem, & præsertim facit ad stillicidium urinæ, eo decocto in potu sumpto, & aluo imposito.

Expurgat Saluia mulieris uuluam.

Cum

C Cum Taxo Barbato in uino cocta, procidentem anum retrahit, huic decocto si quis insideat.

Succus cum melle permistus, putrida uulnera, inde abluta benè mundificat.

Finit genitalium prurigines foliorum ramorumq; Saluiæ cum uino decoctum, si eo abluantur.

Ad pruriginem circa anum, ut Apuleius scribit, Saluia decoquitur, & de ea aqua inferiores parteis fouentur: & summe sedat pruriginem. Macer inquit:

Saluia cui nomen Elelisphacos est apud Argos.
Cum mulsa lecoris prodest, potata querelis.
Cum uino succus tepidus si sumitur huius,
Compescit ueterem tussim, lateriscq; dolorem.

Partus emortuos apposita extrahit, item uermes aurium.

DE AQVA MAIORIS SALVIAE.

Saluia quando flores gerit distillari debet.

Aqua Saluiæ per xxx. dies mane ac uesperi singulis uicibus duabus aut tribus uncijs pota, iocineris uitia emendat, pellit tussim, educitq; fœtum mortuum.

Tali modo bibita medetur apoplexiæ, & obmutescentibus, grauedini linguę, membris cõtractis & attonitis, si inde fricentur, summopere opitulatur.

D

Prodest contra laterum dolores, tremorem manuum, & paralysim bibita, uel si quis se ea fricuerit.

Sanat uulnera si inde abluantur, uel linteolis imponatur, in potu sumpta, aperit omnem obstructionem, menses trahit.

Super morsum uenenatorum imposita, educit uenenum, si ex ea lauetur.

Restringit sanguinem uulnerum cum fimo pauonum, & musco gossipioq; superligata. Capillos inde friatos denigrat. Dentibus atq; gingiuis inde collutis accommodata est.

Eadem quotidie singulis uicibus iij. aut iiij. uncijs sumpta, rumpit apostemata interiora, corroborat cerebrum, tollit capitis destillationes, confortat æstuans iecur, discutit phrenesim.

Facit ad omnia membra infrigidata, paralysim, tremorem, conuulsionem, morbum comitialem, supra dicto modo pota. Idem præstat si uinum inde misceatur, membrisq; illita.

Ita bibita facit appetentiam ciborum, corroborat stomachum, & locos muliebres.

DE SALICE.

NOMEN

A

NOMENCLATVRAE.

Ἰτέα.

Salix.

Weidenbaum.

ANNOTATIO IN SALICEM.

SALIX nota omnibus arbor est, quam à saliendo Festus dictam putat, quod ea celeritate crescat, ut salire uideatur. Paulo ante Aequinoctium germinat, auctu perquam facilis, quòd apud aquas degat, breui uitæ spacio durat. Aquosis lætatur, etsi uitam agat an-
B cipitem. Inter steriles arbores meritò Salix primum locum obtinet, nullius quippe tutior est reditus minorisue impendij, aut tempestatum securior. Tam hyeme quàm estate magno potest esse usui. Salicis enim plura sunt genera, ut scribit Plinius. Nam quædam & in proceritatem magnam emittunt iugis uinearum perticas, pariuntq; baltheo corticis uincula. Et aliæ uirgas sequacis ad iuncturas lenticiæ. Aliæ prætenues uiminibus texendis spectabili subtilitate. Rursus aliæ firmiores corbibus, ac plurimæ agricolarum supellectili, candidiores ablato cortice, leuiq; tractatu, mollioribus uasis, quàm ut è corio fiant, atque etiam supinarũ in delitias cathedrarum aptissima. Ocyssimè autem Salix amittit semen, ut idem inquit, antequam omnino maturitatem sentiat, ob id dictam ab Homero ὠλεσίκαρπον, hoc est frugiperdam, Secutaq; ætas scelere suo interpræ tata est hanc sententiam, quando semen salicis mulieri sterilitatis medicamentum esse constat. Plinius alio quoq; loco tria salicis nomina commemorat, uiminalem, eandemq; purpuream : uitellinam à colore luteo, graciliorem priore: Gallicam quæ sit tenuissima.

DESCRIPTIO.

Salices nullum ferunt fructum, florent autem lanuginosis fibris in Martio & Aprili.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerant atq; siccant in primo gradu.

Salicis

C Salicis folia & flos facultate conſtant, quæ citra roſionem ſiccet, tum quæ nonnihil etiam aſtringat, ut inquit Ægineta.

Aſtringunt ſalicis folia, ſemen, cortex & ſuccus, ut Dioſcorides ſcribit.

VIRES AC IVVAMENTA.

Cortex ſalicis in puluerem crematus, & aceto maceratus, prodeſt ad uulnera quæ deſiccare oportet, ita ut illinatur, & linteolis applicetur.

Folia contuſa & permiſta cum exiguo pipere & uino, utiliter bibuntur iliosis.

Per ſe etiam in aqua ſumpta conceptus prohibent.

Puluis ex ſalice cum aceto potus uel illitus, ſiſtit ſanguinem ex nâribus, uel uulneribus profluentem.

Qui ingenti calore infeſtatur, accipiat folia ſalicis, & circum ſe ſpargat, ea ualde refrigerant in calidis temporibus.

Rami & folia aqua aſperſa, ut Vitalis docet, circũ febricitantes, aut eorundem lectos poſita, aërem refrigerant, eoſq; recreant & confortant.

Succus ſalicis cum aqua plantaginis temperatus, ac ſumptus, facit ad dyſenteriam.

D Prodeſt potum ſemen ſanguinem expuentibus, ut Dioſcorides ſcribit. Præſtat idem & cortex.

Foliorum præterea & corticis ſuccus in mali corio, cum roſaceo calefactus, aurium doloribus ſuccurrit.

Eorundem decocto podagræ utiliſſimè fouentur, quinetiam fur fures capitis exeruntur.

Cinis ex corticibus crematus, & ſucco ſuo temperatus, præbet unguentum quod uitia cutis in facie emendat.

Idem cinis cum aceto maceratus, clauos & callos illitus pellit.

Idem ſale addito emplaſtri modo uerrucis prius ſcarificatis impoſitus, eas curat.

Cortice & foliis iu uino decoctis, foueri neruos utiliſſimum.

Folia contrita & pota intemperantiã libidinis coërcent, atq; in totum auferunt uſum, ſæpius ſumpta. Optimum profectò remedium ſacerdotibus & monachis, qui caſtitatem uouerunt.

Eſt autem ſuccus ſalicis trium generum, ut Plinius ſcribit. Vnum arbor ipſa exudat gummi modo. Alterum manat in plaga cum floret, exciſo cortice trium digitorum magnitudine. Hic ad purganda quæ obſtant oculis, item ad ſpiſſanda quæ opus ſunt, ciendamque urinam, & ad omnes collectiones intus extrahendas. Tertius ſuccus eſt detruncatione ramorum à falce diſtillans.

A

DE AQVA EX FOLIIS SALICVM.

Folia albarum salicum decerpta ex surculis, qui primum in uere cœperunt geminare, distillantur in medio Maij.

Ea aqua mane ac uesperi singulis uicibus iiij. unciis pota, medetur calculo, trahit urinam, prodest contra lumbricos alui.

Opitulatur contra ruborem oculorum, si inde abluantur, facit ad sacros ignes, medetur fistulis imposita. In potu sumpta, expellit fœtum mortuum.

DE AQVA EX FLORIBVS SALICVM.

Distillantur hi flores quemadmodum flores pomorum & persicorum.

Conducit hæc aqua uisui, sanat scabiem capitis, pulchros reddit capillos si setaceo in eo intincto pectantur, & per se postea iterum siccentur.

DE SAMBVCO.

B

Ακτή.

Sambucus.
Sabucus.

Holder.

ANNOTATIO IN SAMBVCVM.

SAMBVCVM Græci Acten uocant. Fruticat autem Sambucus arboris specie, uirgas habet arundinum forma firmas, inanes, candidas & medulla plenas. Sambucum medulla carere aiunt nonnulli, Theophrastus carnosam ei adiungit. Nota omnibus arbor est, passimq; nascitur, tam in cultis quàm in incultis locis, præsertim autem circa sepes, in montosis locis rarò reperitur. Est & alterum eius genus, Chameactæ id à Græcis uocatur, quasi humilis Sambucus, quem Latini Ebulum uocant, de quo suprà tractatum est. Eadem aũt Sambuco & Ebulo uis est, ut Dioscorides inquit, siccant, adstringunt, refrigerantq;.

DESCRIPTIO.

Sambucus arbor est crasso cortice, & intus concaua folia habet,

C ad Ebuli figuram, floreſq; albos cum umbella, fructum nigrum copioſi uinoſiq; ſucci.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit natura in ſecundo ordine, & deſiccat in primo.

Sambucus & Ebulus, ut Galenus & Ægineta teſtantur, uterque deſiccandi facultatem obtinet, modice digerit, & conglutinat, potus autem & manducatus, aquam per aluum ducit.

VIRES AC IVVAMENTA.

Cortices, flores atq; folia medicinę conueniunt, corticum tamen maior uſus eſt.

Folia adhuc uiridia, ſi contundantur & ſcabioſæ cuti imponantur, maximè curant.

Tali modo abſceſſui, qui in digitis plærunq; exoritur, phagadænam nominant, ſi imponantur, ſtatim medentur.

Folia in uino decocta atq; bibita, tollunt omnes ſuperfluos humores, atq; ſubeuntibus cutem aquis auxiliantur, eaſq; potenter expellunt, quamuis ſtomacho non conueniunt.

Cortices in aqua decocti cum adhuc uirides ſunt, mouent uomitum per ſuperiora, eo decocto bibito.

Odor ſambuci grauis eſt, offendit caput, atq; creat fluxum ſanguinis narium.

D Folia eius, cortices, atq; fructus in aqua ſalſa decocta, pedum tumorem diſſoluunt, ſi eadem aqua tepida lauentur.

Cortices utiliter ſumuntur contra frigidos humores, & præſertim à ſenibus.

Decoctum corticis interioris ex uino, iocineris & lienis duritiem curat.

Accipe folia ſambuci, helleborum, & uinum cum aceto & melle temperatum, ſquillaq; admiſta, impetigini, mordentiq; ſcabiei & morpheæ impone, hoc optimè ſanat.

Leniunt oculorum inflammationem, folia tenera & recentia cũ polenta, emplaſtri modo impoſita, ut Dioſcor. tradit. Proſunt ambuſtis itidem, & canum morſibus eodem modo. Podagris opitulantur cum taurino hircinoue adipe, emplaſtri modo impoſita.

Acini eius infirmiores quàm reliqua. tingunt capillum, poti acetabuli menſura urinam mouent. Foliorum molliſſima eduntur, ad pituitam bilemq; detrahendam.

DE AQVA SAMBVCI.

Exteriore cortice ex ſurculis ſambuci detracto, interior cortex in principio Maij, in Balneo Mariæ diſtillatur.

Aqua hæc mane atq; ueſperi, ſingulis uicibus ad iiij. uncias pota, medetur hydropi.

A ieiuno

A A ieiuno ſex uncijs bibita, abſq; noxa potenter aluum ſoluit.

DE AQVA FOLIORVM SAMBVCI.

Anteriora cacumina, & folia tantum diſtillari debent in medio Maij.

Ea aqua conuenit calidis cruribus & putridis ulceribus, ſi ſæpius inde abluantur, & per ſe iterum ſiccentur.

DE AQVA FLORVM SAMBVCI.

Flores bene maturi etiam in Balneo Mariæ diſtillantur.

Hæc aqua mane & ueſperi ſingulis uicibus tribus uncijs pota, emollit thoracem. Prodeſt contra tumorem & aquam intercutem, aperit obſtructionem iocineris, lienis, atq; renum. Pellit febrem tertianam, expurgat omnes fluxiones ex atra bile prouenientes, corroborat ſtomachum.

Sex uncijs ſemel bibita, purgat omnes humores per inferiora, atque corpus euacuat.

Oculis indita calorem extinguit: in potu ſumpta, atq; oculis inſtillata, diſſoluit oculorum albugines.

Facit ad tremorem manuum, ſi mane ac ueſperi ex ea illinantur, & per ſe iterum ſiccentur.

Prodeſt quoq; contra ulcera inueterata & refrigerata, ſi inde lota fuerint, uel linteolis impoſita, etiam medetur.

B

DE SANGVINARIA.

NOMENCLATVRAE.

Sanguinaria.

Blůtkraut.

ANNOTATIO IN SANGVINARIAM.

SANGVINARIA uulgaris, ut Hieronymus Tragus ſcribit, eſt herba quædam rubens, cuius ſuccus ut purpura tingit, naſcitur. que ſtercorarijs, hæc Soldanella ab alijs dicitur. Sunt autem multæ herbæ, quæ hoc nomine donatæ ſunt, ſuntq; radices, ſunt lapides & gemmæ, quæ ſingula Sanguinaria dici poſſunt. Quidam radicem illam quam Herbarij Tormentillam uocant, ueram ſanguinariam eſſe uolunt, quæ miram habet aſtringendi facultatem. Alij Burſam paſtoris quæ à Germanis **Deſchelkraut** uocatur, Sanguinariam nuncupant. Præterea Polygonon hoc nomine à multis inſignitur, tam uaria eſt autorum de hac herba opinio.

DESCRIPTIO.

C Sanguinaria caulem habet procerum, fermè ad cubiti longitudinem, continentem rubra genicula. Est autem hæc herba maximis prædita uirtutibus.

Radix huius herbæ magis in medicina probatur. Refrigerat atq; desiccat in secundo ordine.

Hæc radix in manu retenta, tantũ efficit quantum uerus Hæmathites, ita ut in fine mensis Augusti effossa sit, est rubicunda hæc radix, & durat annum. Qui sanguinem expuit, edat puluerem ex hac radice. Cui sanguis ex naribus nimium profluit, radicem hanc in manu retineat, ea sanguinem restringet absq; dubio. In quibuscunque locis hæc herba nascitur, omnes aliæ herbæ ad spacium unius passus tutę sunt à serpentibus.

DE SATVREIA.

D

NOMENCLATVRAE.

Θύμβρα.
Satureia.
Cunila.
Thymbra.
Garten Jsop.
Saturey.
Zwibel Hysop.
Garten Kól.
Sadoney.

ANNOTATIO IN SATVREIAM.

SATVREIA, Cunila & Thymbra apud Plinium & Dioscoridem idem sunt: herba est aromatica, grauiter spirans, nos lingua nostra **Saturey / Garten oder Zwibel Hysop** eam uocamus. Est autem Thymi species, Columella autore, cum ait: Et Satureia Thymi referens Thymbręq; saporem. Vbi tamen sentit contra alios autores Thymbram nonnihil à Satureia discrepare. Sic & Quintus Serenus Satureiam speciem Thymbræ notauit. Satureiam à satyris nomen traxisse comminiscuntur, quòd pronos facit in Venerem, ut Plinius secundus ait, uel à saturitate, in qua libido inest, nomen accepit, ut testatur Platina.

DESCRIPTIO.

Satureia herba est fruticosa, floribus teneris, stirpe referens folia serpylli,

A ſerpilli, flores gerens cœruleos, multum ſeminis producens, gaudet que locis petroſis. Naſcitur & in hortis ſatiua Satureia, ſed ea non adeo eſt efficax.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; deſiccat in quarto gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Hæc herba ſumpta cum coloſtro accommodata eſt pectori refrigerato, quod expurgat. Ex hac herba ſi quis bibat, medetur in ſyncopen cadentibus. Ita quoq; ſumpta prodeſt contra uitia iocineris, lienis & ſtomachi, mundificat locos muliebres.

Grauidæ uitabunt hanc herbam, & eius odorem. In uino cocta & membris paralyticis impoſita, remouet inde dolorem.

Eadem trita & uentri ſuperpoſita, ut Plinius ſecundus ſcribit, partus etiam mortuos expellit, urinam mouet.

Ex uino pota, lethargicos letaliter dormientes excitat, & capiti eorum cum accto frequenter infuſa.

Stomachum nauſeantem, uel in ouo ſumpta, uel pota confirmat.

Contra animalia quæ aculeatis ictibus ſæuiunt, non utiliter adhibetur. Satureia & ſerpyllum ſunt condimenta pauperum, quibus ſi alij cibi parentur, inducunt appetentiam ciborum, ſtomacho accommodata ſunt, excitant Venerem. Satureia, thymus & Ser-

B pillum ferè ijſdem uiribus ſunt prædita.

DE SATYRIO.

NOMENCLATVRAE.

Σατύριον.

Satyrion.
Satyrium.
Teſticulus uulpis.
Priapiſmus.
Aphrodiſia.

Stendel wurtz.
Stendel kraut.
Knaben kraut.
Rag wurtz.

ANNOTATIO IN SATYRION.

C SATYRIO nomen fecerunt, ut Poëta cecinit, panes, & in Venerem Satyrorum prona iuuentus: uel ut Virgilius Marcellus indicat, quòd primi ſylueſtres dĳ colludentes nymphis, per ſyluas & antra, ad firmiorem Venerem eam inuenerunt, uel quòd ad eam uoluptatem natura ſua ipſi potentiores, quæ ad eandem Venerem homines duraret, herbam à ſe uocari permiſerunt. Duo genera Satyrionis ſunt, ut Plinius inquit: Vna longioribus foliĳs quàm oleæ, caule quatuor digitorum, flore purpureo, radice gemina ad formam hominis teſtium, alternis annis intumeſcente, ac reſidente: hæc mas eſſe creditur. Altera Satyrion Orchis cognominatur, & fœmina eſſe putatur: diſtinguitur internodĳs, & ramoſiore frutice, radice faſcinis utili. Herbarĳ autem Satyrion fœminam Palmam Chriſti appellant, de qua ſuprà dictum eſt. Multo plura genera Satyrĳ inueniuntur, de quibus uide Brunsfelſium, & Herbarium Hieronymi Bock.

DESCRIPTIO.

Satyrion foliĳs eſt craſſioribus, mollibus, & uiridibus. Radicem habet cum bulbis inſtar teſticulorum cohærentibus. Hæc gaudet locis cultis.

TEMPERAMENTVM.

D Calefacit atq; humectat in tertio ordine. Satyrion inquit Ægineta, humidi eſt temperamenti ac calidi: item flatuoſum, unde Veneris appetentiam facit. Virtutem habet attrahendi, & præcipuè facit ad morbum articulorum & arthritim.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radix cum uino decocta, ſtimulat ad Venerem & coitum.

Satyrion paralyſi optimum quod haberi poteſt remedium eſt, ſucco eius aſſumpto.

Accipe radicis Satyrĳ unam drachmam, & radicis Azari ſeſquidrachmam, hoc cum longo pipere permiſtum, pondere tertiæ partis unius drachmæ, & circa noctem quando cubitũ itur, ſumptum, ad Venerem reddit potentem.

Maiorem radicem, ut Dioſcorides teſtatur, ſi edant uiri, mares generari dicuntur: ſi minorem fœminæ, alterum ſexum.

Vinum decoctionis Satyrĳ, uel radix in gallinarum iuſculo decocta, libidinem plurimum excitat, inquit Vigonius.

Vlceribus difficilibus, herbę priapiſti, id eſt Satyrĳ, inquit Apuleius, radices tunſas impone, & repurgat, & cicatrices claudet.

Succo eius oculos inunges, & lippitudinem & dolores tollet ſine mora. Si quis mulierem ſubagitare non poterit, herbæ Priapiſti radicem, id eſt teſticulum dextrum, quia maior eſt, & piperis albi grana-

A grana 47. mellis unc. iij. in uino optimo dissoluat, & de hoc medicamine pondo scrupulorum 9. per triduum sumat.

Mulieres Italiæ, ut inquit Aggregator, radicem tritam ministrant cum lacte caprino, ad excitandam libidinem.

Cum melle rosaceo mundificat uulnera.

Arietibus & hircis, ut Plinius inquit, segnioribus in potu datur à Sarmatis.

Equis in potu datur, ob assiduum laborem pigrioribus ad coitum: uim eius restinguit aqua mulsa, aut lactuca sumpta.

DE AQVA SATYRII.

Radix circa exitum Maij distillatur.

Aqua Satyrij mane ac uesperi singulis uicibus pondere trium unciarum pota, corroborat stomachum, adfert calorem, & excitat Venerem.

Eodem modo icterum profligat, & ciet urinam.

Sanat omnia extranea & interanea uulnera, potum pondere unc. 15.

DE SAXIFRAGA.

B

NOMENCLATVRAE.

Σαξίφαγον.
Εμπετρον.

Saxifraga.
Saxifragum.
Saxifragia.

Steynbrech.

ANNOTATIO IN SAXIFRAGVM.

C SAXIFRAGVM & saxifraga, tum etiam saxifragia Latine dicitur, à Græcis uerò Empetron, quòd in locis petrosis nascatur, & frangendo in uesica calculo plurimum sit utilis. In hac herba uariæ sunt ambages, quoniam multæ sunt herbæ, quas uulgus saxifragas appellat. Quidam Pimpinellam pro Saxifraga sumunt, alij herbam alteram Pimpinellæ similem, alij tormentillam accipiunt, alij à nobis uocatam Sancti Petri herbam, uerum nulla harum cum saxifraga Dioscoridis conuenit. Hieronymus Herbarius quatuor species saxifragiæ ponit. Maior scilicet quæ floribus est albis, caule subrubicundo, radice exili, cui uelut lentis, uel pisorum noduli adhærent, quod semen eius esse ferunt. Minor omnibus agnita, humi repens, in petrarum summis, cui uulgò nomen Gryen kraut, eo quòd Ischiadi præcipuè medetur. Tertia, alba quæ milium solis, Germanice Meer Hirß dicitur. Quarta cui Alkakengi Arabico uocabulo nomen fecerunt. Pimpinellam quoq; quintam speciem Saxifragæ esse Hermolaus testatur.

DESCRIPTIO.

Saxifraga herba est caule simplici, floribus albis, gaudet nasci locis montosis. Radices eius sunt candidæ & rotundæ, ad fabarum similitudinem.

TEMPERAMENTVM.

D Calefacit atq; desiccat in tertio ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radicis eius usus est in medicina, & optimè prodest stillicidio urinæ laborantibus.

Calida & sicca est in tertio gradu, inquit Platearius, uirtutem habet diureticam, expulsiuam, & extenuatiuam. Calculos arrodit & conterit.

Herba hæc in uino decocta & potu sumpta, facit ad diabeticam passionem. Suffitus factus ab inferiore parte ex radice eius, idem præstat.

Saxifraga, semen petroselini, semen quinquefolij, & milium solis in uino decocta, prosunt contra calculum lumborum & uesicæ: auxiliantur quoq; contra intestinorum tormina, & præcipuè contra stranguriam.

Puluis saxifragiæ in ouo sorbili sumptus, stranguriæ quoq; medetur.

Saxifraga cocta in uino, & mox pota febricitantibus opitulatur, ut Dioscorides testatur, Stranguriæ prodest, singultum sedat. Calculos renum & uesicæ frangit, urinam ciet, purgat iecur, renes & uesicam. Hoc etiam usurpatur contra coxendicis dolorem.

A

DE AQVA SAXIFRAGIAE.

Saxifraga cum tota ſubſtantia in medio Maij diſtillatur.

Aqua eius quotidie ſingulis uicibus tribus uncijs pota, frangit calculum renum & ueſicę, medetur iſchiadi, ciet urinam, purgat renes & ueſicam.

DE SCABIOSA.

B

NOMENCLATVRAE.

Scabioſa.

Apoſtemen Kraut.
Grindt Kraut.

ANNOTATIO IN SCABIOSAM.

SCABIOSA eſt una ex herbis quæ apud antiquos non reperiuntur. Pandectarius ſcabioſam apud Dioſcoridem Stœben interpretatur, ſed reclamante Hermolao Barbaro, cuius hæc in Corollario uerba ſunt: Si Steba idem eſt quod phleos, id quod uidetur aſſerere Plinius, errant qui Stœben pro ea herba capiunt, quæ uulgò Scabioſa uocatur, folio Erucæ hirſuto, non tamen aculeis herente, cœrulei floris, ex qua & ſcopæ fiunt. Potius ea eſſe uideretur Scabioſa, quę ab Aëtio Pſora uocatur, ut Ruellius teſtatur, ab ſcabie, ut nomen prætendit, cuius uſtæ fumo arborum Erucæ moriantur, quamuis non ſatis habeatur compertum. D. Hieronymus Bock contendit eam eſſe herbam, quæ à Dioſcoride κρίσιον, uel Cirſion uocatur, quæ medetur uerrucis.

DE

C

DESCRIPTIO.

Scabiosa est herba quæ inferiore parte super terram serrata habet folia, caulem non adeo crassum, flores cœruleos instar morsus diaboli, folia penetrat uena quædam spadicei coloris. Radix est obscuri coloris.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & sicca est in secundo ordine. Natura ualde desiccat, propterea in aqua decocta & pota, facit ad dysenteriam, aures fluentes, oleo indita.

VIRES AC IVVAMENTA.

Decoctum huius herbæ conducit manantibus uulneribus, inueteratis ulceribus, si inde abluantur & mundificentur, & postea succus eius linteolo imponatur. Scabiosa cum rubro uino decocta, eo uino siccantur omnia ulcera, quę contra naturã, manantia sunt.

Folia Scabiosæ contusa, ualde prosunt contra fluxum Hemorrhoidum, quem statim restringunt imposita.

Oculis cruore ab ictu suffusis, folia illinuntur.

Scabiosa usurpata facit ad omnem malignam scabiem in corpore, & præsertim ad Lepram.

Ex hac herba si quis bibat, uel aqua inde distillata, discutit abscessus circa thoracem. Succus eius in potu sumptus, necat lumbricos in uentre, & tollit omnia ulcera interiora corporis, & præcipuè

D apostema pulmonis, si inde quis bibat.

Succus scabiosæ & sulphur in puluerem redactum, & lithargyrum, cum oleo Laurino permistum ad unguenti modum, hoc scabiem curat cuti infectæ illitum. Scabiosa cum plantagine in aceto & aqua rosacea decocta, & calidis ulceribus atq; apostematibus imposita, ea natura refrigerat. Eadem cum Taxo Barbato, si coquatur prodest ad anum procidentem, & hemorrhoides, huic decocto insidentibus. In uino decocta & pota, opitulatur contra puncturam lateris. Succus scabiosę medetur cuiuis scabiei, balnea inde parata idem prestant: necat quoq; furfures capitis, si caput inde laueť.

DE AQVA SCABIOSAE.

Folia & radix simul concisa distillantur circa exitum Maij.

Aqua scabiosæ per diem ter aut quater, & singulis uicibus tribus uncijs sumpta, facit ad angustiam pectoris, & ad ipsius apostemata.

Mane, meridie & uesperi singulis uicibus ad tres uncias pota, opitulatur contra punctionem laterum. Prodest contra abscessus in corpore, contra pestem, uenenum, tussim & omnem immunditiam interiorem corporis. Supradicto modo in potu sumpta, medetur scabiei, & impurum sanguinem emendat, abscessus exorientes in corpore discutit, sanat uulnera tam exteriora quàm interiora, linteolis imposita.

Purgat

A Purgat pulmonem, pellit tussim.

Eisdem uiribus pollet, quibus aqua Consolidæ regalis. Oculis medetur instillata.

Prodest ad foramina membri uirilis instillata, atque si ex ea abluantur.

Medetur marisci, impetiginibus & herpetis. Medetur quoq; lepræ, pustulis pestilentibus, ut Carbunculo.

DE SCOLOPENDRIO.

NOMENCLATVRAE.

Ἀσπλήνιον.

Scolopendrion.
Lingua ceruina.
Scolopendria.
Splenetica.

Hirtzung.

B

ANNOTATIO IN SCOLOPENDRION.

SCOLOPENDRION uulgus Herbariorum Linguam ceruinam appellat. Est autem magna controuersia de hac herba inter medicos recentiores. Quidam enim uulgarem linguam ceruinam putant esse Scolopendrion Dioscoridis, Asplenon dictum. Alij uerò qui magis scopum attingerunt, credunt eam esse Dioscoridis Hemionitin aut Phillitin. horum sane iudicio subscribunt doctissimi quique medicorum. Scolopendrion uerum, ut ijdem testantur, est Asplenon Dioscoridis, quæ est herba nascens in petris parietibusq; opacis, sine caule, sine flore, sine semine, Polipodij herbæ modo incisuris diuisa, ex inferiore parte aspera & flauescens, superiore autem uiridis. Hæc cum herba quam linguam ceruinam uocant, neq; forma neq; uiribus conuenit, ea enim constrictiuam uim habet & dysentericis prodest, medici autem ea utuntur, tanquam herba aperiente, lienes dissoluente & calculos frangente, quas uires possidet uerum Scolopendrion, quod à Hieronymo Bock Germanice Wald Hirtzung, id est sylueſtris lingua ceruina appellatur: nascitur enim inquit, in opacis & humidis syluis. Hęc olim à Latinis Calcifraga, & ab Arabibus Ceterach dicta fuit, Cordus eam Germanice appellat Steyn faren.

DE.

DESCRIPTIO.

C Scolopendria similis est figura Scolopendræ animali, quod habet quatuordecim pedes, uel polypodio. Gaudet locis petrosis, & parietibus. Folia habet multa ab una radice prodeuntia, quæ à posteriore parte maculis conspersa sunt, ceu uiridibus costis, interius Polypodio similis est, cum spadicei coloris caule & radice.

TEMPERAMENTVM.

Est subtilis naturæ, & mediocris temperamenti. Calida est in primo, & sicca in secundo gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Folia eius in aceto decocta, minuunt lienem, & exiccant humorem eius, decocto illo per xxx. dies poto.

Eadem concisa & in uino elixa, lienis tumorem pellunt, emplastri modo imposita.

Folia contusa atq; hyssopo admixta, in uino decocta atq; bibita, medentur morbo regio atq; stranguriæ.

Si quis ex hac herba bibat, frangit calculum renum atq; uesicæ. Scolopendria ferè omnibus morbis remedium præstat.

Lieni multum prodest in potu sumpta, uel foris imposita.

Si quis sæpius bibat ex uino in quo Scolopendria & Tamariscus decocta sint, illud tollit dolorem lienis absq; dubio.

Vinum elixum cum Scolopendria, & radice Petroselini, illud po
D tum, prodest stillicidio urinæ.

Scolopendria cum uino decocta, pellit calculum & lithiasin, confortat cor, aperit iecur & lienem, medetur febri quartanæ, sedat singultum, educit calorem ex omnibus membris.

In aceto decocta, & lieni impolita, sedat tumorem, punctura & dolorem lienis.

DE AQVA SCOLOPENDRIAE.

Folia in Maio distillantur.

Aqua Scolopendriæ mane ac uesperi, singulis uicibus duabus aut tribus uncijs pota, prodest contra obstructionem cordis, mundificat sanguinem, & corroborat cor, aperit oppilationem lienis, emollit lienem induratum, & aperit iecur.

Eadem bibita, medetur febri quartanæ, frangit calculum renum & uesicæ. Contra omnes calores prodest pota, & lineis pannis super impolita. Subuenit contra tumorem, & punctura laterum. Prodest contra grauia & horrenda somnia, quę ex obstructione lienis, & Melancholico sanguine exoriuntur.

Pellit tristiciam & Melancholiam.

Dissoluit in potu sumpta, sanguinem ex casu, ictu uel contusione, in grumos conglobatum.

Sæpius

A Sæpius gargarizata per diem, facit ad uuulam nimium extensam, & ad exulcerationem, asperitatem uel dolorem gutturis, citò opitulatur.

Discutit utriusq; generis morbum regium in potu sumpta, subuenit stranguriæ.

DE SCORDIO.

NOMENCLATVRAE.

Σκορδιον.
Scordium:
Trixago palustris.
Allium agreste.
Scorodotis.
Wilder Knoblauch.

ANNOTATIO IN SCORDION.

SCORDIVM uulgus medicorum, & Pharmacopolarũ Allium syluestre appellat, sed magno in errore uersatur, sunt enim diuersæ herbę & diuersam habent figuram & facultatem, ut pulchrè
B ostendunt Ruellius, Manardus, atq; Antonius Musa. Duo enim uocabula sunt satis affinia, Scordion & Scorodon: Scorodon à Græcis Allium dicitur, & Scorodon agrion, Allium syluestre. Arabes in his uocabulis decepti sunt, & Arabum imitatores loco huius uocabuli Scordion, Scorodon intelligentes, Allium syluestre interpretantur, non uiderunt autem Scordion apud Dioscoridem, Allium non esse, sed herbam Trixagini similem, unde à Romanis Trixago palustris dicitur, quòd locis palustribus potissimum crescat, Nascitur, inquit Dioscor. Scordion montanis & humentibus locis, folio Trixaginis, uerum maiore, nec per ambitum tantopere incisuris diuiso, odore aliquo allij, amaro simul & astringente sapore, Caules habet quadrangulos, in quibus rubescens flos est. Multi in medicina usus Scordion olim fuit. In antidotis Galenus palmam ei tribuit, quod ex Creta defertur: quanquam non sit improbandum, quod in alijs nationibus inuenitur. Scriptum esse à grauissimis autoribus medicinæ tradidit, corpora quæ cruento genere belli cæsa mansissent humi diutius insepulta, quæcunq; supra Scordion prostrata iacebant, multo tardius quàm reliqua sensisse corruptionis labem, partesq; cadauerum quæ herbam contigerant, à putrilagine prorsus fuisse uindicatas. Scordotis quoque dicitur ab Hermolao.

C

DESCRIPTIO.

Allium agreſte eſt planta, ſimilis uero allio, uerum in bulbis, & herba minor eſt ſatiuo, naſciturq; ruri.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; deſiccat in tertio gradu. Flores in medicina ualde conducunt.

Hi flores in aqua decocti atq; poti, pectus atq; cerebrum expurgant à malis humoribus.

Bulbi eius à ieiuno manducati, lumbricos uentris necant. In cibo ſumpti, ſubueniunt ſtillicidio urinę: uires ſatiui alij ſuperant.

Allium agreſte in uino decoctum auxiliatur contra ſtomachi, & inteſtinorum dolores ex frigiditate, & flatibus prouenientes.

Idem cum parietaria in oleo decoctum, & inteſtinis impoſitum, pellit dolores ex frigida intemperie creatos.

Aqua huius herbę ferè eiſdem uiribus eſt prædita, qua ſatiui allij aqua.

SEQVVNTVR VIRES SCORDII.

Scordio Dioſcorides excalfactoriam uim attribuit, urinam pellit, ſi recens in potum teratur. Sicca in uino decoquitur, ad ſerpentium morſus. Efficax in roſionibus ſtomachi, urinis contumacibus, dyſenteria, binis drachmis in aqua mulſa potis. Craſſitudines pectoris purulentas extrahit. Contra ueterem tuſſim cum reſina & melle in eclegmate ſumitur, ſicca Podagras ex aceto acri aut aqua circumlitas ſedat. Menſes admotum excit, uulnera contrahit, uetera purgat ulcera, & ad cicatricem cum melle perducit. Farina eius excreſcentia in corpore compeſcit.

D

DE SCROPHVLARIA.

NOMENCLATVRAE.

Scrophularia.
Caſtrangula.
Strangularia.
Sauwurtz.
Groß Fickwartzen kraut.
Knollen kraut.
Braun wurtz.

ANNO.

ANNOTATIO IN SCROPHVLARIAM.

A SCHROPHVLARIA quodnam nomẽ apud Dioſcoridem habeat, nondum ſatis compertũ habetur, ut teſtatur Ottho Brunsfelſius. Eſt aũt trium generum, ut idem ſcribit, Maior ſcilicet, Minor, & media, de maiore Simon Ianuenſis ſic ſcribit. Scrophularia herba quædam dicitur, quæ habet folia ſimilia urticæ, ſed maiora & ſubnigra, ſimiliter & tota planta ſtipitem habet rectum, duobus cubitis longum, in cacumine grana ſubnigra. Hęc à quibuſdam Caſtrangula uocatur, ficaria quoq; dicitur, præterea alij urticam mortuam eam appellant, eo quõd folia Vrticæ ſimilia habet, non tamen urentia. Scrophularia minor, ut Pandectarius inquit, eſt teſticulus ſacerdotis, herba ſuper terram expanſa, cuius folia ſunt pinguia & rotunda, flos eius croceus. Radix teſticulis paruis plena, & albis. A Maio menſe diſperit, nec amplius cernitur. A Germanis dicitur Klein Figwartzen kraut/oder Pfaffen hödlin. A doctioribus me dicis hæc uocatur, Chelidonium minus.

Scrophularia media, creſcit foliis pinguibus, rotundis, colore glaucis, ſucculentis, caliculo palmi unius & ſemis, radice tortuoſa & nodoſa, Germanis uulgõ uocatur, Knaben kraut/oder Wundt kraut.

B Schrophularia propterea dicitur, quòd circa radicem quædam tubera uelut Schrophulas habeat, uel quòd Scrophulas ſanare & delere comperta ſit,

DESCRIPTIO.

Scrophularia herba eſt radice rotunda, quæ longe lateq; ſe intrã terram propagat, naſciturq; in duro ſolo & ferè inter ſpinas. Inuenitur plærunq; in æſtate. Radix dulci eſt ſapore: quare ſues terram rictu effodiunt.

VIRES AC IVVAMENTA.

Electuarium factum ex radice in puluerem redacta, cui mel admixtum ſit, & mane ac ueſperi ſumptum, poſteaq; duas horas, ſi ieiunaueris, ſtrumas repellit, quæ in collo naſcuntur.

Vel accipe illum puluerem atq; farinam triticeam, & permiſce ceu maſſam aliquam, quo manducato uetus uinum ſuperbibe, hoc ſtatim eliciet ſudorem, qui ſtrumas illas diſcutiet.

Scrophularia urticæ mortuæ non abſimilis eſt, ita etiam nigra eſt, naſciturq; ad duorum cubitorum altitudinem, radice nodoſa, plerunq; in locis frigidis, humidis atq; opacis.

Conducit ad repellendum ficos & alios affectus ani, atq; cuiusuis generis ſtrumas.

TEMPERAMENTVM.

res Vi habet reſoluendi. Minor calida eſt & ſicca, ut inquit Vigonius.

C IVVAMENTA.

Hermorrhoides exterunt & maior & minuſcula, tã illitæ quàm potæ.

Maiore etiam rubedo faciei depellitur ea, quæ lepræ quendam aſpectum habet.

REMEDIA MEDIAE SCROPHVLARIAE.

Media uulneraria herba eſt: nam uulnera recentia præſentiſſi. meglutinat & conſolidat.

Proinde ſanguinem ſiſtit illius ſuccus.

Et coniecta in ollam, in qua carnes deferuent & frixantur, facit concreſcere carnium fruſta conciſa.

Certe Empirici ad muliebria pudenda conſtringenda, quo uir. ginitatem reſtaurent corruptis, ea utuntur.

DE AQVA SCROPHVLARIAE.

Optimum tempus diſtillationis eius eſt, ut folia & radix, cum to ta ſubſtantia diſtillentur in medio Maij.

Aqua Scrophulariæ præcipuè ficis medetur, mane & ueſperi ſin gulis uicibus iiij. unciis pota, & linteola in ea madefacta per diem bis aut ter ſi imponantur.

DE SENACIONE.

D

NOMENCLATVRAE.

Senacion.
Senetio.
Erigeron.
Naſturcium aquaticum.
Creſſio.

Bun Kreß.

A

ANNOTATIO IN SENACION.

SENACION Iacobus Manlius Nasturtium aquaticum uocat. Apud Dioscoridem Senetio Latino, & Erigeron Græco nomine dicitur, Posteriores autem ferē omnes, ut Ottho Brunsfelsius indicat, Senetionem Nasturtium aquaticum interprætantur. Sed Euritius Cordus in suo Botanologico, Senetionem aliam esse herbam contendit, nempe uulgarem & contemptam herbam, quæ uulgò **Creutz wurtz** uocatur. Ruellius testatur, Nasturtium aquaticum esse alterum genus Sisymbrij apud Dioscoridem, quod Cardaminem quasi Nasturciam uocant, quòd nasturtio similis sapore sit. Ruellij iudicio subscribit D. Hieronymus Bock. A uulgò Cressio quoq; dicitur.

DESCRIPTIO.

Nasturcium aquaticum crispa est herba, apud fluuios crescens, floribus puniceis, caule simplici, semen & folia similia habet Apio, manducatum bonum reddit odorem.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit in primo & desiccat in secundo gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Semen crudum comestum, frangit calculum ex calore creatum,
B ualde ciet urinam.

Nasturtium aquaticum menses mulierum trahit.

In uino decoctum & bibitum, ischiadi medetur.

Hoc uinum potum, medetur quoq; stranguriæ.

Semen sistit fluxum alui, bibitum cum frigida aqua uel succo cotoneorum. Hoc ita coctum corroborat membra hominis.

Nasturtium aquaticum prodest contra ardorem iecinoris in acetario manducatum. Estur quotidie, ut Ruellius indicat, primis mensis, cibatus ferè pisculentos inchoat, uerna satiat ieiunia.

DE AQVA NASTVRTII AQVATICI.

Folia ex caule decerpta, & concisa circa finem Maij distillantur.

Hæc aqua probata est contra Lithiasim, mane ac uespere singulis uicibus iiij. uncijs pota.

Eodem modo vi. uncijs sumpta, pellit lumbricos alui, facit ad affectus pulmonis & iecinoris, ita tamen ne una uice nimium sumas.

Caput si inde lauetur, prodest contra decidentes capillos.

DE SENAE FOLIIS.

NOMENCLATVRAE.

Folia Sene. Folliculi Senæ.

Senet bletter.

ANNOTATIO IN SENAM.

C SENA, ut Antonius Musa scribit, ab antiquioribus, id est Dioscoride, Plinio & Galeno, nusquam descripta est, prorsusq; eis incognita fuit: ideoq; ab Auerroë recte inter medicinas nouas ab Arabibus inuentas numeratur. Ruellius tamen indicat, apud Theophrastum senam describi, & significari per Coluteam fruticem. Est autem Colutea frutex quadriennio se in arborem efferens, ramis exilibus, folio fœnograeci, membraneo folliculo, pellucente, prætumido, & ueluti quodam spiritu distendente turgido, ita ut digitis si prematur, crepitans dissiliat, in quo semen atrum, durum, latum, lentis magnitudine, pisi gustu. Mauritani sermone suo uernaculo, sene nominant, duoque eius faciunt genera: suæ spontis, & hortense, nam & semine nascitur, in fimo præcipuè ouillo. Addunt ubiq; siliquas oblongas, quibus semina in ordinem utriusq; digesta clauduntur, tenui pendere pediculo: ob id facile uentorum impetu deturbari, hærentesq; pertinacius perticis decuti. Caducas opiliones legunt, saginandis ouibus perquàm utiles. Mirum autem est hanc arborem Theophrasto celebratam, & à Plinio, Dioscoride atq; Galeno, prætermissam. Cuius & siliquarum & foliorum furcu lorumq; tantus eruperit usus, ut apud posteros nullum sit repurgans medicamentum, quod eius misturam non admittat. Colutea magni Alexandri ætate, non temere alibi quàm in Lipara nascebatur, iam tamen & in Gallia & alijs locis prouenit, ut Ruellius testatur. Nascitur semine & fimo præcipuè ouillo. Serendi tempus cum Arcturus occidit. Mandari solo debet præmaceratum, cum iam in aqua germinare cœperit. Falluntur omnino, ut Antonius Musa inquit, qui senam Delphinum aut Peplion, apud Dioscoridem esse arbitrantur.

D

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat in secundo ordine.

Vltra drachmam per se non sumetur, uerum cum additamento, ueluti Zingibere, potest sumi pondere semiunciæ.

VIRES AC IVVAMENTA.

Sene prodest ad repellendam Melancholiam, medetur morbo comitiali, & præsertim febri quartanæ.

Sena pondere semiunciæ in iure gallinaceo sumpta, leniter laxat aluum.

Cum sero lactis spicaq; admixta si coquatur, eo decocto à ieiuno uel quando cubitum itur, sumpto, etiam leniter subducit aluum.

Leniter educit Choleram adustam, expurgat cerebrum, confortat cor atq; iecur, & potissimum pellit punctiones lienis.

Purgat membra corporis, & præcipuè pulmonem.

Qui à

A Qui à lepra sibi metuit, uel corpus habuerit infectum dura scabie, utatur Sena bis ac ter per hebdomadam cum succo fumi terræ.

Sena inducit lætitiam, & pellit Melancholicum sanguinem ex corde, confortat uisum & auditum, tollit malignas & inueteratas febres.

Cum uino decocta modicoq; Zingiberis admisto, prodest contra oppilationem iecinoris atq; lienis, subuenit quoq; contra animi defectionem.

Syrupus ex Sena & Scolopendria cum Boragine permistus, & in aqua decoctus saccharoq; edulcatus, contra animi deliquium etiam prodest.

Sena, ut Antonius Musa docet, debet corrigi Zinzibere, cinamomo, & Gariophilis, ne uentriculum offendat.

DE SERPYLLO.

B

NOMENCLATVRAE.

Ερπιλλος.
Γολιου.

Serpillum.

Quendel.
Hüner kól.
Wilde Boley.
Vnser Frauwen bet stro.
Hüner serb.

ANNOTATIO IN SERPYLLVM.

SERPYLLVM notissima herba est, quæ à serpendo nomen inuenit, ut Dioscorides inquit, & quòd quęcunque pars eius quacunq; terram attigerit, radicatur. Vergilius Marcellus aliam eius interpretationem adducit, inquiens: Neq; Herpyllum à Gręcis, & ex eo Serpyllum à Latinis dictum est, quòd per terram simpliciter serpit, quæ satiui nostra

C ætate fortuna est: sed quòd, ut Theophrastus ait de plantarum Historia, proprium quoddam est ramulorum serpylli incrementum: priuatim enim possunt, in quantam uoluerit aliquis longitudinem trahi: adiecto illis pedamento aliquo: aut si prope sepes plantetur, aut ex altiore loco aliquo deorsum demittatur, sic enim in longum protrahuntur: & ab hac plantæ in ramulis eius natura, quòd in longum serpit, Serpyllum Latini & Græci olus hoc nominauerunt. Duorum generum est Serpyllum, Hortense alterum, odore amaraci, & coronaria herba, folia ramulosq; origano similes habet, candidiores tantum, Ex sepibus prodiens auctius & speciosius. Alterum est syluestre Serpillum, uocaturq; Zygis, nõ serpit hoc per terram, sed rectum ramulos erigit graciles, surculosos, foliis refertos, longioribus quàm rutæ, angustioribus tamen & durioribus, flores habet hæc in gustu asperos: suaui est odore, & inutili radice. Nascitur in petris efficacius, & maiore calefaciendi ui quàm hortense, medicinæq; longe aptius. Satiuum non serpit Plinio, sed ad palmi altitudinem increscit. Syluestre serpit in petris maximè, hoc & pinguius, & candidioribus foliis atq; ramis, Dioscoridi contrà serpit satiuum, non syluestre.

DESCRIPTIO.

Serpyllum est herba minutis foliis per terram serpens, abunde
D nascens in planis, floribus subpurpureis, & iucundè olentibus: Gaudet harenosis montibus.

TEMPERAMENTVM.

Serpyllum utrunq; natura calidum & siccum est. Vsq; adeo excalfacit Serpyllum, ut & menses & urinas moueat, gustu nimium est acre, ut testatur Galenus.

VIRES AC IVVAMENTA.

Serpyllum facit ad destillationes capitis ex frigida causa proue-nientes, medetur quoque tussi & frigido stomacho, si quis ex eo bibat:

In uino potum mulierum menses trahit, ciet urinam. Medetur morsibus uenenatorum.

Capitis dolorem sedat addito rosaceo decoctum, & madefactum in aceto, maximè uerò phreniticis & lethargicis conuenit.

Sedat & cruentos uomitus pondere duarum drachmarum potus cum aceto succus eius.

Semen in uino sumptum, ualde ciet urinam, & potenter expellit calculum.

Si quis assidue ex serpyllo bibat, frangit calculum renum & uesicæ.

Ictus apium sanat, si imponatur.

In uino

A In uino coctum cum ſucco dulcis radicis, medetur tuſſi, & expurgat pectus. Cum aniſo in uino decoctum, excalfacit ſtomachum, diſcutit flatus inteſtinorum, ſubuenit ſtranguriæ.

Idem in uino decoctum & potum, facit ad morſus ſerpentum, ſcorpionum aliorumq; uenenatorum morſibus. Suffitus ex ſerpillo factus, fugat omnia uenenata. Hæc herba cum aceto & melle decocta & bibita, quantum unus cyathus capit, prodeſt ſanguinem excreantibus: ſuccus eius potus idem præſtat, cum aceto permiſtus & iiij. drachmis potus.

Idem cum uino & melle coctum, facit ad anginam, ſi eo calido guttur colluatur.

Aperit obſtructiones iecinoris & lienis, cit urinam in uino decoctum & potum.

In aceto roſaceo maceratum, atq; contuſum, & oleo roſaceo frixum & illitum, dolores capitis ſedat. Idem unguentum capiti illitum, phreniticis & lethargicis opitulatur.

VIRES AC IVVAMENTA EIVS EX MACRO.

Hoc ideo miſcere cibis meſſoribus eſt mos,
Vt ſi forte ſopor feſſos depreſſit illos,
Vermibus à nocuis tuti requieſcere poſſint,
B Peſtiferos morſus bibitum iuuat appoſitumq;,
Prouocat urinas, compeſcit tormina uentris,
Splen iuuat admixto, ſi ſæpe bibatur aceto.
Si mel prædictis iungatur, ſputa cruenta
Iactantes, mirè potus ſolet ille iuuare.
Hauſtum cum uino, iecoris ſedare dolorem
Dicitur, hicq; ſolet producere menſtrua potus.

DE AQVA SERPYLLI.

Herba, caulis, & radix cum tota ſubſtantia conciſa, circa finem Iunij diſtillantur.

Aqua Serpylli mane ac ueſperi ſingulis uicibus tribus unciis pota, corroborat & confirmat caput, cerebrum & ſtomachum, excitat ciborum appetentiam, pellit uentris rugitum, emollit duritiem ſtomachi, prouocat urinam.

Eodem modo ſumpta confortat uiſum, conſumit humores & deſtillationes capitis, medetur febri quotidianæ cum aqua Abſinthij permiſta ac pota. Eadem ſingulis uicibus tribus unciis pota, conuenit iecinori refrigerato atq; lieni, ſanat exulcerata inteſtina.

Aperit obſtructionem narium & aurium, reſtituit auditum, medetur uertigini, nauſeam ſtomachi ſedat, diſcutit tormina uentris, & inteſtinorum. Frangit calculum & ciet urinam in potu ſumpta.

Contuſis membris linteolo applicata medetur.

DE SILIGINE.

C



D

NOMENCLATVRAE.

Ολυρα.

Siligo.

Rocken.

ANNOTATIO IN SILIGINEM.

SILIGO frumenti genus est satis notum, à Dioscoride, Plinio ac Theophrasto Olyra dicitur, ut Hermolaus Barbarus indicat. Apud Catonem est genus Tritici, estq; Siligo uitiū Tritici, ut idem inquit: nam omne triticum solo uliginoso, post tertiam sationem conuertitur in siliginem. Siligo locis apertis celsisq; ferenda, & ubi Sol quàm diutissimè sit.

DESCRIPTIO.

Siligo nascitur in spicis & firmis stipulis, in cacumine flores candidos ferens, spicis instar uermium adhærens.

TEMPERAMENTVM.

Mediam Tritici & hordei naturam possidet, tam ut nutrimentum quàm ut medicamentum, ut Galenus autor est.

VIRES AC IVVAMENTA.

Ad graueolentiam oris ex febre, uel alio quopiam morbo contractam, accipe frigidam aquam montanam, & satis salis indito, panemq; siligineum in eum maceratum, quantum potes, tribus diebus ieiunus comedito, tum anhelitus redditur iucundior.

Siligo magis alit hominem quàm hordeum, & minus alit quàm triticum. Non adeo calefacit ut triticum, sed calidior est hordeo.

Sanos

A Sanos homines panis Siligineus melius corroborat, uerum ægrotis Triticeus panis magis conuenit.

Panis Siligineus male coctus, est origo multorum morborum.

Grana siliginis combusta, & minutim contrita, cum forti uino, conducunt lippientibus oculis.

DE SINAPI.

B

NOMENCLATVRAE.

Σινήπι.
Napu.

Sinapi.
Sinapis.
Sinape.

Senff.

ANNOTATIO IN SINAPI.

SINAPI, & Sinapis, & Sinape media producta legitur, ut Hermolaus Barbarus testatur, Græcia & Napy uocat, quasi Naphy, ut Athenæus interpretatur, quoniam acri & proinde incommoda natura esse uideatur: addit & pusillo corpore. Sinapi uerò dici putat, quia olfactum luminibus officiat, ut Allium. Pythagoras principatum ei dedit inter ea quorū uis in sublime fertur, quia non aliud magis in nares & cerebrū penetret, purgatiora & ad usum mentis uegetiora illic oīa reddat. Recepta iā pridem in uitę & sanitatis usū est, nec hyeme ad intinctus quicq; frequentius, ubiq; cibis intermiscetur, gratissimo obsoniorum condimento, nisi acrimonia feruoreq; suo non

c suo non sternutamenta tantũ, sed lachrymas etiam cieret. quod solum in Carmine suo Columella illi obiecit, dicens: Seq; lacessenti fletum factura Sinapis. Quinto die post satum sinapis comparet: eoq; semel sato, uix est liberare locum: quia semen cadens protinus uiret. Tria eius genera: gracile: secundum rapi foliis: tertium Erucæ. Optimum Aegyptium, præsertim ad sinapismum, in quo usu & Syriaticum probatur. Est autem sinapismus proprie medicamentum sinapi factum, quo noxium uirus ex alto partis elicitur, ut tradit Ruellius. Hoc pustulosum sæpe reddit locum, atroq; fugillat rubore, sic parua cutis iactura, conuerso foras humore, uel in exteriorem partem erumpente, membrum seruatur. Sinapismus, ut Barbarus autor est, à Dropace distinguitur, quòd Dropax cum pice fit, Sinapismus è sinapi conficitur, multoq; uehementior est Dropace. Sinapismus quomodo fiat, & quibus utilis sit, & quibus uitandus, pulchre docet Paulus Ægineta.

DESCRIPTIO.

Sinapi crescit ad rapistri similitudinem, floribus luteis, paruis siliquis, in quibus continetur semen album & acre. Gaudet autem nasci in hortis, & ubi semel seritur, ibi quotannis sua sponte erumpit.

TEMPERAMENTVM.

Semen sinapi calefacit atq; exiccat in quarto ordine, simile est ra
D porum semini, præterquam quòd raporum semen amarum est, & sinapis semen acre est.

Probatur semen sinapi, quod intus est candidum & humidum, etiam si recens sit. Virtutem habet calefaciendi atq; maturandi.

VIRES AC IVVAMENTA.

Est sinapi uis & natura calefacere, extenuare & extrahere, ut Dioscorides inquit.

Semen sinapi cum radice Enulæ contusum, & maturis apostematibus impositum, rumpit ea absq; ullo dolore.

Idem semen contusum, & cum aceto temperatum, medetur morsibus uenenatorum impositum.

Cum aqua mulsa permixtum & gargarissatum, facit ad oris exulcerationem, & ad anginam.

Semen sinapis contusum, & cum ficis atq; cymino permistum ac sumptum, medetur hydropi.

Caput si inde illinatur, tollit lethargum.

Succus sinapis à ieiuno sumptus, bonam reddit memoriam.

Idem medetur hebetibus oculis, & albuginibus eorum, inducit sitim, & excitat Venerem.

Quicunq; quotidie matutino tempore, duo grana sinapis deglutierit, eo die tutus erit ab Apoplexia.

Semen

A Semen in uino decoctum atq; potum, medetur asthmati.

Sinapi, pyrethrum, & Gingiber eodem pondere sumpta, & melle rosaceo permista, si os inde colluatur, & diu quoq; in ore hoc retineatur, expurgat cerebrum ex malis humoribus, unde grauedo capitis solet prouenire. Idem conducit ad decidentem uuam, & ulcera gutturis.

Qui cupit parare canoram uocem, accipat farinam ex sinapi, & cum melle subigat, pastillisq; inde factis, unũ quotidie assume, tum bonam acquires uocem.

Sinapi, ut Dioscorides tradit, commanducatum, pituitas capitis per os ducit & purgat. Succus eius dulci aquę mixtus, contra tonsillas & ueteres durataſq; in callum faucium asperitates, utiliter gargarissatur. Cit sternutamenta tritum sinape naribus admotum, eaq; ratione comitialibus succurrit, strangulatu uuluæ procidentibus. Et contra inexpugnabiles somnos quos Græci Lethargos dicunt, deraso prius capite capiti illinitur.

DE AQVA SINAPIS.

Herba ipsa florens in principio Iunij distillatur.

Aqua Sinapis pellit ulcera gingiuarum, ore sæpius ex ea colluto.

Conducit ad membrorum Phthisim, si sæpius inde fricentur, inde enim uigorem, & carnem recuperant.

B Medullam ossium calefacit, si sæpius ex ea fricentur, & per se iterum siccentur:

Prodest contra frigidum morbum articulorum, si inde fricentur & iterum per se siccescant.

DE SISAMO.

NOMENCLATVRAE.

Σήσαμον.
Sesamum.
Sesama.
Sisamum.
Sisam somen.
Sisam ól.
Flachs dotter.

ANNOTATIO IN SESAMVM.

SESAMVM & Sesamam, nam utroq; modo dicitur, officinæ Sisamum uocant: quidam hoc frumenti, quidam leguminum generi adnumerant. Nascitur, ut Ruellius scribit, culmo ferulaceo,

C foliis sanguineis, semine candido, infra magnitudinem lini, quod uasculis ut papauer continetur, radici simplici & alba. Theophrastus Sesamam repræsentat caule ferulaceo, flore foliaceo, ut Irion, grana eius in siliquis distincta, ut lupini, sed peculiari quodam modo septa. Desijt iam pridem seri in Italia Sesamum, ut Vergilius Marcellus scribit, paulóq; minus quàm peregrinum, & alienum modo est, quondam tam commune, tamq; omnibus agris satum, ut æqua esset huius & aliarum frugum cura. Indicantq; id quæ tam multa de semente eius à Columella Plinioq;, & ab alijs docentur. Semen eius dulce est & odoratum, quod minores aues, quales fringillæ, passeras & cardueles sunt, auidius appetunt. Græcia omnis eo ad dulcia ria utitur, in panificio tritum reliquo pani compinsentes: mox in summa panis cute integrum addito liquore aliquo inspergentes, ut retineatur, & in coctura pani concorporetur. Ægpytus oleum ex eo exprimit, quo in cibo & alio domestico usu utatur, tanta copia, ut ampliſſima latifundia nulla alia fruge uireant. Sesamum nostra ætate exoleuit, adeo ut iam nomen eius uix audiatur, quod mirum est, quum tam multas habeat in sanitate & in morbis utilitates. Hieronymus Bock medicinæ herbariæ magnus promotor, scribit Sesamum in Germania nasci inter linum, & præcipuè in Alsatia, & apud Rhenum, & uulgò uocari **Flachs dotter**, & quia uirtus eius
D sit incognita, propterea ut Zizaniam, & uiliſſimam herbam eruncari. Vide de hac re ipsius Hieronymi Herbarium.

DESCRIPTIO.

Sesamum herba est, quę non parũ lentoris pinguisq; obtinet.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit in primo ordine, humectatq; in secundo.

Sesamum, inquit Galenus, non parum in se continet, uiscosum & pingue: quare emplastrum est & emolliens, ac modicè calidum. Eiusdem facultatis est quod ex eo conficitur oleum: & herbæ quoque decoctum similem uim obtinet.

VIRES AC IVVAMENTA.

Oleum Sesami pellit uerrucas, prurientemq; scabiem, si illinatur.

Cum oleo rosaceo temperatum & temporibus illitum, capitis dolores lenit ex calida intemperie procreatos.

Nocet stomacho Sesamum, ut Dioscorides docet.

Animæ idem grauitatem facit, quoties commanducatum, inter dentes hæserit. Discutit illitum sesamum, quæ in neruis crassiora concreuerunt, prodest contusis & inflammatis auribus, nec minus ambustis etiam, stellionum & cerastarum morsibus medetur. Cum rosaceo factos ab æstu solis dolores capitis lenit: potest eadem in uino decocta herba, præsertimq; contra oculorum inflammationes & grauissimos eorum dolores.

DE

A

SISELEOS, SILER MONTANVM.

NOMENCLATVRAE.

Σισελι.

Seseli Massiliense.
Siler Montanum.

Feldt Kümmel.

ANNOTATIO IN SILER MONTANVM.

SILER montanum ferè à recentioribus medicis appellatur, quod apud Dioscoridē Seseli Massilienſe dicitur, ut Antonius Musa, Ruellius, & Ottho Brunsfelsius indicant. Pharmacopolæ id corruptè Siseleos appellant. Seseli & sili & seli dicitur apud Hippocratem, inquit Barbarus, unde orta confusio, Siler pro Seseli uocantium. Arboreſcit porrò Siler, ut baculos ruſtici ex eo quoq; faciant, in aquaticis naſcens. At seseli frutex non eſt aquaticus, quod quidem aliqui diſtinguere putantes, non Siler, ſed montanum ſiler appellauerunt, id quod Maſſilienſe eſt Seseli. A Dioſcoride tria gene-
B ra Seseleos deſcribuntur, figura longe differentia. Seseli Maſſilienſe, Aethiopicum & Peloponneſiacum.

DESCRIPTIO.

Siler montanum eſt herba fœniculo ſimilis, folia tantum aliquanto longiora & craſſiora habet, caulem oblongum, in cuius cacumine eſt umbella, in qua continetur ſemen anguloſum, longum & acre.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & exiccat in fine primi gradus. Seseli & radix quidem, ſed & fructus uſq; adeo excalfacit, ut admodum urinam mouere queat. Sed & tenuium eſt partium, ut & comitiali morbo & orthopnœis competat, inquit Galenus.

VIRES AC IVVAMENTA.

Seseli craſſos & concretos humores incidit, & potenter educit.
Cum uino bibitum facit ad diabeticam paſſionem.
Tali modo ſumptum prodeſt ad orthopnœam.
Idem cum uino ſumptum, longoq; pipere admiſto, auxiliatur contra morbum comitialem.
Contra frigora hyberno tempore cum pipere & uino, utiliter id bibunt.
Ante concubitum ſi ſumatur, promouet conceptum.

C Seſeli in puluerem redactum, & cum toſtis carycis permiſtum, Prodeſt contra obſtructionem iecinoris, lienis, renum & ueſicę.

Vinum in quo ſemen eſt decoctum, ſubuenit ſtranguriæ.

Radix & ſemen, ut Dioſcorides inquit, Strangurię, orthopnœę, ſuffocationibus mulierum, comitialibus medentur, menſes partuſq; trahunt. Interaneis omnibus proſunt, & contra ueterem tuſſim. Ipſum ſemen in uino hauſtum concoctionibus confert, diſcutit tormina: horrores febrium, quas uocant Epialas, coërcet. Datur ad iuuandos caprarum & cæterarum quadrupedum partus.

DE SOLATRO.

D

NOMENCLATVRAE.

Στρυχνος.

Solanum.
Solatrum.
Vua lupina.
Strychnon ſatiuum.

Nachtſchatten.

ANNOTATIO IN SOLATRVM.

SOLATRVM ab officinis dicitur, quod Latini Solanum appellant. Germani **Nachtſchatten**, quaſi umbram noctis uocant, ex colore quem grana ipſa aut habent aut inficiunt. Olim ſatiuum erat, & in hortis cum alijs oleribus ſeminabatur: nunc in hortis & aquoſis locis ſponte prouenit, imò & cultoribus inuitis ſcatet: eſculentum quoq; olim erat, ut Dioſcorides inquit, nunc uerò non editur. Nihil mali corporibus eſſe prædicat Xenocrates, cui hoc ſalutare non ſit. Quatuor eius genera à Dioſcoride enumerantur: Satiuum & hortenſe, quod omnes nigrum, à colore fructus uocauerũt. Mox Halicacabum cognomento, quod priuatim ueſicaria à Plinio dicitur, rubente fructu, uuæ acini figura, ab Arabibus & officinis Alkakengi uocatur; Tertium Solanum ſomniferum quod à Græcis

Strychnon

A Strychnon Hypnoticon dicitur: hoc fruticat multis ramis, denſis, lignoſis, fractu contumacibus, pinguium foliorum, cotoneæq; mali ſimilium plenis, flore grandi, rubro, fructu in ſiliquis crocato, radice longa, ſubrubro cortice ueſtita. Naſcitur in ſaxis non procul à mari. Quartum, Solanum manicon, id eſt furioſum. Huic folium Erucæ ſimile, maius aliquanto, caules à radice eximios emittit, decem aut duodecim ulnarum altitudine adoleſcentes: caput in cacumine oliua maius & latius, & ut platani pilula hirſutius, florem nigrum, poſtquam eo exuitur, racemus exit rotundus, niger, denis aut duodenis acinis conſtans, ſimilibus Hederæ corymbis, ut uuæ mollibus. Radice firmatur candida, craſſa, caua, cubitali. Gignitur in montibus uento perflatis.

DESCRIPTIO.

Solanum folia habet ad Sambuci figuram accedentia, caulem lenem cum multis ramulis, flores fert candidos, ad modum herbæ Chamepitheos, fructum producit nigrum, inſtar Iuniperi, & mollem. Gaudet locis cultis.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat in primo ordine, & deſiccat in ſecundo. Huius folia in medicina uſurpantur, quum adhuc uiridia ſunt.

B Galenus inquit: Solanum eſculentum, quod in hortis naſcitur, notum eſt omnibus: utunturq; ad omnia ea quæ refrigerari adſtringiq; poſtulant, poteſt enim hæc duo ordine ſecundo.

VIRES AC IVVAMENTA.

Folia emplaſtri modo calidis apoſtematibus impoſita, calorem ualde educunt.

Ex folijs contuſis ſaleq; admiſto, emplaſtrum conficito, quod prurienti ſcabiei impoſitum cito ſanat. Idem ſtomachum ex tumore inflatum deprimit.

Hoc emplaſtrum auribus applicatum, tollit ex eis fluentem ſaniem.

Solanum cum lithargyro, ceruſſa & oleo roſaceo permiſtum, capitiq; illitum, tollit calidos abſceſſus.

Succus ſolani cum aqua hordeacea in potu ſumptus, facit ad abſceſſus ſtomachi, iecinoris & inteſtinorum.

Succus cum oleo oliuarum clyſtere infuſus, ſedat iecur.

Herba contuſa calenti podagræ impoſita, refrigerat & pellit dolorem.

Capitula eius quando uiridia ſunt, ſed nigricantia meliora ſunt, contuſa & tumidis pedibus illita, mitigant tumorem.

Radix ſolani cum radice Scabioſæ & Rutæ collo ſuſpenſa, medetur uariolis.

C Folia Solani refrigerant, & medentur sacris ignibus, & ulceribus quæ à serpendo herpetas uocant.

Eadem contusa & imposita, sedant capitis dolores, stomachi æstum,& calentem podagram, & omnem tumorem ex calore prouenientem.

Herba hæc cum sale contusa,& emplastri modo adhibita,discutit abscessus secundum aures, quos parotidas nominant.

Succo utiliter insperguntur, addito rosaceo infantes, in capitis ardore,quem syriasim dicunt, ut Dioscor. autor est. Quinetiam pro aqua ouo ue collyriis contra acres oculorum destillationes factus,ut eo inungantur, miscetur. Auribus in dolore utiliter instillatur. Sistit muliebres fœminarum fluctiones in lana appositus.

Contra oculorum in maiore angulo fistulas, quas ægilopas uocant,itidem cum gallinarum rubente fimo subigitur, & laciniæ iniectus utiliter imponitur.

DE AQVA SOLANI.

Folia caulibus decerpta,quando acini adhuc herbaceo sunt colore,distillationi adaptantur.

Aqua solani mane, meridie atq; uesperi singulis uicibus tribus unciis pota, facit ad tumorem ex calida intemperie exortum. Idem præstat,si lineis pannis tumori imponatur.

D Antedicto modo sumpta,medetur calculo. Sudorem elicit,mixta aquæ absinthij,& tribus unciis pota.

Contra dolores occipitij & capitis ex calore procreatos opitulatur. Medetur calidę podagrę, & sacris ignibus linteolis impositа, quę sępius iterum madefacere in ea aqua oportet.

Auribus instillata dolores inde discutit.

Sedat inflammata apostemata mamillarum.

Calidas anginas reprimit, ne strangulent uelocius, gargarizata refrigerat iecur,& extinguit calorem.

Subuenit ruptis hominibus linteolis rupturæ impositа.

Insomnia prohibet in potu sumpta.

Opitulatur quoq; bibita, si ex nocturno terrore pustulę aliquæ fuerint exortæ,linteolis quoq; impositа,idem facit.

DE SPARAGO.

NOMENCLATVRAE.

Ἀσπάραγος.

Asparagus. Sparagus.
Spargen. Spargenfrucht.

ANNO

A

ANNOTATIO IN ASPARAGVM.

ASPARAGVS ab officinis extrita priore litera, Sparagus dicitur. Dicitur autem, ut Varro ait, ab asperitate, uel quoniam ita Græci nominant, Asparagos à Theophrasto dicitur. Est autem duplex Asparagus, Altilis satiuusq;, qui notior omnibus est quàm ut debeat explicari: namq;, ut Ruellius scribit, è radiculis quas uocant spongias, thyrsus primum exilit, cacumine in torulos turbinato, quod tandem increscens explicatur in ramos prægrandes, quibus insunt folia capillamenti modo tenuata, quæ per uetustatem occalescunt in spinulas, florem fundit paruulum, quo decusso bacculæ dependent primũ uirides, quæ tandem maturitate rubescunt, seminibus refertæ. Est & Asparagus erraticus seu syluestris, qui uetuti lignescit & spinosa folia habet, profertq; stolones admodum exiles, qui si in hortis transferantur, nunquam grati sunt saporis. Satiui & hortenses Asparagi stolones oblongos producunt, qui facilimè quidem coquuntur & celerrimè, ac deinde aceto & oleo conditi, primis mensis edi solent pro acetarijs. Hinc prouerbium de re quam celerrimẽ perfici dicimus, citius quàm asparagi coquantur. Obseruandum hic est apud antiquos Græcos medicos Asparagum non tantum significare spinosi frutícis summum, quod edendo est, quodq; priuatim cum tota planta Asparagus ubiq; nominatur, sed

B quæcunq; in oleribus & herbis prima germina ex terra prodeunt & uidentur. Germani Schoß uel Schößlin uocant. Significatione hac Paulus Ægineta in primo, de Asparagis caput inscripsit.

DESCRIPTIO.

Asparagus herba est succrescens in altitudinem, habetq; iuxta quodq; foliolum bacculam rubentem dependentem, in qua semen nigrum est, unde herba seri solet.

TEMPERAMENTVM.

Natura calefacit & humectat, facit ad paralysim, morbum regium, & stranguriam.

VIRES AC IVVAMENTA.

Fructus & semen in medicina usurpantur, & durant annum integris uiribus.

Asparagus petræus aut myacanthinus (hoc est agrestis autore Marcello.) abstergit utiq;, sed calore & frigiditate medius est, ut inquit Ægineta, renes & iecur obstructa recludit, præsertimq; radices & semen: Item dentium doloribus medetur.

Asparagus in cibo sumptus prodest ad lienem ac iecur obstructum atq; induratum.

Radix in uino decocta, absq; dubio medetur felle suffusis.

c Ex decocto asparagi os si colluatur, sedat omnem oris & dentium dolorem.

Vtilissimus stomacho cibus, ut traditur asparagi.

Cumino quidem addito inflationes stomachi coliq; discutiunt.

Oculis claritatem adferunt, uentrem leniter emolliunt. Vrinam cient utilissimè, præterquam quòd uesicam exulcerant. Venerem stimulant. Pectoris & spinæ doloribus, intestinorumq; ultijs prosunt. Vino cum coquuntur addito, lumborum & renum dolores mitigant. Radix in uino albo pota, calculos exturbat. Quidam ad uuluæ dolorem, radicem cum uino dulci propinant. Eadem cum aceto decocta contra elephantiam proficit. Lumborum & renum dolores sedat. Asparago trito cum oleo perunctum, pungi ab apibus negant.

Syluestris asparagi ad prædicta omnia efficacior uis. Regium morbum extenuat. Veneris causa aquam eius decocti bibi iubent ad heminam. Coctus tostusq; distillationes urinæ, difficultatesq; in cibo finit, strangurias & lumborum dolores discutit, dysentericis opitulatur. Ad serpentium ictus succus decoctus ualet.

Radix in aceto uinoq; decocto luxatis medetur. Si sanguis per urinam reddatur, semen asparagi, apij, & cumini, ternis obolis in uino, cyathis duobus dari quinq; diebus Chrysippus iubet.

D

DE SPATVLA FOETIDA.

NOMENCLATVRAE.

Spatula fœtida.

Wandtleuß kraut.

ANNOTATIO IN SPATVLAM.

SPATVLA fœtida, ut Ruellius indicat, herba est quę apud Dioscoridem Xiphion dicitur, quam officinæ propterea Spatulam fœtidam appellant, quòd grauem exhalet odorem.

DESCRIPTIO.

Spatula fœtida habet herbam iuxta terram ad plantaginis minoris speciem, cuius caules in cacumine gerunt semen triangulare & copiosum, iuxta gladioli similitudinem, tetrumq; reddit odorem. Gaudet nasci circa sepes & locos opacos. Non est sumenda intrò.

VIRES

A VIRES AC IVVAMENTA.

Succus huius herbæ discutit ex cute malignam scabiem, quæ lepram refert. Succus ad hunc modum paratur. Succum insolatum in puluerem contunde, cui admisce puluerem ex succo Staphisagriæ, flammulæ, & hermodactyli, & atramenti, singulorum æquale pondus sumendo, omnia hæc cum aceto & axungia porcina permisceto ad unguenti formam. Hoc unguento cutem scabiosam inunge, & postea superimpone folium Brassicę uel plantaginis, quod si per diem ita ter cutem inunxeris, absq; dubio curaberis,

Puluis ex hoc succo cum uino permistus, & membro conquassato impositus, ossa extrahit absq; dolore.

Cimices ubiq; fugitant hanc herbam.

DE SPELTA.

B

NOMENCLATVRAE.

Ζεά.

Spelta.
Zea.

Spelz.
Dinckel.

ANNOTATIO IN SPELTAM.

SPELTA frumenti eius quod à Græcis & antiquis medicis Zea dicitur. Itali autem Zeam speltam uocant, ut Hermolaus Barbarus indicat, rustica potius quàm Latina uoce, quam Rhemius Palęmon usurpauit in carmine de ponderibus ac mensuris, octo uolens speltas pendere scrupulum. Zeam Græci, Latini semen à præstantia frugis appellarunt, ut Plinius testatur, estq; frumenti genus tritico similimum, radice multiplici atq; alta: culmoq; numeroso: tritico fuscius est & minus. Dioscorides duas species Zeæ reddidit. Alteram simplicis grani, alteram gemini duobus armamentis inuoluti, & ob id dicoccos cognominatur. Vim habet Galeno inter triticum & hordeum mediam. Tantum in cibo tritico cedit, quantum hordeo præfertur in panificio. Alimonia est maiore quàm hordeũ, minore quàm triticum.

DE.

DESCRIPTIO.

c Spelta grana habet ad hordei formam,& minus alit quàm hordeum, bonumq; reddit odorem, & multos præbet furfures, atque concoctu difficilis est, emollit aluum.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat atq; humectat.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radicem habet altam, estq; omnibus auibus gratissimus cibus.

Cum hordeo permista, bonum præbet panem, medetur humido pulmoni & duræ tussi, emollit thoracem.

Eclegma ex Spelta ciet urinam, expurgat renes & uesicam.

Ex uino rubro medetur scorpionum ictibus.

Tepida sanguinem excreantibus: item arteriæ uicijs, tussi cum caprino seuo aut butyro, frequenti usu uentrem adstringi non patitur.

DE SPICA NARDI.

D

NOMENCLATVRAE.

Νάρδος ἰνδικὴ.

Spica nardi.
Nardus Indica.
Spica Indica.

Spica Narden.

ANNOTATIO IN SPICAM NARDI.

SPICA nardi est quam Dioscorides Nardum Indicam appellat, quod & Hermolaus Barbarus ex Galeno probat, cũ inquit: Galenus Indicam nardum accipit, quoties absolute στάχυν, id est Spicam nardi nominat, quasi Spicam cæterę non habeant, sed herbam duntaxat, quemadmodum & Plinio uidetur. Est autem Nardus frutex graui & crassa radice, sed minuta, nigraque ac fragili, quamuis pinguissimum

A pingui ſitum redolente qualem cupreſſi, aſpero ſapore, folio paruo denſoq;. Cacumina in ariſtas ſe ſpargunt, Ideo gemina dote nardi ſpicas, & folia concelebrant. Hieronymus Bock quoq; ſcribit Spicam nardi quæ iam paſſim in Germania in hortis naſcitur, & fermè Lauendulæ formam obtinet, ad nardum Indicam Dioſcor. referendam eſſe, quamuis deſcriptioni per omnia non reſpondeat. De hac Fuchſius ad hunc modum ſcribit: Nardi ſpica nos carere manifeſtiſſimum exiſtit, nam quam paſſim hodie officinæ habent, ea inodora eſt, cum uera perquàm odorata ſit, & Cyperum redoleat. Ruellius ſcribit, Pſeudonardum eſſe Spicam nardi, quæ paſſim apud nos in hortis habetur, & Lauendulam quoq; eius eſſe ſpeciem, ſed ſpicam maioribus uiribus eſſe præditam.

DESCRIPTIO.

Spica nardi Lauendulæ formam repreſentat, folia tantum habet craſſiora & maiora, longiorem quoq; caulem & flores maiores qui etiam cœruleo ſunt colore, ad Lauendulæ figuram. Gaudet hortis & ſolo pingui.

TEMPERAMENTVM.

Calida eſt in primo ordine, & ſicca in ſecundo, ciet urinam.

VIRES AC IVVAMENTA.

Si quis ex ea bibat, ſiſtit fluxum alui.

B Ex decocto eius, ſi emplaſtrum conficiatur, & mulierum pudendis imponatur, ſedat ſuperflua menſtrua, tollitq; humores locorum muliebrium.

Spica nardi cum frigida aqua ſumpta, pellit imbecillitatem, & tremorem cordis.

Eadem lixiuio impoſita, capiteq; inde loto, facit renaſci capillos, facitq; ad capillorum defluuium, tali modo ſi quis utatur.

Spica nardi collyriis eſt accommodata.

Conducit ſtomacho & iecinori.

Oleum nardinum, ſeu oleum de Spica odoriferum & efficax eſt, ad multa conducens, præſertim ad membra paralytica, ſi ex eo ungantur.

Præterea quoq; prodeſt podagræ, & aliorum articulorum doloribus.

Spica nardi inflationibus ſtomachi, iocineroſis, renibus, & morbo regio laborantibus ſubuenit.

Decoctum in aqua, uuluæ inflammationes inſidentium fouet. Pilorum defluuia in genis coércet, quando iacturam reſarciat, coſq; conſtringendo firmet. Naribus admota cerebrū frigidū confortat.

Valet contra linguæ paralyſin, neruos confortat, humorem linguæ organum occupantem conſumit.

DE AQVA SPICA NARDI.

C Spica nardi uino indita, & in uitreo uaſe, bene occluſa aliquan. diu inſolari debet, deinde uitreæ diſtillatoriæ metæ indita, in Bal. neo Marię lento igne diſtillanda eſt. Si autem uiridis Spica haberi poſſet, non opus eſſet eam uino indere.

Aqua Spicæ nardi eſt ualde precioſa aqua ad omnes frigidos affectus corporis tam exteriores quàm interiores, ſiue etiam ad affectus capitis, ſiue cerebri, ſi linteolum in hac aqua madefactum nari. bus admoueatur.

Prodeſt contra catharrum. Opitulatur ſycopi, in qua homo omnino obmuteſcit, una uel duabus uncijs pota, uel uenis pulſatili. bus ex ea illitis, diſcutit quoq; cordis ægritudines, calefacit frigidū ſtomachum.

In potu ſumpta, facit ad colicam paſſionem ex frigiditate pro. deuntem.

Sedat capitis dolores & uertiginem ex frigida cauſa prouenien. tem, uertici & fronti illita.

Paralytica & refrigerata membra inde fricata, iterum excitan. tur, & calefiunt, & pellit tremorem eorum,

DE SPICA CELTICA.

D

NOMENCLATVRAE.

Νάρδος κελτικὴ.
Spica Celtica.
Nardus Celtica.
Spica Romana.
Saliunca.
Römiſcher Spick.
Marien Magdalenen blümen.
Katzen leyterlin.

ANNOTATIO IN SPICAM CELTICAM.

SPICA Celtica genus nardi eſt quæ à Dioſcoride Nar. dus Gallica & Celtica dicitur. Latini eam appellant Spicam Romanam & Saliuncam, ut Hieronymus Her barius teſtatur, & Germanice **Sant Marien Magda lenen Blůmen** dicitur. Huius iudicio ſubſcribit clariſſimus uir Doctor Hieronymus Bock, inquiens: Nardus Celtica eſt, quę Ger manis **Sant Marien Magdalenen blůmen** dicitur, quæ ex Vn. garia ad.

A garia adfertur, & à Vergilio in Æglogis Saliunca uocatur.

DESCRIPTIO.

Spica Romana herba est nascens humi, ad uirgularum ex scopis similitudinem, herba subtili & odorata, estq; planta arida & rubicunda.

Calfacit in abscessu primo, & exiccat in altero.

Hæc Spica stomacho magis est accommodata, cum Absinthio decocta, & ita assumpta.

Ex hac Spica Romana etiam distillari potest, ut ex Spica nardi.

DE SPINACHIA.

NOMENCLATVRAE.

Spinachia.
Spinaceum olus.
Atriplex Hispaniense.

Binetsch.
Zeerkraut.

ANNOTATIO IN SPINACHIAM.

B SPINACHIA uulgare & notum olus est, ab Atriplicis natura non multum abhorrens, unde & nonnulli Atriplicem & Spinachiam idẽ olus esse putauerunt, ut Ruellius inquit: ueteribus autem incognitum fuit, cum de eo nihil literarum monumentis tradiderunt, forsitan quòd cibo magis quàm medicinæ natum esset. A nonnullis Atriplex Hispaniense nominatur, forsitan quòd hinc oriundum ad nos tandem concesserit, indeq; manans commigrauerit. Quidam ei apud Dioscoridem nomenclaturam assignare conati sunt, & Lapathum acutum appellauerunt, quod à ueteribus etiam inter olera hortensia connumeratur: uerum si quis aculeatum & spinosum semen, & breuem candidamq; radicem Spinachiæ spectare uelit, inueniet eam Lapatho esse dissimilem. Spinachia à Latinis hoc olus inde nominatum est, quòd semen eius in spinas occalescat. Seritur Septembri mense, & item Martio, ieiunijs aptissimum, estque primum olus quod circa quadragesimam in hortis inuenitur.

DESCRIPTIO.

Spinachia in summitate acutum habet folium, & infrà latum & acutum, caules plærunq; ad unius uel duorum cubitorum crescunt altitudinem, in quibus semen nascitur, spinis horridum & acutum,

C Seritur in hortis pro olere.

TEMPERAMENTVM.

Spinachia refrigerat atq; humectat in fine primi gradus.

VIRES AC IVVAMENTA.

Decocta & manducata lenit aluum, tollit dolores pectoris atque pulmonis.

Melius Atriplice alit, ut Serapion docet, aluum leuigat, laudabiliusque nutrimentum post se relinquit, detergit, abluit, Choleram compescit, pectori pulmoniq; confert.

Decoctum huius herbæ potum, expellit malos humores, facilem reddit anhelitum. Singulis diebus in cibo sumpta, generat Melancholiam, quod & lactuca facit.

Quicunq; graues dolores dorsi & aluum constipatam habuerit, hoc olus edat, & decoctum eius bibat, absq; dubio opem præstat.

DE SQVILLA.

NOMENCLATVRAE.

Σκύλλα.
Scylla.
Squilla.
Cepe marinum.
Erdzwibel.
Meerzwibel.

D

ANNOTATIO IN SQVILLAM.

SQVILLAM iam omnes officinæ Varronis exemplo uocant, quæ ab antiquioribus medicis Scylla dicitur. Duo autem Scyllæ genera sunt, masculus albis foliis, fœmina nigris. Viuax est Scylla utpote quæ pensilis diu uitam prorogare possit. Quicquid Scyllæ fuerit inditum, ut Theophrastus scribit, facilius germinat, & celerius gliscit, fructus condendos seruat, præsertim punica mala pediculo prius exempto, florere ter dicitur, singulis floribus singulas sementes denunciantibus. Ante portas domorum sata ueneficiorum noxam arcet.

DESCRIPTIO.

Squilla foliis est gladiolo similibus, radici eius adhæret magnus bulbus, unde paratur acetum Squilliticum. Gaudet pratis.

TEMPERAMENTVM.

Magnam habet uim calefaciendi. In medicina ea non utimur, nisi prius tosta aut elixa sit, nam imparata, & absq; additamento ni-

mium ope-

A mium operatur. Calida & ſicca eſt in ſecundo ordine. Galenus inquit: Scylla admodum incidentem facultatem obtinet, non tamen admodum calidam, ſed ſecundum hoc eam quiſpiam ſecundi ordinis cenſeat excalfacientium. Præſtat autem aut aſſam, aut elixam ſumere: ſic enim uirium eius uehementia exoluitur. Dum torretur, piſtorio opere aut argilla circumlita in furnum conĩcitur, uel ignitis cineribus obruitur, ſic enim recte crematur, ſinito eam ab unde torreri, alioqui graui periculo ſumeretur.

VIRES AC IVVAMENTA.

Squilla oleum in ſe continet, quod nigrum eſt.

Hoc oleum cum melle temperatum, & glabræ cuti illitum, facit renaſci crines.

Acetum Squilliticum prodeſt contra difficultatem anhelitus, & contra antiquam tuſſim. In ore ſi illud retineatur; ſanat malas gingiuas.

Idem clariorem oculorum aciem facit. Salutare eſt ſtomachi laterumq; doloribus, parum ſumptum binis diebus. Sed auidius hauſtum momento aliquo extinctæ animæ ſpeciem præbet.

Squilla multum prodeſt contra Apoplexiam, & morbum comitialem.

In uino cocta & bibita, pellit omnes interiores affectus corpo-
B ris, & præſertim medetur uitiato & ardenti iecinori.

Supradicto modo parata & cum Abſinthio, & maſtiche in aqua & aceto decocta, & ex ſaccharo edulcata, facit ad obſtructionem iecoris atq; lienis, medetur morbo regio & hydropi, potenter ciet urinam, trahit fœminarum menſtrua, expellitq; fœtum mortuum.

Squilla per noctem in aqua macerata, ſi mures inde biberint, moriuntur.

Additur Scilla, ut Dioſcorides inquit, potionibus medicamentiſq; quæ rarò facienda ſint.

Daturq; his in quibus urinam ciere uoluerimus.

Facit ad cutem ſubeuntes aquas: ciborum in ſtomacho incontinentiam: & ſtomacho innatantes cibos.

Tineas & reliqua uentris animalia pellit, ex aceto & melle ſumpta. Linguæ quoq; recens ſubiecta, præſtat ne hydropici ſitim ſentiant. Furfures & ulcera manantia ſanat illita ex oleo cocta, item rimas pedum.

Pythagoras in limine ianuę ſuſpenſam malorum medicamentorum introitum pellere tradit.

Elicit Scilla ueterinis cupidinem coëundi, nam ſi equa marem non patitur, detrita ſcilla naturalia eius liniuntur, quæ res accendit libidinem.

DE AQVA SCYLLAE.

C Aqua destillata ex Squilla cum esca quam mures libenter edunt, permista, & muribus obiecta, eos necat qui eam ederunt.

DE SQVINANTO.

NOMENCLATVRAE.

Σχοῖνος.
Schœnanthos.
Squinantum.
Iuncus odoratus, rotundus.
Camelu Hew.

ANNOTATIO IN SCHOENANTHON.

SQVINANTVM uulgò à Pharmacopolis dicitur, quod apud Dioscoridem σχοῖνος, id est Iuncus odoratus appellatur, Cornelius Celsus Iuncum rotundum uocat, ut ab angulari differat, cyperò à Græcis appellato. Nascitur hic Iuncus in Lybia, nascitur in Arabia, nascitur & in parte eius quę Nabathęa dicta est, quiomnium maximè probatur. Eligito recentem, ut Dioscorides docet, ruf-
D fo ignis colore, copioso flore densum, & qui scissus purpuræ colore aliquo aspiciatur, gracilem, suauitate odoris, qualis in rosis sentitur cum manibus teritur, olentem, & feruidæ in lingua mordacitatis cuiusdam. Nostri Pharmacopolæ Venetias petentes, ferè in hoc Iunco decipiuntur, & festucas quasdam palustris Iunci pro Iunco odorato emunt. Vulgus Iuncum odoratum pastum Camelorum uocat, ut Ruellius indicat.

DESCRIPTIO.

Squinantum caulibus floribusq; est gracilibus, nascitur in quibusdam insulis in pratis ut Spica nardi, iucundũ præbens odorem.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat in primo ordine, durat decem annis.

VIRES AC IVVAMENTA.

Flores opitulantur sanguinem excreantibus, maximeq;, lumbis medetur.

Radix datur contra cutem subeuntes aquas & conuulsa cum pari piperis pondere.

Oleum Squinanti, medetur scabiosæ cuti illitum.

Herba ipsa conducit stomacho, & fluenti aluo, sumpta cum aqua mulsa.

Flores

A Flores eius ualde astringunt, unde fluctionibus sanguinis succurrit. Purgant quoq; caput, si inde lotum fuerit.

Schœnanthon non debet solum sumi, sed cum additamento & alijs radicibus uel speciebus conducentibus ad eum morbum, cui mederi uoluerimus.

Purgat frigidos humores cum Polypodio, & Colocynthide permistum.

Floris culmi & radicis usus est, ut inquit Dioscorides. Cit urinam luncus odoratus rotundus, menses ducit, inflationes soluit, capitis grauedines tamen facit, & leniter adstringit: frangit prçterea, maturat & aperit. Decocto radicis insidentibus muliebrium locorum fœminis apte inflammationes fouentur.

DE STAPHISAGRIA.

NOMENCLATVRAE.

Σταφὶς ἀγρία.

Staphisagria.
Herba Pedicularis.
Pedicularia.
B Purgatorium capitis.
Pituitaria.

Leußkraut.
Biß mintz.
Wolffwurtz.

ANNOTATIO IN STAPHISAGRIAM.

STAPHISAGRIA Romanis Herba Pedicularis & Pituitaria dicitur. Cornelius Celsus uuam Taminam appellat. Vocaruntq; eam Latini Pituitariam pedicularemq; ex uiribus quas habet: feruore enim suo commanducata multam pituitam trahit, & erumpentibus è corpore pediculis ex oleo inuncta aduersatur: facilis cognitu herba, tã certis notis à Dioscoride describitur. Hæc herba Syllæ Dictatori maximè fuisset utilis, quem Phthiriasi consumptum esse memoriæ proditum.

DESCRIPTIO.

Staphisagria folia habet labruscæ similia, caulem nigrum, semen instar ciceris, & triangulum, foris nigrum, intus candidum, acri odore, flore subcæsio.

C Calefacit atq; deſiccat in tertio ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Semen in ore retentum plurimam trahit ex capite pituitam, prodeſt ſumptum contra tumorem, & præcipuè contra hydropem.

Eius grana quindecim in aqua mulſa ſumpta, noxios humores uomitionibus purgabunt: ſpatientur tamen qui biberunt.

Electuarium ex Staphiſagria conducit ad morbum comitialem, tollit ſcabiem quæ lepræ ſpeciem repræſentat, mouet menſes mulierum. Hoc autem modo conficitur: Accipe Staphiſagriæ ſemilibram, & in aqua bene coquito, deinde ſemen ad pultis modū contundito, libraq; ſacchari admiſta, ſeminiſq; decocto illud tempera to. Hoc ad lepram propenſis medetur, conſumitq; malos humores.

Staphiſagria in aceto elixa, oreq; inde colluto dentium doloribus medetur, deſtillationes in gingiuas reprimit.

Grana eius trita, ut Dioſcorides inquit, contra pediculationes, pruritus & ſcabies ex oleo utiliter inunguntur, & facilius id præſtant admiſta ſandaracha. Medentur oris ulceribus admiſto *melle*.

Ipſa quoq; herba ſemen & radix uiridis contuſa uel ſiccata, in puluerem contrita, & cum oleo ad unguenti modum temperata, pellit & necat pediculos ac lendes.

Radix in aqua elixa uel in lixiuio idem præſtat, ſi inde laueris.

D

STICHAS.

NOMENCLATVRAE.

Στιχάς.

Stœchas.
Stichas.
Stichados citrinum.

Rein Blümen.
Motten Kraut.

ANNO.

A ANNOTATIO IN STOECHADA.

STOECHAS nascitur in Gallia è regione Massiliæ in insulis quæ Stœchades nominantur, undè & nomen inuenit, ut Dioscorides inquit. Hanc hodie uocant imperiti Sticados citrinum, nanq; frutex ostenditur surculosus, odoratus, ramulis exilibus, folio hyssopi, gustu amaro, semine minuto, capitulis luteolis ex concoloribus floscu lis compactis, quare citrinum uocarunt. Euritius Cordus putat eam herbam, quæ hodie Stœchas citrina dicta est, & ab Herbarijs uulgò Rein blümen & Motten kraut dicitur, esse amaranthum Galeni, Dioscoridis uerò Heliochrysos, & quòd isti Herbarij multum aberrent, qui eam cum Seriphio, id est marino absinthio falsò commiscent. Nec multum refert Stœchas uel Stichas quis legat, utroque enim modo scriptum inuenias: pluribus locis eam iam nasci, Antonius Musa scribit.

DESCRIPTIO.

Stœchas hirsutis est caulibus & foliis candidis & acutis, floribus citrinis & multis in caule. Gaudetq; solo harenoso, habetq; semen instar Abrotani.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat in tertio ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

B Stœchas manducata, noxia est stomacho, uentris lumbricos necat, foris adhibita magis operatur quàm semen lumbricorum.

Pecora quæ ex ea pascuntur, citò saginantur. In Massilia, ut Vergilius Marcellus scribit, Stœchas mulieribus in quotidiano usu est: si quidem incensæ Stichadis suffitu, à partu statim adhuc confirmant præteriti puerperij laxamenta, omnemq; corporis infirmitatem. Facit decoctum eius, inquit Dioscorides, quemadmodum & Hissopi, ad pectoris mala. Miscetur antidotis utiliter. Laxat præterea, extenuat, abstergit: & exta omnia, omnemq; corporis habitum confirmat.

Sequuntur nomenclaturæ Herbarum ac simplicium à Littera T. incipientium.

DE TAMARINDO.

NOMNCLATVRAE.

Ὀξυφοίνικον.
Tamar Indus. Oxyphœnicum. Dactyli Indici.

Ein saure Frucht in der Apotecken. Dactylen auß Indien.

ANNOTATIO IN TAMARINDVM.

C TAMARINDVM, ut Auerrois teſtatur, & eius uires ſoli Arabes nobis tradiderunt. Non inuenitur è ueteribus qui de hoc fructu quicquam memoriæ prodiderit. Ruellius ſcribit Tamarindum eſſe fructū ſylueſtris palmæ quæ Oxyphœnix ab Actuario dicitur, hæc fronde ſaligna uiret, pomo pruni, oſſe duro, nucleo intus exili, carne foris copioſa, colore è nigro in luteum langueſcente. Recentioribus huius fructus magni æſtimatur, quem à ſaporis acrimonia Oxyphœnicum nominarunt: plurimum in India naſcitur, unde ad nos frequens mittitur, hinc Tamar Indum ſua lingua, quaſi palmulam Indicam, negociatores nominant.

DESCRIPTIO.

Tamarindus naſcitur in Cæſaria, folia habet ſalici ſimilia.

Hic fructus eſt rotundus, intus multum medullæ continens ad Caſſiæ fiſtulæ ſimilitudinem. Ea medulla colorem obtinet croci, & mellis dulcedinem.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat & exiccat in ſecundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Tamarindi expellunt Choleram, & ſedant uomitionem, faciunt quoq; ad pruritum cūtis. Confortant cor, bonumq; creant ſan-
D guinem. Contra morbillos qui pueris ſunt periculoſi: decoque Tamarindos, Iuiubas, Dactylos æquali pondere cum iuſculo lentium, id decoctum bibitum ipſis opitulatur.

Oxyphœnicum, ut Actuarius ſcriptum reliquit, abſceſſu ſecundo refrigerat & humectat, flauæ bilis impetus nihil æque domat. Arquatis auxiliatur, ſitim reſtinguit, doloribus capitis remedio eſt, noxios humores qui in uentre coierunt deiicit, appetentiam inuitat, cibi faſtidium abigit: nauſeas & uomitiones, (ut eſt Oribaſius autor) ſedat: ſyderationem, inſaniam, ac furorem mulcet. Tertianis febribus cum Rheo & Caſſia nigra prorſus eliberat, ardentibus quoq; ac incandeſcentibus medetur, laterum inflammationibus cum Menta & Apio potum auxiliatur: dandi modus uncia.

DE TAMARISCO.

NOMENCLATVRAE.

Μυρίκη.

Tamariſcus. Myrice. Tamarix.

Poꝛſt. Tamariſchbaum. Bürtſchen. Bertſchen.

ANNO.

A

ANNOTATIO IN TAMARISCVM.

TAMARISCVS arbuscula est quæ Dioscoridi, & alijs Græcis Myrice dicitur, ut Verg. Marcellus, & Ruellius scribunt. A Columella Tamarix dicitur. Nascitur prope paludes & stagnantibus aquis: fructum fert quemadmodum & florem concretione sua muscosum, folia producit Sabinæ similia. Duo eius enumerant genera, Syluestrem omnino sterilem, fructiferam alteram quæ in Ægypto procerissimas æquat arbores, fructumq; producit instar gallæ, in quo semen gustu asperum, eiusdem effectus cuius galla. Sues, ut Columella scribit, dum dulcedinem pabuli consectantur, (est enim insatiabile pecus) supra modum æstate splenis incremento laborant: Cui succurritur, si fabricentur canales alueiue Tamaricis è trunco, repleanturq; aqua, & deinde sitientibus admoueantur, quippe ligni succus medicabilis, epotus intestinum compescit tumorem: falluntur qui Myricon interpretantur truticem illum quem Germani Heyden uocant, è cuius floribus apes Mel conficiunt, nam is frutex Erice à Dioscoride dicitur, ut Cordus & Antonius Musa testantur.

TEMPERAMENTVM.

Tamariscus est calidæ & siccæ naturæ. Ægineta inquit, Tamarix incidit extergitq;, ita ut manifeste non siccet, sed astrictionem

B quoq; nonnullam obtineat, Qua de causa decoctum ipsius potum, lienes adiuuat, item dentium doloribus, fructus autem & cortex ipsius gallę uirtute proximus est: cinis arboris uehementius exiccat.

Tamarix satiua syluestri figura similis est, fructum tantū habent dissimilem & discretum. Satiua habet rotundum fructum. Syluestris uerò oblongum, qui natura dissoluit indurationem iecoris atque lienis: fructus & radix ijsdem uiribus pollent.

VIRES AC IVVAMENTA.

Vinum in quo Tamariscus est decoctus, facit ad iecoris lienisq; oppilationem, maximè cit urinam, subuenit stranguriæ.

Folia in uino coquuntur: potumq; eorum decoctum lienis tumorem minuit.

Ex ligno Tamarisci formantur calices, ex quibus ualde salutare est bibere contra dolores & affectus, qui ex atra bile procreantur.

Ex radice eius si bibatur, tum tollit omnem immundiciam corporis tam intus quàm foris.

Ex hoc uino os si colluatur, sedat omnem dolorem dentium & gingiuarum.

Datur sanguinem reijcientibus cortex tritus, & contra profluuia fœminarum, cœliacis quoq;.

De Aqua

C

DE AQVA TAMARISCI.

Tempus distillationi eius conueniens est, ut cortex è ligno abrasus, & folia decerpta atq; concisa in medio Maij distillentur.

Aqua Tamarisci mane, meridie, & uesperi singulis uicibus tribus uncijs pota, prodest contra calculum renum & uesicæ, contra obstructionem & indurationem lienis.

Principalis aqua contra pustulas & affectus lienis, mundificat sanguinem.

Prædicto modo bibita, prodest contra grauia & horrenda somnia.

Prodest bibita contra paralysim, & omnes interiores affectus, medetur pulmonum uitijs, aperit oppilationem iecinoris, corroborat atq; confirmat lienem.

DE TANACETO.

D

NOMENCLATVRAE.

Tanacetum.
Athanasia.
Apium rusticum.
Artemisia domestica.

Reinfarn.
Wurmsamen.

A

ANNOTATIO IN TANACETVM.

TANACETVM herbam uulgarem, posteriores medici omnes Apium rusticum, Matricariam mediam, Artemisiam domesticam, & Herbam S. Mariæ appellant, ut Ottho Brunsfelsius autor est. Germanicæ Reynfarn/Wurmkraut/Bauren epff. Quidam contendunt eam apud Dioscoridem esse Athanasiam & Ambrosiam, quod Verg. Marcellus omnino refellit, Ruellius scribit Tanacetum esse tertiam speciem Artemisiæ.

DESCRIPTIO.

Tanacetum folia habet minuta, & semen ad fœniculi ferè figuram, caulem excelsum, in cuius summo multi lutei sunt flores, in quibus minutum & luteum semen est. Gaudet nasci in locis aldoribus, & mediterraneis, & in finibus pratorum.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat natura in primo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Herba ipsa atq; semen prosunt contra calculum, & præsertim medetur stillicidio urinæ.

Contra quascunq; febres, accipe succū Tanaceti cum aqua plantaginis pondere duarum drachmarum.

B Radix cocta cum oleo oliuarum, & paralyticis membris illita, opitulatur.

Eadem cū melle sumpta omnibus paralyticis membris prodest.

Quicunq; febre conflictatur, sumat hanc radicem cum oleo rosaceo, & se inde inungat.

Semen eius cum saccharo sumptum, grauidis mulierculis conducit.

Herba ipsa siccata & in puluerem contrita, & pondere unius semiunciæ in uino sumpta, locos muliebres expurgat.

Cum melle sumpta, facit ad uentris lumbricos.

In uino cocta medetur calculo lumborum & uesicæ.

Ita sumptum mulierum menses trahit.

Medetur febri quotidianæ, & quartanæ.

Semen ex floribus, infantibus cum uino uel lacte propinatum, pellit lumbricos.

Facit Tanacetum ad uesicæ dolorem, & stranguriam & calculum succo dato ex uino drach. ij.

Tritum cum oleo, neruorum dolorem, & tumorem pedum mirificè sanat, si ex eo illinantur.

Tosta cum axungia & aceto, coxarum dolori medicatur, ligata usq; ad tertium diem.

Vt infan-

C Vt infantem hilariorem facias, ſuffumiga Tanacetum, & omnes ſimul incurſiones malorum auertet.

DE AQVA TANACETI.

Tanaceto florente folia ex floribus decerpta & conciſa, in diebus canicularibus diſtillantur.

Aqua Tanaceti per ſpacium unius menſis, mane ac ueſperi ſingulis uicibus duabus aut tribus unciis pota, maximè prodeſt calculo.

Eadem cum uino ſumpta, ciet urinam, & calculum repellit.

Per quatuor dies mane ac ueſperi ſingulis uicibus ad iij. uncias pota, lumbricos expellit è corpore.

DE TAXO BARBATO.

D

NOMENCLATVRAE.

φλόμος.

Taxus Barbatus.
Verbaſcum.
Candelaria.
Candela regis.
Lanaria.

Künigs kertz.
Wul kraut.
Kertzen kraut.

ANNOTATIO IN TAXVM BARBATVM.

TAXVS Barbatus ab officinis uocatur, ea herba quam Dioſcorides, à Latinis Verbaſcum, & à Græcis Phlomos appellari ſcribit, à quibus & Lychnitis dicitur, quòd ad lucernarum uſum eſſe uideatur, unde & apud nos uulgò Candelaria uocatur. Quidam enim hac herba pice parumper illita pro lucerna utuntur nocturnis temporibus, Lanaria quoq; ab alijs dicitur, propter mollitiem tactus. Apuleius Verbaſcum pro Enula Campana poſuiſſe uidetur, nam & folijs & floribus Enula Campana cum Taxo Barbato, magnam habet ſimilitudinem. Radix autem Enulæ Campanæ acrior magiſq; efficax ad uaria incommoda pellenda. Duo autem genera ſunt Verbaſci. Alterum folio candido, alterum nigro. Candidum rurſus in marem & fœminam digeritur: fœ-

A ritur: fœminæ folia brassicæ, multo hirsutiora, latiora & candida, caulis eius cubitalis & amplior, candidus ac leniter pilosus, flore albo & subpallido, semen nigrum, radix longa, acerba, crassitudine digitali, nascitur in campestribus, mari folia candicant, sed longiuscula sunt, & angustiora quàm fœminæ, caulis quoq; tenuior.

DESCRIPTIO.

Taxus Barbatus est herba procera ad lanei panni modum tactu mollis & hirsuta, caule excelso & quadrato, in summitate floribus luteis, semine duro. Radix intra terram est lignosa.

TEMPERAMENTVM.

Hæc herba frigidæ & siccæ est naturæ. Ægineta inquit, Verba sci genera plura sunt, cæterum folia omnium siccantem, & mediocriter adstrictoriam uim referunt, præcipuè eius quod aurei coloris est, & acerbum, fluidis conferunt affectibus.

VIRES AC IVVAMENTA.

Vtilis est hæc herba, ut alijs herbis & oleribus additis coquatur cum carnibus: tali modo comesta, omnes cordis ægritudines tollit.

Contra raucedinem gutturis, & contra pectus oppletum crassis humoribus, Accipe Taxi barbati, fœniculi, & dulcis radicis singulorum æquale pondus, eaq; in aqua seu uino decocta, linteolo percola, saccharumq; admisce, hoc bibitum remedium præstat.

Hæc herba contusa, & in puluerem cremata, ac uulneribus insperſa, erodit gangrænam.

Natura eisdem uiribus pollet, quibus Aristolochia longa, & præsertim puluis illius.

Succus eius tribus uicibus, semper una hora ante accessionem, potui datus, febrem pellit quartanam.

Idem cum pyrethro permistus, oreq; inde colluto, prodest contra dolorem dentium.

Folia eius cum aceto temperata, & ambustis imposita, curant.

Flores Verbasci cum plantaginis semine uel herba cocti, curant fluxum hemorrhoidum, si imponantur.

Herba atq; radix in aqua decocta & imposita, sedant tumorem.

Cum uino & melle elixa, & ulceribus alijsq; malis imposita, ea curat.

In aqua elixa imponitur contra ictum Scorpionis.

Verbascum priuatim medetur tonsillis.

Ad lateris & pectoris dolores ex aqua cum ruta bibitur. Panos sanat cum sua radice tusum, uino aspersum, & ita cinere calfactum, ut imponatur calidum.

Omnibus pectoris uitijs, tussi, & purulenta excreantibus tribus obulis bibitur Verbascum, cui flos aureus.

C Tanta uis huic eſt, ut iumentis non tuſſientibus modo, ſed ília tra hentibus auxilietur potu.

Semen ex uino decoctum & contritum, luxatis medetur, tumorem & dolorem tollens.

Radicis medulla collyrĩj tenuitate in fiſtulam additur. Folia ex aceto imponuntur in ſtruma.

Semine ac foliis in uino decoctis ac tritis omnia corpori infixa extrahuntur. Capillum tingit cui flos aureus: & quocunq; abĩjciatur, blattas in ſe contrahit. Aiunt in foliis eius quam fœminam diximus aridas ficus omnino non putreſcere.

DE AQVA TAXI BARBATI.

Folia unà cum floribus plene maturis à caule decerpta conuenienti deſtillationi adaptantur.

Aqua Taxi barbati precioſiſſima eſt aqua contra quoſuis tumores tam interiores quàm exteriores, mane ac ueſperi ſingulis uicibus ad iĩj. aut iiĩj. uncias pota, uel duplicatum linteolum in ea intinctum, ſi imponatur.

Tali modo ſumpta facit ad pulmonẽ ad guttur aſcendentem, & creſcentem. Ita quoq; conducit contra calidam podagram, in potu ſumpta, contra quam nullum melius eſt remedium.

D Prodeſt contra quoſcunq; affectus ex fluxus prodeuntes, per diem & noctem ter, & ſingulis uicibus ad iĩj. uncias pota. Eodem modo ſumpta, facit ad tormina inteſtinorum.

Conducit eadem ad faciem, quæ uidetur quaſi lepra ſit infecta, ſi molle linteolum in ea madefactum ſuperimponatur: ſi ſæpius hoc feceris, iuuabit.

Medetur ambuſtis, ſi quàm primum duplicatum linteolum in ea intinctum & ſuperimpoſitum: hoc iterum atq; iterum factum, ardorem educit abſq; noxa.

Prodeſt ad prurientem ſcabiem, ſiue humida fuerit ſiue ſicca, linteolis in ea madefactis, & mane, meridie atq; ueſperi impoſitis, prodeſt quoq; etiamſi hery ſipelas acceſſerit, molli linteolo in ea macerato, & malo huic impoſito.

Opitulatur quoq; ſi quis diu lippientes oculos habuerit, guttula una uel duabus oculis inſtillata per duas aut tres hebdomadas.

DE TEREBINTHINA.

NOMENCLATVRAE.

Τερμίνθος. Τερμινθίνη ῥητίνη.

Terebinthus. Terebinthina reſina.

Terpentin.

ANNO

A

ANNOTATIO IN TEREBINTHINAM.

TEREBINTHINA est resina quæ ex Terebintho arbore destillat, quæ ex petræa quidem Arabia affertur, ut Dioscorides indicat. Nascitur tamen & in Iudæa, Syria, Cypro & Cycladibus insulis: quæ una bonitate alias uincit, magis translucida, candida, colore ad uitreum & cyaneum inclinato, odore Terebinthi. Antecedit autem omnes alias resinas Terebinthina, ut idem Dioscor. testatur.

TEMPERAMENTVM.

Terebinthina natura calefacit atq; desiccat. Resinæ omnes, ut Ægineta docet, calefaciunt & desiccant, uerum Terebinthina principatum obtinet, discutientis naturæ, emollientis, tenuis & absterssoriæ, atq; scabiem corrigit. Natura Terebinthinæ in medendo contrahere uulnera, purgare, discutere collectiones, item pectoris uitia.

VIRES AC IVVAMENTA.

Terebinthina usurpata prodest contra malignam tussim, & præsertim contra Tabem. Prius autem cum melle & saccharo ad Ecle gmatis modum confici debet, & foris pectori emplastri modo imponi.

B Eadem cum melle temperata, & malignis nigrisq; pustulis impo sita, dolorem inde repellit, & citò eas emollit.

Omnibus emplastris quæ parantur ad calefaciendum corpus, potest Terebinthina admisceri, ita præbet unguentis temperaturam quandam, & corpori tanto magis conducit.

Terebinthina ignitis carbonibus imposita, facit ad Tenesmum, si suffitus inde excipiatur.

Idem suffitus mulieribus prodest ad uuluæ procidentiam, si ab inferiore parte excipiatur: à superiore parte naribus si excipiatur, facit ad uuluæ præcipitationem.

Vrinam exigit Terebinthina, ut Dioscorides docet, cruda concoquit, uentrem emollit, palpebrarum pilos incõmodos replicat, lepris illinitur cum nitro, ærugine, atramento sutorio. Vtilissima auribus sanios is cum oleo atq; melle, item pruritui genitalium: laterum dolores finit per se inuncta & imposita.

DE TERENIABIN.

NOMENCLATVRAE.

Tereniabin. Melroris. Manna.

Honigtaw.

ANNOTATIO IN TERENIABIN.

C TERENIABIN Arabes describunt esse rorem de cœlo cadentem, qui supra lapides & supra terram coagulatur, & granuloso melli imilis efficitur. A Latinis Mel roris seu roscidum mel dicitur. Est autem illud quod à Barbaris manna dicitur. Venit hoc ex aëre, Vergiliarum exortu, ut Plinius in mellis titulo docet, uel sydere Syrio splendente, sublucanis temporibus, siue illic sit cœli sudor, siue siderum saliua, siue purgantis se aëris succus, siue aquæ sit liquor, siue naturæ, quum prima aurora locis quibus prouenire solet, folia arborum herbarumq; melle roscida inueniuntur, & si qui matutino sub diuo fuere, unctas hoc liquore uestes, capillumq; concretum sentiunt. Hoc tanquam ros è cœlo cadens, dum uenit, obuio terræ halitu concrescens, in mellitos grumos coit, qui herbis, arboribus & lapidibus interdum inuenitur hærere. Mel syluestre etiam à Suida dicitur.

DESCRIPTIO.

Tereniabin ros est è cœlo decidens, & granoso melli similis.

TEMPERAMENTVM.

Habet uirtutem emolliendi, & pectori humiditatem præbendi, & præsertim conducit illis, qui abundant malo, & minus naturali calore.

VIRES AC IVVAMENTA.

D Tereniabin quod albicans & recens est, bonitate antecellit.

Tollit tumorem ex ardentibus febribus exortum, sumptũ cum succo fœniculi.

Ita quoq; sumptum sedat tussim.

Cum paruis uuis passis sumptum sedat sitim, calorem febrilem cum aqua Endiuiæ sumptum tollit.

Huic Mannæ, ut Ruellius indicat, recentiores medici eandem quam cassiæ nigræ uim tribuunt: sed maiori modo sumi debet, si aluum ciere placet, namq; flauam bilem simplici ratione pellit.

DE THAPSIA.

NOMENCLATVRA.

Θάψια.
Thapsia.
Ferulago.
Wilder Turbit.

ANNOTATIO IN THAPSIAM.

THAPSIAM alij Hypopion, Romani Ferulaginem, aliqui Ferulam syluestrem uocant, ut Dioscor. inquit, Dicitur autem Thapsia,

A Thapſia, quoniam in Thapſo inſula una ex Sporadibus potiſſimum prouenit. In totum porrò natura ferulæ Thapſia eſt, caule tamen graciliore, fœniculi foliȷs, in cacumine ſingulis ramulis umbellas anetho ſimiles ferens, & ſuper eas luteos flores, ſemen latiuſculum quale in ferula, duntaxat exilius, radice magna, interius candida, nigro cortice. Nulli fruticum leuitas maior eſt, ob id geſtata facilius baculorum uſum ſenectuti præbet. Tria ex hac colligenda ſunt, liquor qui per abſciſionem corticis emanat, ſuccus qui ex contuſa radice exprimitur, & in picato craſſo fictili in ſole ſiccatur. Radix quoq; ſeparatim eſt colligenda. Rationem colligendi ſucci & liquoris docuit Dioſcorides. Nero Cæſar claritatem ei dedit, nocturnis graſſationibus conuerberatam faciem illinens cum thure ceraq;, ſequenti die contra famam, cutem ſynceram circumferens. Thapſia uulgò uocatur Sylueſtre Turbit.

DESCRIPTIO.

Thapſia planta eſt folia fœniculi ſimilia habens, in ſummitate ramulorum umbellam habens inſtar Anethi, flores albos, ſemen latum ad leuiſtici ſimilitudinem.

Radix intus candida, & foris nigra atq; craſſa, cortice ueſtita, & acris.

TEMPERAMENTVM.

B Hæc nimium calefacit, parumq; humiditatis in ſe continet.

Thapſia, ut Ægineta inquit, acris eſt, & ualenter cū humiditate calefacit: ex alto igitur trahit inſigniter, attractumq; eadē diſcutit.

VIRES AC IVVAMENTA.

Purgandi uim habet radicis cortex, ſuccus & liquor, in quem uſum bibitur cum mulſa aqua, purgatq; tali modo bilem per ſuperiora & inferiora. Huius radicis pondus ultra tres obulos ſumi non debet: quicunq; plus ſumpſerit, ei mortem inferret.

VNGVENTVM CONTRA LEPRAM.

Accipe Thapſiæ, albi & nigri Ellebori, Sinapis, nigellæ, pyrethri, ſingulorum drachmam, Euphorbij, Scammonij, Sandaracæ ſingulorum xiij, granorum hordei pondus. Coſti, Colocynthides, Rutæ, Mandragoræ, Staphiſagriæ, Salis nitri, ſingulorum ſcrupulum ſemis, hæc omnia in puluerem radacta, & cum aceto temperata, quancunq; lepram repellunt è corpore, cute inde lota.

Hæc herba cum paralyſi herba in uino elixa, & podagræ impoſita, ſedat dolorem.

Succus Thapſiæ contra defluuia capilli, utiliter inungitur, explet enim capillos.

DE TILIA.

NOMENCLATVRAE.

φιλυρέα.

Tilia.

Lindenbaum.

ANNOTATIO IN TILIAM.

TILIA à Græcis φιλυρέα dicitur, arbor est folio hederaceo, molliore, & in angulum acutiorem rotundiore & prolixiore, & in orbem lente crispo atq; ferrato, flore tantisper dum calyculo continetur herbaceo: ubi emersit flauo: fructus magnitudine fabæ, similis acinis hederæ, in quo semen prætenue, quantum atriplicis, omnibus animalibus ingratum, cum foliorum pabulo maximè ducantur. Duo Tiliæ genera Theophrastus, maris & fœminæ appellatione distinxit. Materies mari senticosa, dura, nodosa, ruffior, & odoratior: cortex crassior, ac detractus statim inflexibilis, sine semine, sine flore. Crassior fœminæ arbor & materies candida est, atq; præcellens. Mirumq; in hac arbore, fructum à nullo animalium attingi, foliorum corticisq; succum dulcem esse, inter corticem & lignum tenues tunicas multiplici membrana, è quibus uincula Tiliæ uocantur, tenuissimum earum philyræ, coronarum lemniscis celebres, antiquorumq; honore. Montes & ualles diligit Tilia, sed plus montibus gaudet aquosis.

D

VIRES AC IVVAMENTA.

Tiliæ arboris folia, ut Ægineta inquit, syluestri oleæ similiter astringunt, quibus commanducatis, oris ulcera iuuantur, eorumq; decocto colluuntur: quod etiam potũ & urinam & menses trahit.

Multi corticem commanducatum uulneribus putant utilissimum: folia trita aspersa pedum tumori.

Humor è medulla castratæ arboris effluens capillum reddit capiti illitus, defluentemq; continet.

DE AQVA EX FLORIBVS TILIARVM distillata.

Hæc aqua quascunque maculas faciei abstergit, si inde lauetur facies,

A facies, ut autor est Hienonymus Herbarius. Facit ad tremorem cordis in potu sumpta.

Medetur morbo comitiali, mane & uesperi duabus unciis bibita.

Prodest ad Iliacam tali modo sumpta.

Vesperi oculis indita, inducit eis claritatem.

Tribus unciis, mane ac uesperi pota, medetur calculo;

Eodem modo bibita conducit ad tumores, & quoscunq; malos humores ex corpore educit.

DE TITHYMALO.

B

NOMENCLATVRAE.

τιθύμαλον.

Tithymalum.
Tithymalus.

Spinckwurtz.
Spinckkörner.

ANNOTATIO IN TITHYMALVM.

TITHYMALVM & Tithymalus penultima producta, Meconion à quibusdam uocatur: nostri lactucam appellant caprinam marinamq;: aliqui lactariam, quia & Græci galactida nuncupare soleant, ut Hermolaus Barbarus testatur, lacte Tithymali inscripto corpore cum inaruerit, si cinis inspergatur, narrant apparere literas, & ita quidam adulteras alloqui maluere, quàm codicillis, Vsus iam & in castra & obsessas urbes transijt. Tithymali genera numero septem apud Dioscor. sunt, Primus mas est, Characiasq; quasi uallaris dicitur, Secundus fœmina, aut à myrti foliorum figura myrtites uocat.

C Tertius paralius, id est maritimus dicitur. Quartus helioscopos, id est solisequus. Quintus à Cupressi similitudine cypariſſias. Sextus à ramorum copia, & quòd ferè arboreſcit, denroides. Septimus à latitudine foliorum platyphyllos, id est latifolius dicitur.

DESCRIPTIO.

Tithymalus crescit in altitudinem radice crassa atq; aspera. In cacumine herbæ noduli ad rutæ formam pendent, & aliquanto maiores, in quibus semen est.

TEMPERAMENTVM.

Natura & uis ei est, quam omnes herbæ lactariæ possident, calefacere scilicet & deiccare in quarto gradu, qua facultate plus alijs pollet, Expellit fortiter superfluum Phlegma atq; Choleram.

Tithymali omnes è quarto calefacientium ordine sunt, acrimoniæ & ualidæ amaritudinis participes, ut Ægineta tradit.

VIRES AC IVVAMENTA.

Semen quod in nodulis istis continetur, fortiter euacuat tam per superiora quàm inferiora, similiter & lacteus eius liquor.

D Folijs in cacumine defractis lacteus liquor in uitreum uasculum inde excipitur, qui tantam uim habet, ut integram cutem possit erodere, & ita inflammare, ut aqua Solani alijsq; aquis refrigerantibus oporteat inflammationem sedare. Hic lacteus liquor durat duobus annis, quo non uti licet nisi Gummi Arabico aut Draganto admisto.

Esula atq; Laureola eadem cum Tithymalo uires possident.

Radix Tithymali aceto incocta, dentium eroforum dolores finit, ore inde colluto, pustulasq; oris sanat.

Lacteus liquor ex Tithymalo uehementiori est uirtute, citoque sanat cauos dentium, eroditq; gangrænam ex uulneribus.

Idem cum oleo mixtus depilat capillum, locumq; glabrum reddit, myrinecias, & uerrucas tollit, quæ ex superfluo Phlegmate exoriuntur.

Tollit quoq; minutas acutasq; pustulas glandulasq; inflammatas quæ intra cutem latentia, interdum suppurare incipiunt, interdum que euanescunt, si ex eo inungantur: pellit quoq; malam scabiem, hic liquor cum oleo illitus.

Discutit nigras malignasq; pustulas, quæ Carbunculo similes sunt.

Fistulas

A Fistulas idem funditus curat, instrumento si inspergatur, prædictos morbos sanant omnes lactariæ herbæ, & præsertim lacteus inde liquor, præterea tithymalus eas uiribus antecellit. Folia atq; fructus Tithymali uiribus nõ adeo pollent, ut lacteus liquor, & precipuè ad euacuandum.

Folia, radix atq; fructus in piscinam si conñciantur, quicunq; pisces inde edunt, statim exanimati fluitaut, ita ut manibus prehendi possint, nullamq; noxam pisces inde accipiunt.

Potio si fiat ex Tithymalo & radice minoris Esulæ, paruisq; uuis passis, ñsq; simul in aqua in parum aceti admistum sit decoctis & saccharo edulcatis, medetur febri quotidianæ, & torminibus intestinorum. Tali modo medetur paralysi membrorum.

DE AQVA TITHYMALI.

A ieiuno duabus uncijs mane pota, quoscunq; lumbricos è stomacho pellit.

Semen eius contusum & per quatuor dies in aceto maceratum, deinde in Balneo Mariæ distillatur.

Ea aqua si mane ac uesperi membra illinantur & fricentur, medetur paralysi.

De hac aqua suprà in Cataputia plura scripta sunt.

B

DE TORMENTILLA.

NOMENCLATVRAE.

Ἐπτάφυλλον.

Tormentilla,
Bistorta,

Tormentill.
Rotwurtz.
Blütwurtz.

ANNOTATIO IN TORMENTILLAM.

C TORMENTILLA est uulgaris & precioſa herba ad uarios affectus ſalutaris. Hanc Græci Heptaphyllon, id eſt Septifoliam dicunt. De hac herba etiã oritur diſceptatio. Nam recentiores medici, ut clariſſimus uir Ioannes Manardus, alijq; plures, putant Tormentillam eſſe uerã Pentaphyllon, nihilq; referre quòd ſeptem habeat folia, quum tamen in alijs regionibus, utputa in Pannonia inueniatur quinq; folijs. Sunt è contrario nonnulli qui eam cenſent eſſe genus Conſolidæ, uocantq; eam Conſolidam rubeam, propterea quòd rubeam habet radicem: utcunque tamen ſit, uidentur omnes effectus à Dioſcor. attributi Pentaphyllo, conuenire cum illis quæ neotherici Tormentillæ tribuunt. Officinæ etiam Biſtortam eam appellant.

DESCRIPTIO.

Tormentilla quinquefolio eſt ſimilis, niſi quòd ſeptem habet folia, unde & Heptaphyllon dicitur: floribus eſt luteis, cuius radix eſt rubea & tortuoſa, ſimilis Galangæ.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat & exiccat in tertio gradu. Eſt illi mira in adſtringendo facultas, omniſq; ueneni magiſtra.

VIRES AC IVVAMENTA.

D Virtutem habet confortandi conceptum in fœminis, ſi ex ea prius in uino decocta, biberint.

Contra diſſuriam datur mane & ueſperi cum ſucco plantaginis.

Radix in aqua pluuiali cocta ſi fuerit, & uapor inde ab inferiore parte excipiatur, deinde puluis eius cum melle permiſtus, & emplaſtri modo uentri mulieris impoſitus, adiuuat conceptum.

Contra dyſenteriam & quemuis fluxum alui, puluerem radicis in uino rubro bibe, & præſentaneum erit remedium.

Eadem radix in puluerem contrita, & in uino ſumpta, prodeſt contra omne uenenum.

Contra febrem Tertianam ex hac radice & herba bibe.

Succus permiſtus cum oleo Chamomillino & inunctus, mitigat dolorem articulorum.

Aqua Tormentillæ cum Tutia in puluerem contrita permiſta, lippientibus oculis medetur, tutia tamen prius in aqua roſacea ablu ta erit.

Tormentilla in puluerem redacta, & cum aqua Acetoſæ bibita, medetur peſti.

Potio contra peſtem. Accipe drachmam pulueris Tormentillæ, Theriacæ ſemidrachmam, & cum aqua Acetoſæ commiſce, eique qui peſte correptus eſt potui dato, Licebit quoq; drachmam Bolarmeniad-

A armeni addere, quo fiat remedium tanto fortius ad præseruandum cor à ueneno.

Omnia interiora membra ex hac radice confortantur atq; corroborantur, si quis ex ea bibat, uel uinum ex aqua eius misceat.

Nullaq; herba præstantior ad restringendum sanguinem ex naribus uel uulneribus fluentem, ad dysenteriam nimiumq; fluxum menstruorum cohibendum, si puluis in uino sumatur, & superliget.

Cum albumine oui puluis mistus, & in tegula coctus uomitum Cholericum refrænat, si talis pastillus contusus pondere unius drachmæ in aqua Balsami potu detur.

Radix atq; ipsa herba in uino decocta, pellunt omne uenenum, similiter & pestem, expellunt autẽ per sudorem, si illud decoctum calidum in potu sumatur.

Ipsa etiam radix cum herba per noctem in uino macerata, & deinde in Balneo Mariæ destillata, precios am & probatam præstat aquam contra prædictos morbos.

Si quem frigus inuaserit, & ignoraret quodnam genus morbi inde esset oriturum, accipiat drachmã pulueris Tormentillæ, cum drachma Theriacæ permisti, & in prædicta aqua Tormentillæ sumpta, se in lectum componat, usq; dum sudare incipiat, talis homo ab omni uenenoso morbo, siue sit sudor Anglicus, siue febris, siue pestis, liberatur diuina ope, & hoc sæpius ueraciter experientia est compertum, ut Hieronymus Bock docet.

B

Tormentilla etiam herba est uulneraria, & omnibus potionibus uulnerarijs accommodata, nam mundificat atq; sanat omnia putrida uulnera atq; ulcera in uino, uel aqua decocta, si inde lauentur.

Herba atq; radix simul contusa & imposita, dissoluunt & repellunt quæuis tubera & parotidas, discutiunt strumas, sedant dolorem coxendicis, sanant quamuis manantem scabiem, & marisc as, & id genus alios affectus, præsertim si in aceto decocta imponant.

DE AQVA TORMENTILLAE.

Herba ipsa cum tota substantia concisa atque contusa à xv. die Augusti usq; ad viij. diem Septembris distillatur.

Aqua Tormentillę mane pondere iij. unciarum à ieiuno sumpta, prodest contra omne uenenum.

Contra pestem & insalubrem aërem est bonum preseruatiuum, Pestis autem quando inuasit aliquem, statim uena incidenda est, ut decet, deinde hæc potio propinanda, hoc modo præparata: Accipe aquæ Tormentillæ iij. uncias, Theriacę Venetę drachmam, aceti sesqui unciam, quę simul permista, ei tepida exhibeto, & in lectum collocato, eumq; sudare finito, ac manus pedesq; cum aceto, ruta, absinthio, atq; sale confricato, postero die eam potionem iterum ei propinato, tum reualescet,

Eadem

c Eadem aqua mane ac uesperi singulis uicibus ad tres uncias bibita, facit ad omnia ulcera in homine, sistit omnem alui fluxum, & præsertim dysenteriam.

Supradicto modo sumpta, refocillat corpus, confortat cerebrũ, cor, stomachum, iecur, lienem, totumq; thoracem, si interdum uinum ex ea misceatur.

Medetur omnibus febribus eodem modo bibita, corroborat atq; confortat ex diuturna ęgritudine reualescentes.

Conducit uulneribus bibita, atq; si ex ea lauentur, facit quoq; ad omnes affectus oculorum, singulis noctibus eis instillata, clarificat enim uisum.

Sanat fistulas & Cancrum, si sępius inde lauentur, & linteolis si imponatur.

DE TRIFOLIO.

D

NOMENCLATVRAE.

Τρίφυλλον.

Trifolium.

Klee.
Triblat.
Fleysch blům.
Heymischer klee.

ANNOTATIO IN TRIFOLIVM.

TRIFOLIVM nomen suum apud Grecos & Latinos obtinuit à tribus foliis. Herba optima in prato trifolij est, ut Hermolaus inquit,

A inquit, præſagia tempeſtatum habet: inhorreſcit enim & ſubrigi-
tur contra eas. Sophocles Poëta uenenatum id exiſtimat. Serpentes
in trifolio nunquam ſpectantur. Brunsfelſius alijq; autores ultra
ſeptem genera trifoliorum enumerant, quæ omnia eiuſmodi ſunt,
ut uel intuendo, uel palpando, hoc nomen Trifoliũ meritõ ſibi uen-
dicent. Iuxta Vergilij Marcelli opinionem, duo ſunt Trifolij gene-
ra. Commune, & pratenſe, hoc omnibus notum, & acutioris folij:
alterum quod Græci Oxytriphyllon dixerunt, & hoc menianthos
& aſphaltion uocari: factamq; illi primam appellationem, quòd flo
re ſuo ſe indicet, id enim ea uox ſignificat. Secundam uerò cum iam
ab integra ætate dilabi cœperit, & bituminis odorem contraxerit,
inueniſſe. Communis & pratenſis Trifolij apud Dioſcoridem tan-
tum fit mentio, ſub loto ſylueſtri, ſed non deſcribitur ab eo, propte
rea fortaſſis quòd admodum uulgaris & omnibus nota ſit herba.

TEMPERAMENTVM.

Trifolium calefacit in primo gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

In aqua decoctum & bibitum, facit ad frigidum ſtomachum, &
ad inteſtinorum tormina.

Decoctum illud morſui alicuius uenenati animalis linteolo im-
poſitum, tollit inde dolorem. Sylueſtre Trifolium creſcit in alti-
B tudinem, uirgis multis, ſemen minus habens quàm commune &
pratenſe. Illud ſemen multo calidius atq; efficacius eſt ipſa herba.
Contuſum enim & inſperſum exulcerato membro uirili, optimè
auxiliatur. Hoc ſemen elixum & bibitum in principio hydropis,
ſtatim auxilium præſtat. Coctum hoc ſemen uaporeq; ab inferio-
re parte excepto, auxiliatur uuluæ obſtructæ, eamq; expurgat. Pra
tenſis Trifolij ſemen & folia in aqua decocta, opitulantur ad apo-
ſtemata mammillarũ, dyſenteriam, & aquam intercutem. Quicun-
que tertiana febre laborant, bibant ex ſemine & herba in uino de-
cocta, hęc auxilium præſtant.

Flores Trifolij in uino cocti atq; bibiti, alba menſtrua tollunt,
calefaciuntq; ſtomachum. Omne Trifolium pratenſe in medici-
na habet uirtutem emolliendi tam intus quàm foris, & flores matu-
ri cum ſemine magis probantur, ut Hieronymus Bock autor eſt.

Flores Trifolij cum ſemine in aqua mulſa, uel uino decocti, ac in
potu ſumpti, uel enemate per Clyſteram infuſi, emolliunt in inteſti-
nis glutinoſos & induratos humores, curant exulcerationem &
dolorem eorundem. Flores ijdem cum ſemine in aqua & oleo co-
cti & applicati, maturant duras glandulas atq; dura ulcera, habet
ferè eaſdem uires quas ſemen fœnogræci, uerum non adeo eſt in uſu
medicinæ. Contra paralyſim & ſpaſmum in ſpina dorſi, accipe

C florum Trifolij,& herbæ paralysis,singulorum Manipulum,ijsque in uino decoctis,spinam inde frica.

DE AQVA TRIFOLII.

Folia & flores in medio Maij distillationi adaptantur.

Aqua Trifolij mane ac uesperi singulis uicibus ad iij. uncias pota, medetur imbecillo stomacho,oris fœtorem emendat, sedat alba fœminarum menstrua.

DE TRIFOLIO ACVTO.

NOMNCLATVRAE.

Ὀξυτριφύλλον.

Trifolium acutum.

Scharpff Klee.

ANNOTATIO IN TRIFOLIVM ACVTVM.

TRIFOLIVM acutum,nascitur in Sicilia plurimum,ut Scribonius Largus indicat. Est autem foliis in specie & numero similis communi Trifolio, nisi quòd huius pleniora sunt, & quasi lanuginem quandam super se habent, & in extrema parte uelut aculeum eminentem. Sed huius frutex duorum pedum interdum,aut etiam amplior conspicitur,& odorem grauem emittit, quorum nihil circa pratense Trifolium inuenitur.

DESCRIPTIO.

Trifolium hoc foliis est acutis,floribus purpureis,in pratis etiam nascens.

TEMPERAMENTVM.

Est natura calidum & siccum in primo gradu, & ad multa conducens,& præsertim semen.

VIRES

VIRES AC IVVAMENTA.

A Qui nullam habet ciborum appetentiam, hoc semen in uino decoctum, per tres ex ordine dies uesperi bibat, deinde drachmam Gingiberis contusi cum aceto bibat, etiam tribus uespertinis temporibus, & calide se uestimentis & stragulis operiat, usq; dum sudare incipiat, quicquid mali intra stomachum est, per sudorem expellitur.

DE TRIBVLO MARINO.

NOMENCLATVRAE.

Tribulus marinus. Meer Distelen.

ANNOTATIO IN TRIBVLVM.

TRIBVLVS marinus, ut Iacobus de Manlijs indicat, est qui fert quendam fructum ad similitudinem Castaneæ: & propter id multi uocant ipsum Castaneolum, Alij uocant Cicer imperiale. Hermolaus Barbarus & Ruellius, de hoc Tribulo ad hunc modum scribunt. Hippocrates genus Tribuli maritimū uocauit, idem cum terrestri, quod minus est aquatico, quod in fluminibus & stagnis nascitur, cuius nuces rura nostra castaneas aquatiles uocant. Siquidem cubitorum quinum & amplius in uado consurgit, ulneo super aquas extante folio, longo pediculo, capitulis sub aqua mersis, caule
B per summa crassiori, inferne graciliori, qui capillamentis quibusdam spicaceis fruticat, semine atro, duro, nucis ferè magnitudine, retusis aculeis aliquot cincto, cuius nucleo accolæ non secus atque castaneis uescantur, ex quo etiam in farinam molito per inopiam annonæ fiant panes.

DESCRIPTIO.

Tribuli marini sumuntur ad unguentum Agrippæ, quod in Phamacopolijs extat, præterea etiam ad multa alia unguenta.

TEMPERAMENTVM.

Calefaciunt & exiccant in secundo ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Succus illorum maximè medetur hydropicis, uentre ex eo illito, præterea etiam alijs tumoribus ex frigore exortis, si inde inungant.

Hos Tribulos intrò sumere non conuenit, sed foris adhibiti salubres sunt.

DE TVRBIT.

NOMENCLATVRAE.

Turbit. Ein weiße Wurtzel in der Apotecken.

C

ANNOTATIO IN TVRBIT.

TVRBIT quidnam reuera apud Arabes & Pharmacopolas sit, nemo adhuc etiam ex doctissimis medicorum satis clare demonstrauit, nisi ex quadam suspitione. Actuarius inter Græcos autor grauissimus inquit Turbith à Barbaris uocatum esse radicem plantæ quæ à Græcis pityusa uocatur, & apud Dioscoridem inter lactarias herbas adnumeratur. Illud autem, ut Antonius Musa testatur, est Turbith Mesue, nam Serapionis & Auicennæ Turbith est Tripolium Dioscoridis. Apud hos duos autores Turbit æquiuoce ponitur, apud alterum de planta habente lac, & folia ferulæ similia: apud alterũ de planta carente lacte, & folium Isatidi simile gerenti. Tot difficultates & quidem inexplicabiles occurrunt medicis lunioribus, Arabum autorum doctrinam sequentibus: ob eorundem autorum non modo à Græcis, sed etiam à seipsis discordantiam, Manardus scribit, se à fide dignis audiuisse illud Turbith quod in officinis nunc passim uenditur, ex planta accipi, quæ folio myrti constat. Consultum igitur esset ab usu Turbith prorsus abstinere, quãm ita temere medicinam incognitam usurpare.

DESCRIPTIO.

Turbith est radix folia habens ad nasturtĩ formam, caulem ob-
D longum, floremq; quater quotidie mutato colore uidetur: mane enim albet, meridie purpurescit, uespere puniceo fit colore.

Radix huius herbæ in medicinæ usu est.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & desiccat in tertio ordine. Lacteum liquorem præbet hæc herba, ut Esula & Tithymalus. Radix Turbith quo recentior fuerit, tanto magis efficax est, inueterata enim temperata est natura. In medicina non debet usurpari, nisi prius correcta fuerit hoc modo.

VIRES AC IVVAMENTA.

Corticem radicis deradito usque dum albescat, deinde radicem confice cum puro oleo amygdalino, permisceri autem debet antequis ea utatur, cum Gingibere.

Ita sumpta pellit crassos humores, eosq; leniter per aluum euacuat. Turbit purgat stomachum, thoracemq; mundificat. Quicunq; singulis hebdomadibus unam harum radicum sumpserit, non euadet leprosus, Quisquis uerò ea utitur, à piscibus & carne suilla abstinebit. Turbith cum modico sacchari & Gingiberis sumptum, subuenit torminibus intestinorum, podagræ, & Chiragræ.

In puluerem redactum & melle temperatum, gangrænam in uulneribus consumit.

Sequuntur

A Sequuntur nomenclaturæ Herbarum à Litera V. incipientium.

DE VALERIANA.

NOMENCLATVRAE.

φοῦ.
Ἀγχίκ νάρδ⊙.

Valeriana.
Herba Benedicta.
Phu.
Amantilla.
Nardus agrestis.

B Baldrian.
Dennen marck.
Katzen wurtzel.
Wilder Nardus.

ANNOTATIO IN VALERIANAM.

VALERIANAM maior pars recentiorum medicorum Phu Dioscoridis esse interpretatur, nonnulli adhuc de ea ambigunt, propterea quòd Valeriana multo minor est quàm à Dioscoride suum Phu describitur, id alij contrà sic diluunt, dicentes regionis & influentiæ culpam esse, non rei ignorantiam. Ruellius scribit, Valerianam maiorem esse Phu Dioscoridis, quæ folio est olusatri: caule cubitali, interim maiore, leui, in purpurã candicante, cauo, geniculato: flore narcissi, sed ampliusculo, molli, in purpuram albicante, radice digitum minimum crassa, cæterum in obliquum uillosa: capillamentis iunci odorati, aut nigri ueratri modo fibrata, quibus color inest subflauus, odor iucundus, & nardi uim referens cum quadam odoris grauitate. Hieronymus Bock quoq; scribit, hanc esse ueram Valerianam, & raram esse inuentu, & non adeo uulgarem, eamque in hortis seri.

C Alteram Valerianam & uulgarem quę à Germanis uocatur **Katzen wurtzel/ Wendel wurtzel/ Deñmarck**/ scribit esse Serpentariam, Serpillum maius, quòd instar Serpilli serpat. Antonius Musa inquit, cui & Cordus assentitur, quòd uulgaris illa Germanorum Valeriana, Dioscoridis Phu esse non potest, sed apud ipsos herba est **Theriackes kraut** dicta, quasi Theriacaria, hanc pro Dioscoridis Phu sumere oportet, non eam quę ab ipsis **Baldrian** appellatur. Inter tot ambiguitates herbarum, nulla alia relinquitur uia, ut Leonicenus in quodam loco scribit, quàm ut ad sensum iudicem confugiamus, ut si plantam uirentem habere possimus, eam ipsi discutiamus.

DESCRIPTIO.

Valeriana crescit, ut Apium hortense, caule oblongo & alto, atq; concauo, in cacumine habente umbellam, floribus candidis rubore permistis ad origani formam. Radix est candida, cum multis intra terram capillamentis. Nascitur in altis senticetis.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit in tertio ordine, & desiccat in principio secundi. Radix tantum in medicinæ usu est. Phu odorata est huius herbæ *radix* ut Galenus docet, Nardo uiribus similis, sed tamen ad plæraq; infirmior, urinam mouet plus quàm aut Indica, aut Syriaca nardus.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radix Valerianæ elicit sudorem, si quis ex ea bibat, cietq; urinã.

D Hæc radix siccata durat tribus annis syncers uiribus, colligenda autem est in Augusto. Valeriana cum albo helleboro, & farinæ siliginea commista, necat mures. Cum semine fœniculi & Apij in uino elixa, ualde mouet urinã, ad lateris dolores efficax est, menses ciet. Antidotum contra uenenum & pestem. Quidam Valerianæ radicem cum fœniculo, aniso, & dulci radice decoquunt, contra tussim & difficilem anhelitum. Herba ipsa cum radice uiridis contusa & capiti applicata, pellit inde dolorem.

Vinum ex floribus uel radice Valerianæ coctum, oculis instillatum, eos clarificat, sanat alia uulnera atque ulcera, ut sunt mariscæ, autor est Hieronymus Bock.

DE AQVA VALERIANAE.

Conueniens tempus distillationis eius est, ut radix, herba, & caulis cum tota substantia concisa, circa exitum Maij distillentur.

Aqua Valerianæ mane ac uesperi singulis uicibus iiij. uncijs pota, & linteolis imposita, ulcera, tumoresq; dolorem adferentes, & mariscas pellit, prodest etiam contra hemorrhoides, linteolis impo sita. Opitulatur eadem bibita, quibus os aliquod fractum est.

Item ruptis subuenit. Oculis applicata, clarificat eos.

Facit ad lumbricos puerorum, mane à ieiunis quantum cochlear capit, bibita.

Eadem

Eadem in potu ſumpta, prodeſt contra uenenum & peſtilentem aërem, ſanat recentia atq; antiqua uulnera, diſcutit ulcera atq; apoſtemata in corpore, pellit dolorem coxendicis.

Claros reddit oculos bibita, tollit inde dolorem, prouocat ſudorem: turbido uino infuſa, illud reddit clarius atq; purius.

Pellit dolorem membrorum ex frigida intemperie prouenientem, membris ex ea illitis.

DE AQVA EX RADICIBVS VALERIANAE.

Deſtillatio huius aquæ ſit à xv. die Auguſti, uſq; ad viij. diem Septembris.

Hæc aqua bibita medetur ueneno, prodeſtq; contra uenenata animalia.

Medetur febri quotidianæ, ante acceſſionem vi. uncijs pota.

Auxiliatur contra dolorem laterum in potu ſumpta, & illita, atque linteolis impoſita.

Facit charos atq; concordes, ubi duo ex uno cyatho hãc aquam biberint.

DE VERBENA.

NOMENCLATVRAE.

Γεροσεχόλη.
Περιστερεών.

Verbena.
Verbenaca.
Periſtereon.
Columbina.
Criſta Gallinacea.

Iſenkraut.
Iſenhart.

ANNOTATIO IN VERBENAM.

C VERBENA à Græcis Peristereon dicitur, nomen ei inditum à columbis, qui in ea uersari plurimum gaudeant, ideo etiam à nonnullis Columbina dicitur. Romani etiam cristam gallinaceam eam appellarunt, quòd folia illi serrata sint, qualis in ea aue cristatus apex ille est. Nobilissima herba Verbena est, quæ apud Romanos in summo honore habebatur, ut Plinius lib. 25. cap. 9. scribit, utpote qua lustrabant domus & familiam, qua fœciales coronabantur, qua mensa Iouis ad sacrificium & epulas uerrebatur, qua magi & fatidici uaticinabantur: magi circa hanc insaniunt. Hac perunctos impetrare quæ uelint, febres abigere, amicitias conciliare, nulliq; non morbo mederi. Colligi circa canis ortum debere, ita ut ne Luna aut Sol conspiciatur, fauis ante [illegible] elle terræ in piamentum datis. Circumscriptam ferro, effodi sinistra manu, & in sublime tolli, siccari in umbra separatim folia, caulem, radicem. Aiunt. que si aqua spargatur triclinium, qua maduerit, lætiores conuictus fieri. Adeo Verbenam in ueneratione habebant, ut hierabotane, id est sacra herba appellaretur, imò herbas omnes, quæ ad lustrationem ualebant, aut magiam, aut quodcunq; aliud simile facinus, per excellentiam, Verbenacas appellabant. Mulieres Italicæ, ut Antonius Musa indicat, in festo natiuitatis diui Ioannis Baptistæ, & assumptionis Mariæ, hac herba se coronant & cingunt: putantes eo
D anno à capitis & dorsi dolore liberas futuras, qui mos ab antiquitate acceptus est. Dioscorides duo eius facit genera, rectum & supinum. Plinius marem & fœminam: mari caules reddendo plures & tenues, itemque cubitales & angulosos, demum quæcunq; Dioscorides supinæ, nisi quòd rariora mari folia quam fœminæ adijcit. Quidam non distinguunt, sed unum omnino genus tradunt, utrumque genus in planis aquosis nascitur, quoniam utraq; eosdem effectus habeat.

DESCRIPTIO.

Verbenæ duo sunt genera, Altera floribus est albis, altera uerò cœruleis, utraq; habet folia albescentia, ad Coriandri foliorum figuram incisuris diuisa, caulem cubitalem, radicemq; gracilem & candidam, gaudet antiquis areis & cœmiterijs.

TEMPERAMENTVM.

Vtraq; uirtutem habet exiccandi, & uulnera consolidandi.

VIRES AC IVVAMENTA.

Prodest utraq; ad humida manantia q; uulnera, atq; ad inueterata ulcera.

Radix

A Radix in uino pota, auxiliatur morbo regio.

Itidem pota, medetur suspiriosis.

Verbena contusa atq; emplastri modo uulneribus imposita, ea citò exiccat & sanat.

Succus eius in uino sumptus, tollit uenenum ē corpore.

Vinum in quo radix & folia fuerint macerata, bibitum, medetur febri tertianæ.

Si drachma foliorum uino indita per quatuor dies reponatur, & postea os inde colluatur, sanat ulcera oris.

Quicunq; laborat febre tertiana, sumat tres radices Verbenæ, totidemq; folia, eaque simul in uino per noctem macerata, febrem illam breui repellunt, si prius quàm frigus senserit ægrotus, uinum illud biberit.

Ad eundem modum Quartana febre laborans accipiat iiij. radices totidemq; folia.

Verbena in aqua decocta, mundificat fœminis uuluam, mouetq; menstrua, decoctum illud si bibant.

Semen eius cum succo fœniculi temperatum, & oculis instillatum, eos clarificat.

Medetur Verbena iocineri, tumidoq; lieni, & uitiato pulmoni.

B Cum radice contusa, & in potu sumpta, medetur calculo.

Idem præstat radix in puluerem redacta, & in uino pota.

Folia in aceto macerata atq; sacris ignibus imposita, refrigerant.

Ipsa tota herba, ut Dioscorides inquit, cum uino tonsillarum crustas erumpit, & oris depascentia ulcera gargarissata compescit.

Fertur triclinijs insperfum Verbenacæ dilutum, lætiores conuiuas facere.

Vulnera glutinat, & uetera ex melle ad cicatricem perducit.

Verbenaca foljs decocta ad tertias, uel radix eius è mulso calido, calculos ejcit.

Ad calculos quidam Verbenacam, millefolium, betonicam æquis portionibus pro singulari remedio bibere suadent.

Cum plantagine digitorum uitijs omnibus, & priuatim pterigijs medetur.

Comitiales ex uino pota sanat. Ex axungia trita pernionibus prodest. Clauos pedum extrahit ex uino.

Podagræ rubenti, hoc est calidæ, medetur illita, aut si pedes macerentur in eius decocto.

Fasciculo manus plenæ decocta in aqua ad dimidias, hydropicos sanat.

REME

C

REMEDIA VERBENACAE EX APVLEIO.

Ad ſtrumas & parotidas.

Herba Verbenaca tuſa & impoſita, mirificè ſanat.

Ad eos qui induratas uenas habent, & cibos non recipiunt.

Herbæ Verbenacæ ſuccus datur bibere, ſed cocta poſtea miſcetur cum uino & melle, & aqua, & ſtatim ſanat.

Ad hepatis dolorem.

Herba Verbenaca ſolſticio lecta, in puluerem redacta, robuſto dabis cochlearia quinq;, ex uino quàm optimo cyathis tribus potui ſumpta, mirè proficere creditur. Cæteris pro cuiuſq; uiribus ſic dabis.

Ad Calculoſos.

Verbenacæ radix contuſa ex mulſo optimo, tepido data, incredibiliter calculoſis ſuccurrit: nec ſolum ipſis calculoſis, ſed & quicquid eſſet, quod urinam impediret, celeriter reducet.

Ad capitis dolorem.

Herba Verbenacæ corona facta, & capiti impoſita, dolorem capitis tollet.

D

Ad morſum rabidi canis.

Herbam Verbenacam in uulnus adponito, tritici quoq; grana integra indita uulneri, donec humore remollita expleant: iam tumidas proñcito illas gallinæ, ſi non appetit, ſimili modo alia grana conñcito, ſi ſic edere cœperint, periculi ſublati ſignum erit.

Ad uulnera recentia.

Herba Verbenaca contrita cum butyro uulneri imponitur.

DE AQVA VERBENAE.

Verbena mas cum tota ſubſtantia, conciſa circa feſtum S. Ioannis deſtillationi adparatur.

Aqua Verbenæ mane ac ueſperi ſingulis uicibus tribus unciis per ſex uel octo dies pota, diſcutit morbum regium, medetur ueneno, Prodeſt contra tertianam & quartanam febrem, expellit lumbricos alui, quolibet matutino tempore à ieiuno ſumpta.

Tali modo pota, facit ad anguſtum pectus, difficultatemq; ſpirandi, ad ulcera pulmonis & tabem, confortat iecur, bonum reddit colorem.

Auxiliatur quoq; bibita doloribus ſtomachi, oppilationibus iecinoris atq; lienis, doloribuſq; lumborum & ueſicæ.

Facit ad obſtructionem inteſtinorum, ſtomachi atq; alui.

Expurgat

A Expurgat renes atq; ueſicam, calculumq; in eis comminuit.

Prodeſt contra puſtulas interiores corporis, ſubuenit mingentibus ſanguinem, & inteſtinorum torminibus.

Precioſa eſt aqua contra dolores & ictus capitis, ſæpius capiti illita, & lineis pannis impoſita, facit ad diuturnos morbos, quorum ignoratur cauſa.

Opitulatur contra omnem caliginem oculorum, eorumq; ulcera, confortat debilem uiſum, reducit ei claritatem, quotidie ſemel atq; iterum oculis indita, uel circumlita.

Medetur ficis, doloribuſq; ſtomachi, iecoris atq; lienis, inuncta atq; linteolis impoſita.

Prodeſt quoq; contra exulcerationem locorum muliebrium, ſi inde mane atq; ueſperi abluantur, & linteolum in ea intinctum applicetur.

DE VERMICVLARI.

D

NOMENCLATVRAE.

Αειζωον ὁ μίκρον.

Vermicularis.
Aizoon minus.
Sedum minus.
Craſſula minor.

Mauer Pfeffer.
Katzen treublin.
Blat loſe.

ANNOTATIO IN VERMICVLAREM.

VERMICVLARIS uulgò dicitur, ut Hermolaus Barbarus indicat, Aizoon minus, ſic autem dicta eſt à ſimilitudine foliorum quę rotunda ſunt, & figuræ oualis, ut uermiculos putes. Chryſotalcs ſiue tritales uocatur à quibuſdam, quia ter floreat. Naſcitur autem in

C tem in muris parietinisq; & tegulis. Fruticosa est à radice & sursum usq; ad cacumen, foliis angustis, succosis, radice inutili. Huius minoris Aizoi adhuc aliud genus est, folia minora & ramulos multos habens: quod si gustaueris calidissimum est, & linguam uchementer urit, ut Ruellius, & Antonius Musa testantur. Itaque falsò pro Aizoo, hoc sumi uidetur, quum uires habeat penitus oppositas. Latini illecebram uocant. Hermolaus andrachnen agriam appellat, id est portulacam syluestrem.

DESCRIPTIO.

Vermicularis est rotunda & crassa herba, in summo flores habens ad Valerianæ figuram, caulem habet crassum & rubrum, radicemq; nodosam. Hęc herba duorum generum est, Altera est maior, altera uerò minor, Maior foliis est lentis & pinguibus, & per ambitum hirsutis.

TEMPERAMENTVM.

Natura autem refrigerat, & maximè medetur ambustis. Habet eandem facultatem refrigerandi, quam habet Aizoon maius. Refrigerat in tertio gradu, & parum exiccat.

VIRES AC IVVAMENTA.

D Succus huius herbæ ad multa conducibilis est, quę inflammant, priuatim autem sanat morbum, qui infantibus ualde periculosus, adeo ut cutis sub axillis, & inter pedes atteratur, ad hoc folia contundi debent, oleoq; rosaceo, laridoq; ex maiale admisto, & deinde per linteolum exprimi, succusq; iste in uino albo bonoq; decoquendus erit, & admiscendus mastix, olibanū, singulorum drachmam: hoc pueris illitum, absq; dubio opem præstat.

Medetur heryspelati, ardentibus pustulis & ambustis imposita.

Sedat podagram cum polygono imposita.

DE AQVA VERMICVLARIS.

Circa finem Maij destillationi adparatur.

Hæc aqua fortiter refrigerat omnia calida apostemata, & ulcera tam interiora quàm exteriora corporis, madefactis linteolis imposita.

Aqua Vermicularis necat phagadænam, (quem uermen digiti, uulgò uocant,) & in quocunque corporis loco fuerit, linteolis imposita.

Hæc aqua in potu non est sumenda, sed foris calidis tumoribus, & apostematibus cum stupa cannabina est imponenda, & est bonum repercussiuum.

A

DE VETONICA SEV VERONICA.

NOMENCLATVRAE.

Vetonica.
Herba tunici.
Veronica.

Ehren preiß.
Heydnisch wunt kraut.
Gründt heyl.

B

ANNOTATIO IN VETONICAM.

VERONICA uulgò ab Herbarijs dicitur, herba quæ passim in syluis sub quercubus crescit, & fermè Chamedryos formam repræsentat. Hieronymus Bock putat quòd propriè Vetonica dici debeat, quia ferè Betonicæ naturam atq; uirtutem obtineat, scribitq; eam apud Dioscoridem esse Teucrion, & profectò meo iudicio, rectè diuinauit, nam descriptio & uires maximè quadrant, easdem enim uires quas Recentiores tribuunt Veronicæ, Dioscorides etiam Teucrio tribuit. Nobilis Herbarius Hieronymus Brunsuicensis scribit, hanc herbam Veronicam dici, à quodam rege Gallorum, qui eius succo à lepra fuit sanatus. Nonnulli Doctores medici eam herbam Tunici appellarunt, quum uerum eius nomen apud Dioscoridem aliosq; antiquos medicos inuenire non potuerint. A Germanis Ehren preiß dicitur, quòd ob eius præstantiam & uirtutem, in summo honore habenda sit. Grünt heyl quoq; uocatur, quia recentia sanat uulnera.

DESCRIPTIO.

Veronica tenera est herba, nascens locis incultis. Est herba admodum nobilis, atq; ad multas res conducibilis, fortiter restituit iecur putrefactum: reddit alacres, audaces, benеuolos, animosos & securos.

C Magnam habet uirtutem ſanandi recentia atq; antiqua ulcera, ſi liquor expreſſus imponatur.

Veronica per unam noctem atque diem in uino macerata, atque ita diſtillata, ut Hieronymus Bock teſtatur, præſentaneum & probatum eſt remedium contra uenenoſas & peſtilentiales febres, ſi inde tres uel quatuor unciæ cum modico Theriacæ temperatæ bibantur, & deinde ægrotus ſtragulis benè opertus quieſcat, tum uenenum è corde pellitur, & ſudando euacuatur.

Si cum uino decoctum inde fiat, idem præſtat, eſtq; precioſa herba ad uitiatum lienem, qui ex ea minuitur & cohibetur, ſi per aliquot ex ordine dies inde bibatur.

Herba ipſa cum aceto contuſa, uel elixa & aliquot diebus indurato lieni impoſita, diſſoluit duriciem, & diminuit.

Succus per ſe uel cū alumine temperatus, impetiginem, & aliam quancunq; ſcabiem curat.

Non ſolum hominibus hæc herba medetur, ſed etiam pecoribus, ad multos affectus tam interiores quàm exteriores conducens.

DE AQVA VERONICAE.

Circa principium Iunij herba ipſa cum tota ſubſtantia ad deſtillationem apparatur, uerum melius eſt, ut prius per unam noctem
D & diem in uino maceretur, ac deinde in Balneo Mariæ diſtilletur, tum decem annos durabit.

Hæc aqua duabus uncijs mane à ieiuno ſumpta: uel ſi ſpongia in ea intincta in paſtillo, hoc eſt ſphærula ex odoribus confecta geſtetur, & naribus ſæpius admoueatur, à peſte præſeruat.

Manus quoq; & caput, frons ac tempora inde illinuntur: prodeſt contra quemuis malum odorem.

Qui peſte corripitur, prius incidat uenam, deinde accipiat Seſquiunciam huius herbæ in puluerem contritæ, & cum tribus uncijs huius aquæ temperatam bibat, & deinde ſudet, tum curatur.

Ad recentia uulnera, per diem bis ex hac aqua bibes, & ſingulis uicibus ad iiij. uncias, tum ex uulneribus inſtar olei ſudando emanat. uulnera etiam hac aqua mane ac ueſperi ſunt abluenda, præterea linteolis eſt imponenda, ita mirum in modum uulnera & mala ulcera curat.

Vncia uitrioli in puluerem contrita & in una libra huius aquæ liquata, pellit impetiginem, uitiliginem, & unã quamuis malignam ſcabiem & cutis defœdationem ex uitioſis humoribus procreatam. Quo hæc aqua fuerit antiquior, eo melior eſt.

Linteolis aranearum ictibus uel uenenatorum morſibus impoſita, uel illita, ſanat & tumorem repellit.

Bibita

A Bibita atq; gargarissata mane ac uesperi singulis uicibus circiter tres uncias, statim tumorem gutturis pellit.

Aluminis semi libra in libra aquæ, huius herbæ resoluta, & calefacta, pellit tineas è panno inde madefacto & loto.

Mane atq; uesperi singulis uicibus duabus uncijs pota, absumit & purificat malum sanguinem, facit ad uagantem calorem, aperit meatus per sex hebdomadas matutinis temporibus singulis uicibus iiij. uncijs pota, emacrat hominem, corroborat iecur, & absumit superfluos malos humores. Mane ac uesperi singulis uicibus duabus uncijs pota, pellit uertiginem capitis.

Ita sumpta & capiti illita præcipuè prodest ad memoriam confortandam, ad caput & cerebrum corroborandum, inducit linguę facilitatem, sanguinemq; purificat.

Tribus uncijs à ieiuno sumpta cum temperata fuerit cum drachma pulueris facti ex interiore cortice plantæ quæ uocatur Chamæpithys, expurgat thoracem, & facit reijcere sputum.

Aqua Veronicæ mane ac uesperi sumpta, maximè auxiliatur pulmoni & iecinori, si intrinsecus putrefiant, & usq; ad guttur ascendant, etiamsi putrefacta fuerint usq; ad auellanæ magnitudinem, tamen iterum sanitati restituuntur.

Eadem cum puluere ex herba ipsa contrita in potu sumpta, di-
B scutit fellis suffusionem, leniter cit urinam, fœminas prępingues atq; steriles reddit macras atq; fœcundas.

Quatuor uncijs pota, pro necessitate elicit sudorem.

DE VIBICE.

NOMENCLATVRAE.

Σεμύδα.

Betula. Vibex.

Birckbaum. **Birck.**

ANNOTATIO IN VIBICEM.

VIBEX uulgò dititur arbor quam Plinius alijque Latini autores Betulam appellant. A Græcis Semyda dicitur, ut Ruellius scribit. Est autem folio fagino, præterquam paulo angustius est, trunco enodi, cortice uersicolore, materie leui atque candidissima, uirgultorum eximia tenuitate. Cortex ignem facillimè concipit: ideo rura lucernarum uicè succendunt, reddit fragrans pingue quoddam & oleosum. Hæc ut olim Romanorum magistratuum fascibus minax, sic & hodie uirgeis pędagogorum sceptris pueros terret.

DESCRIPTIO.

C Betula foris candido est cortice, nullumq; producit fructum, habet autem multa uirgulta atq; ramos.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat in tertio ordine.

VIRES AC IVVAMENTA.

Folia eius in aqua decocta exiccant manantia ulcera, si inde lauentur. Si pedes manantes subfumigentur ex cortice eius combusto, ualde desiccantur. Cortex Betulæ in puluerem contritus, & putridis uulneribus insperſus, erodit gangrænam. Suffitus ex cortice eius factus, pellit malum & pestilentem aërem.

DE AQVA EX FOLIIS BETVLAE DISTILLATA.

Folia eius nuperrimè nata, concisa atq; contusa in medio Maij distillantur.

Ea aqua mane atq; uesperi singulis uicibus pondere iiij. unciarum pota, facit ad lithiasim lumborum. Prodest ad refrigerandum calida ulcera, & præsertim quæ in membro uirili fuerint, si linteolis imponatur.

DE AQVA EX SVCCO EIVS DISTILLATA.

Succus hoc modo colligendus est: In maio cauum in Betula terebrato, & subter ponito uitreum uasculum, tum liquor inde extil-
D lat, quem in Balneo Mariæ distillato.

Ea aqua prodest ad omnia uulnera si inde lauentur, sanat atq; exiccat aperta ulcera, si linteolis imponatur.

DE VINCA PERVINCA.

NOMENCLATVRAE.

Χαμαιδάφνη.
Ἀλεξάνδρεια.
Δαφνίτις.
Chamædaphne.
Alexandria.
Laureola.
Vinca peruinca.
Daphnitis.
Ingrien.
Singrün.
Berwincken.

ANNO.

ANNOTATIO IN VINCAM PERVINCAM.

A VINCA peruinca ab Herbarijs Latine dicitur herba quę apud Dioſcoridem Chamædaphne appellatur, ut ferè maior pars medicorum teſtatur. Magna uerò hic inter medicos exorta eſt contentio, propterea quòd Chamædaphne, ut Hermolaus indicat, longe diuerſa eſt ab ea quæ Vinca peruinca dicitur, quod in cubitalem aſſurgit altitudinem, ut Dioſcor. tradit, ut Plinius ipſe confirmat, acinis rubris, qui folijs promiſcui pendent. Vinca uerò peruinca topiaria eſt herba, uirens in modum lineæ, folijs geniculatim circumdata: ueteribus inopiam florum ſupplere ſolita, quæ non attollitur, ſed humi ſerpit, & ſe in modum funiculi porrigit, uicina quæque uinciens, unde nomen, flore in purpuram cœruleo. Sed ad tollendam eam controuerſiam & ambiguitatem, ſciendum eſt utranq; dici Chamędaphnen, ſed non idem eſſe genus, quum alioqui & medicinæ prorſus uariant, ut Hermolaus Barbarus, & Otthо Brunsfelſius tradunt. Olim defunctę uirgines ad ſepulturam peruinca coronatæ efferebantur. Poteſt hæc herba omnem hyemis iniuriam tolerare, quo tempore & perpetuò uirere conſpicitur, unde à Germanis **Jngrün** appellata eſt.

DESCRIPTIO.

Vinca peruinca tam hyeme quàm æſtate uiret, folia inſtar buxi habens, naſcitur locis opacis, in hortis & prope muros. Colligi au-
B tem debet à xv. die Auguſti uſq; ad viij. diem Septembris, & ſiccari in aëre.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; deſiccat in tertio gradu.

VIRES AC IVVAMENTA.

Virtutem habet expellendi malos humores ex frigida intemperie prouenientes, ſi in uino cocta bibatur.

Vinca peruinca ſiccata atq; in puluerem redacta, ſi pondere unius drachmę in uino ſumatur, per aliquot ex ordine dies, aquam intercutem per urinam educit.

Ardente cinere obruta, & deinde uino conſperſa, atque tumori impoſita, ipſum exiccat.

Succus eius auribus inſtillatus, exiccat ulcera, atq; dolorem mitigat.

Linteolum in ſucco eius madefactum atq; impoſitum, calefacit frigidum ſtomachum atq; locos muliebres. peſſus in eodem ſucco intinctus atq; mulierum pudendis ſubditus, prouocat menſtrua.

Herba ipſa in uino decocta & pota, ſedat tormina inteſtinorum, euacuat omnes uiſcoſos humores ex iecore atque ueſica, expurgat renes.

C Si quis habuerit uinum turbidum, quodq; colorem amisit, accipiat tantum huius herbæ, quantum pro quantitate & copia uini sufficit, & uasi indat, & deinde ipsum uas operiat usq; ad quatuordecim dies, tunc illud uinum breui fit purum atq; clarum, recuperatq; suum colorem: melius tamen est, ut uinum prius in aliud uas diffundatur. Hoc ipsa experientia comprobatum ste, ut scribit Hieronymus Bock.

DE AQVA VINCAE PERVINCAE.

Optimum tempus distillationis eius est, circa finem Maij.

Hæc aqua mane atq; uesperi singulis uicibus, pondere trium unciarum sumpta, conducit locis muliebribus refrigeratis, medeturq; illis qui frigidum habent stomachum: idem præstat, si linteolis imponatur.

DE VIOLA.

D

NOMENCLATVRAE.

Ἴον μελαν.
Δασυπόδιον.
Viola.
Viola nigra.
Viola purpurea.
Muraria Viola.
Violen.

ANNOTATIO IN VIOLAM.

VIOLA nota uulgò, & ubiq; inuentu facilis, ad murorum enim radices & umbrosis locis frequens, & speciosa nascitur, prima aut cũ primis, aduentum ueris mortalibus nuncians. Violam aũt dictam Ion Græci putant, quòd cum Ionii uaccam à Ioue conuersa esset, terra florem illum pabulo bouis eius fuderit. Latini quoq; Violam quasi uitulam mutatione Græca uideri possunt appellasse. Græci duo nomina habent quibus Violam significant, Ἴον unum est, quo omnes Violas intelligunt, Aliud est, λευκόϊον, quo proprie albæ Violæ significantur: id enim Græca dictio sonare uidetur, sed tamen ad alias Violas etiam refertur. Quatuor uiolarum sunt species, ut Dioscorides indicat, Est enim Viola alba, lutea, cœrulea, & purpurea, quòd purpureo colore adeo tincta sit, ut nigrescere uideatur. Hæc uulgaris est Viola, & à Germanis Braun/oder Purpur Violen dicitur. Alij Violam Martiam eam appellant. A Dioscoride quoq; Muraria Viola dicitur; Violaria à Varrone dicuntur, loca uiolis & floribus consita.

DE.

A

DESCRIPTIO.

Viola est parua ac orbiculata coma, in cacumine florem habens purpureum, Radicem autem sub terra habet numerosam: quando autem deflorere incipit, acquirit iuxta radicem semen candidum ac granulosum.

TEMPERAMENTVM.

Violæ frigidæ sunt in primo gradu, & humidæ in fine secundi.

Colligi debent Violæ in Martio, & siccari in aëre. Sunt autem trium generum: candidæ, nigræ, & luteæ, quæ easdem in medicina uires obtinent.

VIRES AC IVVAMENTA.

Flores inflationem stomachi tollunt.

Decoctum ex floribus utiliter gargarissatur contra anginam.

Succus ex herba, pellit omnem tumorem ex calida causa exortum. Semen uiolarum pondere duarum drachmarum in uino sumptum, menses mulierum trahit.

Radix in uino elixa, ac lieni inflato imposita, repellit tumorem, & ipsum desiccat.

Tali modo & podagræ medetur, emplastri modo imposita.

Albæ Violæ decoctæ, ac uentri fœminarum impositæ, fœtum mortuum extrahuut, uuluæ tumores sedant. Si ab inferiori parte
B fomentum inde fiat, mundificant uuluam, mouentq; menstrua.

Violæ dolores capitis ex calida intemperie prouenientes sedant, conciliant somnum, leniunt pectus & guttur, conferunt uuulæ & anginæ. Syrupus autem uiolarum præcipuè hæc præstat.

Crapulam & grauedines capitis impositis coronis, olfactuue discutiunt. Radices cum aceto elixæ & potæ, tum etiam illitæ lienem reprimunt, & podagricos iuuant. Herba ipsa cum radice in aqua contusa, medetur tussientibus pueris.

Oleum Violarum ad multa est salutare. In primis autem auribus instillatum, affectus earum discutit, tollit quoq; capitis dolorem, si illinatur. Idem uentri illitum, pellit lumbricos, si semen lumbricorum admistum fuerit. Syrupus Violarum hoc modo conficitur: Accipe tres manipulos florum uiolarum, eosq; in aqua decoctos, atque percolatos saccharo edulcato, Talis Syrupus prodest contra febriles calores, subducit aluum, medetur calido iecinori.

Violæ aluum leniunt, educunt Choleram, conferunt inflammationibus, sedant sitim, dissipant icteritiam, uarijs modis usurpatæ.

Aiunt Violam purpuream anginis & comitialibus auxiliari, maximè pueris in aqua potam.

DE AQVA VIOLARVM.

Violæ cœruleæ uel purpureę in Balneo Marię distillantur in

C Aqua uiolarum in potu ſumpta, uel ſi potus ex ea miſceatur, facit ad calorem peſtis, emollit ac lenit aluum, refrigerat cor atque iecur, ſedat ſitim, prodeſt æſtuanti ſtomacho, facit bibita ad calidam & ſiccam tuſſim.

Eadem pota mundificat locos muliebres, & rumpit ulcera eorundem, ſedat dolorem lienis, facit ad punctura cordis, & febres ardentes alioſq; calores malos, necat lumbricos uentris. Sanat pulmonarios qui Phthiſi laborant ſi bibatur. Medetur morbo comitiali, & præcipuè in pueris. Prodeſt pectori & ſuſpirioſis, corroborat aluum atq; inteſtina, expurgat renes, tollit alui tormina.

Bibita ab illo cui craneum ita eſt contuſum ut obmuteſcat, is loquelam recuperat. Medetur podagræ, tollit dolorem oculorum, & reſtringit fluxum eorum ex calida cauſa prouenientem, linteolis applicata & circumlita. Capiti illita Phreneticis medetur, & illis qui mentis impotes facti ſunt ex nimio fœtore.

Curat eadem rimas ſedis, & diſcutit ficus. Pellit ſuſurrum & tinnitum aurium, inſtillata uel ſuperimpoſita, uel ſi ex ea aures lauentur.

Reſtituit uiſum, oculis indita.

Prodeſt contra malas & putridas gingiuas, & dolorem dentium, ore inde colluto.

D Facit ad omnes calores, tam interiores quàm exteriores in quacunq; parte corporis fuerint, linteolis impoſita, ipſos enim refrigerat & extinguit.

DE VITE.

NOMENCLATVRA.

Ἀμπελος οἰνόφορος.

Vitis.
Vitis uinifera.

Wein reb.
Wein ſtock.

ANNO.

A

ANNOTATIO IN VITEM.

VITIS à uino dicta est, quòd ferat uinum, uel ut Varro inquit, Vitis, eo quòd inuitet ad uuas percipiendas, dicta primò uidetur. Vitem Græci ampelon œnophoron, id est uitem uiniferam appellant. Nascitur autem, ut Plinius inquit, passim, & in alto propinqua litori. Durare Vitem ad infinitum restibili fœcunditate perhibent, culturæ quodam genere. Vites magnitudine inter arbores numerantur. Siquidem in magnam altitudinem exeunt, ita ut sæpe domorum tecta scandant, necest ligno ulli æternior natura: nimis propemodũ luxuriarent, nisi tonsura annua coërcerentur, qua uis earum omnis euocatur in palmites, deprimiturq; in propagines, succi tantum gratia pluribus modis ad soli ingenia cælique mores. Vitis pergulana Columellæ dicitur, quæ in hortis seritur magis ad uoluptatem, quàm ad prouentum, & in pergulas, siue rectas siue camerarias attollitur, ut eas uestiat: adiuta tamen pedamentis saligneis infornicatis, & topiario interdum opere fabrefactis, umbrosa opercula subdialibus ambulationibus præbet. Vitis genera persequi superuacuũ est, quoniam totidem adfirmantur esse quot agri, ut Plinius inquit. Est & sylvestris uitis, quæ labrusca à Latinis dicitur. Vitium genera, ut Theophrastus inquit, magnitudine, colore, saporibus, aciniſq; multiplicantur & differunt, Nam purpureo nitent colore, fulgent roseo, nitentq; uiridi candidæ, nigræq;, sed uulgares. Tument mammarum modo Bumasti. Quædam prælongis dactyli porriguntur acinis.

B

DESCRIPTIO.

Vitis satiua duorum generum est, Altera enim est candida, altera uerò nigra uel rubra. Sylvestris longo est stipite & lignoso ac acuto, fructũ racemosum habet, qui matureſcens rubro est colore.

TEMPERAMENTVM.

Folia uitis refrigerandi & astringendi uim habent, ut testatur Dioscorides.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radix uitis decocta & cum semine uiciæ, & fœnogręci permista, mundificat impuram & lepra infectam cutem, si inde abluatur.

Accipe foliorum Vitis, ebuli, atq; mellis æquale pondus, quibus simul permistis, & in mortario contusis, deinde succum per linteum exprime, quo si oculos inungas, eos exiccat, ac uisum emendat.

Obmutescens sumat succum foliorum uitis atq; bono aceto indat, si inde biberit loquelam recuperat.

In difficultate partus. Mulier accipiet folia Vitis eaq; contundet, succumq; inde exprimet ac bibet. Vel folia ipsa in uino decoquat, quod in potu sumptum facilitatem pariendi inducit.

Radix

C Radix in uino cocta atq; calidis apoſtematibus impoſita, ea e. mollit, puſq; ipſum educit.

Ex cinere uitis ſi fiat lixuium corpuſq; ex eo lauetur, nitidam ac puram reddit cutem, ulceraq; diſcutit, hominemq; præſeruat à maligna ſcabie.

Lachrima uitium tollit rubras corporis maculas, faciei inducit bonum colorem, ſi nouem ex ordine dies inde abluatur.

Eadem tollit uerrucas, ſi aqua illa quę ſuper foljs quercuum continetur admiſta fuerit, ſæpiuſq; inde lauentur.

Vitium lachrima cum uino ſumpta, calculos pellit, uiſum acuit, oculorum lippitudinem tollit, uenenatorum morſibus ſubuenit, ue neremq; ſiccat. Glabreſcunt quæ continue addito oleo ea inungun tur, præſtatq; id præcipuè qui ex palmitibus exudat, aquoſus humor.

Succus ex foljs candidæ uitis, exulceratis inteſtinis ſuccurrit, in potu ſumptus uel foris aluo illitus. Prodeſt quoq; ſanguinem excre antibus.

Cinis uitis cum aceto temperatus & mariſcis impoſitus, eas citò ſanat. Idem cum oleo roſaceo atq; oleo rutæ, & aceto permiſta, medetur calidis apoſtematibus, dyſſenteriæ, atq; lieni, ſi imponat.

Succus qui ex uuis immaturis & acerbis exprimitur multas uires
D obtinet. Is hoc modo conficitur: Vuas acerbas per tres uel quatuor dies inſolato ut marceſcant, deinde uinum inde exprimito, illúdq; linteolo opertum reſeruato: uocatur autem à medicis quibuſdam Agreſta, Dioſcorides lib. 5. cap. 5. id uocat Omphacion.

Virtus eius uini eſt natura adſtringere & corroborare, & potiſſimũ corroborat ſtomachum, conducitq; ijs qui male concoquunt.

Hoc uinum inueteratum efficacius quàm recens eſt, facit ciborum appetentiam, præcipueq; ſalubre eſt Diarrhœa alijſq; alui fluctionibus laborantibus.

Vinum ex candidis uitibus calefacit in ſecundo ordine: quod autem multum inueterauit, calefacit in tertio ordine. Muſtum autem ex ijſdem uitibus in primo ordine calefacit.

Album uinum inueteratum tenue eſt, bonum creat ſanguinem, cietq; urinam. Verum ſi nimium bibatur, debilitat caput, nocetque ſtomacho.

Hoc uinum moderate ſumptum tam à iunioribus quàm adultis multis uiribus pollet, confortat enim naturam hominis atq; totum corpus, concoctionemq; adiuuat, & cerebrum confortat, ſenſuſq; bonos reddit.

Rubrum uinum natura adſtringit, & præcipuè quod nigricans eſt. Tale autem uinum craſſos procreat humores, ſtomachoque

magis

A magis noxium est, si nimium sumatur, quàm album. Contra dysenteriam alioſq; alui fluxus sumi potest, ea de causa, quia fluxum cohibet atq; sistit. Nihil melius ad confortandum uires corporis, quàm bonum & natiuũ uinum, quod tenue, purum atq; uetus est, quodq; salubri tempore natum est.

DE AQVA VITIS.

Colligitur ea aqua in uitreo uasculo, circa principium Aprilis, quando uites putantur, & destillatur in Balneo Mariæ, ac deinde per 40. dies insolatur.

Ea aqua bibita, atq; uinum si inde miscetur, mentem atq; sensus exacuit.

Prodest contra quamuis scabiem, si inde lauetur, puram nitidamque reddit faciem, pustulas, lentiginesq; faciei discutit.

Verrucas atq; clauos repellit.

Facit ad impetigines, uitiliges, & herysipelata, si ex ea abluantur, & per diem bis ac ter linteolis imponatur.

DE AQVA FOLIORVM VITIS.

Folia ex optimis uitibus, quæ in locis editis atq; apricis nascuntur, oportuno tempore circa exitum Maij distillantur.

Hæc aqua oculis manantibus indita, eos exiccat, clarificatq; uisum.

B Sanguinem excreantibus medetur bibita, facit ad ulcera intestinorum, sistitq; calidam alui fluctionem.

Eadem per diem ter sumpta, & singulis uicibus pondere trium unciarum, pellit calculum, succurrit prægnantium fastidijs, & absurdis rerum in cibo earum appetitibus, ne fœtui nocumentum inferant.

DE VOLVBILI.

NOMENCLATVRAE.

Κυοσάμπελος.

Volubilis.
Conuoluulus.
Cymbalaris.
Campanella.
Winde.
Windenkraut.
Weiß glocken.

ANNO

ANNOTATIO IN VOLVBILEM.

C VOLVBILIS ab omnibus officinis & Herbarijs dici cœpta, ea herba à Latinis Conuoluulus, & à Græcis Cyſſampelos dicitur, id eſt Hedera uitealis, eo quòd uitibus adhæreat, quemadmodum Hedera reliquis arboribus. Volubilis autem dicitur, ut Ruellius teſtatur, quòd crebra reuolutione uicinos frutices & herbas implicet. Eius flos rudioris Lilij figuram præbet, ob id liliaſtri quoque nomen habet. A uulgo quoq; Campanella uocatur, quòd flos cymbalorum effigiem imitetur. Semen ei nigrum, triangulum in folliculis acinorum ſpecie, qui numero tres habentur, conuoluuli maioris nomine. Herba autem lacte plurimo manat, & aluum cit, haud aliter quàm Scammonia.

DESCRIPTIO.

Volubilis duplex eſt, gaudet prope ſepes naſci, flores gerit candidos ad campanæ formam. Altera per terram ſe propagat, habens campanulas candidas atq; rubras. Caulis eius lacteum liquorem præbet. Eſt & aliud genus Volubilis, quod ab una parte hirſutum eſt inſtar Goſſipij, flores habens ad Cucumeris formam.

VIRES AC IVVAMENTA.

Succus huius herbæ permiſtus cum Eruca, ſi cicatrices inde inungantur, reddit cutem æqualem.

D Quicunq; ex longo itinere in corpore læditur, illinat ſuccum ex floribus contuſis expreſſum, & curabitur.

Ex hiſce herbis nemo medicinam intrò ſumat, niſi certò ſciat, eas alijs rebus eſſe permiſtas, nam omnes herbæ lactarię uenenoſę ſunt, atq; cum periculo ſumuntur.

Diſcutiendi uim poſſidet, unde & urinam mouet, & flatus in corpore diſſipat & pellit.

Aperit oppilationem iocineris atq; lienis, Salubris eſt cõtra morbum regium.

DE AQVA VOLVBILIS.

Diſtillatio eius fieri ſolet in Maio.

Aqua Volubilis mane ac ueſperi ſingulis uicibus tribus uel quatuor uncijs pota, aduerſus ſtranguriam auxiliatur.

Flores eius plene maturi in Balneo Mariæ deſtillari debent.

Hæc aqua medetur multis affectibus corporis, illita uel linteolis impoſita.

DE VRTICA.

NOMEN.

A

NOMENCLATVRAE.

Ακαλύφη κνίδη.

Vrtica.

Nesselen.
Heyter Nesseln.

B

ANNOTATIO IN VRTICAM.

VRTICA uulgaris & notissima est herba qua nihil inuisius uel abiectius nascitur, medetur tamen ea multis in humano corpore morbis, plurimisq; scatet remedijs. Antiqui etiam ea in cibo usi sunt, quibus iucundum erat ocimo se & Vrtica recreare, ut Verg. Marcellus testatur. Nomen autem Vrticæ inditum ab urendo, quòd eius folia tacta accerrimè urant. Mirum est, inquit Plinius, sine ullis spinarum aculeis lanuginem ipsam noxiam, & tactu tantum leui, pruritum pustulasq; confestim adusto similes existere. Sed mordacitas non protinus cum ipsa herba gignitur, nec nisi solibus roborata: incipiens quidem ipsa nasci uere. Græci eam Acalyphen uocarunt. Alij uerò cniden. Vrticarum plures differentiæ, ut Plinius scribit. Syluestris, quam fœminam uocant, mitior. Et in syluestri, quæ dicitur Cania, acrior, caule quoq; mordaci, fimbriatis folijs. Quæ uerò etiam odorem fundit Herculeana uocatur. Semen omnibus copiosum, nigrum. Inter Vrticas quarum folia tacta adurunt, una est, quæ radice, caule, & folijs, minor est alijs, & acrius urit, hanc Germani Heyter nessel appellant, ea ubiq; circa sepes, cœmiteria, & ædificia nascitur.

DESCRIPTIO.

C Vrtica nascitur ad duorum cubitorum altitudinem, colore herbaceo, caule purpureo, & in aliquibus candido, radice dura, frutícosa, atq; sublutea.

TEMPERAMENTVM.

Vrticæ atq; semen earum calefaciunt in principio primi gradus, & desiccant in secundo.

Calidæ sunt & siccę Vrticæ, in tertio gradu secundū Serapionē.

Vrticæ & fructus & folia tenuem habent substantiam, citraq; rosionem siccant, tumores discutiunt, abstergunt, uentrem subducunt, mediocriter flatulenta, quare etiam ad uenerem incitant, ut testatur Ægineta.

VIRES AC IVVAMENTA.

Semen non intantum exiccat ut herba.

Vrticæ folia atq; semen in medicina usurpantur, & habent naturam penetrandi & discutiendi humores in corpore hominis, & in primis per sudorem.

Semen Vrticæ contritum & in uino potum, præcipuè medetur calculo lumborum.

Vrtica decocta, cuteq; inde lota, sanat malam scabiem.

Eadem decocta atq; contusa, aluum emollit imposita.

Semen contusum & melle permistum, & ita sumptū cum uino,
D sedat antiquam tussim, & expurgat pectus. Folia eius contusa atq; sale addito, rabidi canis morsibus imposita, remedium adferunt.

Eodem modo inueteratis & putridis ulceribus, emplastri modo imposita, mundificant, & erodunt gangrænam. Itidem & quasuis strumas & tubera, tumoresq; frigidos dissipant. Idem præstat & semen, quod uulneribus insperssum, ea renouat.

Folia pudendis fœminarum imposita, restituunt procidentem uuluam. Semen cum melle sumptum, medetur orthopnææ, & lateris & pulmonum inflammationibus prodest. Messibus autem semen colligi oportet.

Folia mulierum menses euocant, si decocta atq; cum myrrha temperata, uentri earum imponantur.

Oleum Vrticæ emollit aluum, & expellit crassos humores.

Semen in puluerem contritū, & cancro insperssum, ipsum curat.

Vrtica in uino decocta & bibita, reddit facilem anhelitum, pellit antiquam tussim, & medetur pulmoni refrigerato.

Semen potum ex passo, Venerem stimulat, uuluam aperit.

Inflammatione turgentem uuam, gargarissatus succus reprimit.

Vrtica cum oleo oliuarum elixa, prouocat sudorem, cute ex ea illita. Radix eius cum forti uino cocta atq; lieni emplastri modo imposita, pellit inde tumorem. Talimo-

A Tali modo podagræ illita, ei adiumentum adfert.

Oleum Vrticæ auribus inſtillatum, tollit tumorem, exiccat manantia ulcera.

Eſt alia ſpecies Vrticæ, quæ à Germanis uocatur Heytter neſſel, ea natura eſt multo calidior alia.

Qui Apoplexiam timet, aut ei morbo obnoxius eſt, hanc Vrticam in uino decoquat, illudq; ſæpius bibat, ita opem præſtabit.

Eiuſdem Vrticæ ſemen cum melle decoctum & potum, & coxis illitum, morbum coxarum ſanat.

Talis potio pellit frigus ac tuſſim, ita ſumpta ac illita, medetur quoq; pulmonibus, tollit tumorem corporis.

Folia eius cum ſale bene contuſa ac impoſita, mala ſanant ulcera, purgant quoq; putrida uulnera.

Eadem folia in oleo decocta, ſanant morſum rabidi canis.

Qui ob humidum cerebrum infeſtatur deſtillationibus, bibat ſemen eius in bono uino elixum, ac capiti frontiq; illinat.

Qui ſurdaſter eſt, radicem eius in aqua uel uino coctam bibat, ea opitulatur.

Eadem Vrtica cum ſale & uitellis ouorum contuſa, & permiſta cum gallinaceo adipe, cuteq; in ſudatorio, bis aut ter inde illita, pel-
B lit prurientem ſcabiem.

Succus eius naribus inditus, ſtatim elicit ſanguinem, ſi autem eodem ſucco frontem inungas, ſanguinem ſiſtit.

Hæc Vrtica cum aceto & ſale elixa & ſumpta, expurgat craſſos humores ſtomachi, necat uentris lumbricos.

Eadem in oleo oliuarum frixa, pellit tumorem pedum, ſi inde ungantur. Ex Vrtica acriter aduſtis, oleum oliuarum, aut oleum roſaceum illinitur, tum puſtulæ pereunt.

Si quadrupedes initum non admittunt, Vrtica naturalia earum fricanda eſſe demonſtrant.

Condidit laudes Vrticæ Phanias phyſicus, utiliſſimam cibis coctam conditamue profeſſus arteriæ, tuſſi, uentris deſtillationi, ſtomacho, panis, parotidi, pernionibus: cum oleo ſudorem, coctam cum conchis ciere aluum, cum ptiſana pectus purgare, mulierumq; menſes: cum ſale ulcera quæ ſerpunt prohibere.

Articularijs morbis & podagris plurimi cum oleo uetere imponunt.

DE AQVA VRTICAE.

Folia atq; flores decerpti, circa 13. diẽ Iulij deſtillationi adaptant.

Aqua Vrticæ mane, meridie, atq; ueſperi ſingulis uicibus ad tres uncias pota, prodeſt contra colicam & tormina inteſtinorum, pellit calculum & affectus renum, ex frigore procreatos.

C Facit bibita ad ueterem tussim, orthopnœam, & animi defectum ex frigida temperie prouenientem, medetur pulmoni refrigerato.

Auxiliatur contra lumbricos, & omnes flatus uentris.

Conducit sordidis & impuris uulneribus, & ulceribus manantibus si inde lauentur, uel linteola in ea madefacta imponantur.

Ad morsum canis aqua ex rubra Vrtica, ualde salutaris est linteolis imposita.

DE AQVA EX RADICIBVS VRTICAE distillata.

Radices Vrticæ purè lotæ & concisæ in diebus canicularibus tantum destillantur.

Ea aqua mane ac uesperi singulis uicibus duabus aut tribus uncijs pota, subuenit contra inueteratam & frigidam colicam, sedat antiquam tussim, rumpit apostemata pulmonis.

Pota ac membris illita, pellit Apoplexiam & paralysim, conducit uuluæ, ciet aluum, sanat affectus pulmonum, accommodata est pectori. Dolorem stomachi bibita discutit, trahit mulierum mensis, expellit fœtum mortuum.

D

Eadem curat malignos affectus cancri & fistulæ linteolis imposita, uel si ex ea lauentur.

Medetur podagræ & tumori pedum linteolis imposita.

Sanat Polypum narium ex ea lotum, restringit sanguinem narium, linteolis fronti applicata.

DE VRTICA MORTVA.

NOMENCLATVRAE.

γαλέοψις.

Vrtica mortua.
Lamium.
Vrtica iners.
Vrtica labeo.

Todt Nesseln.
Daub Nesseln.

ANNOTATIO IN VRTICAM.

A VRTICA mortua est quam Hermolaus Barbarus ex Plinio Lamium uel Aonomon uocat. Est autem inter Vrticas mitissima & folijs nõ mordentibus, unde à quibusdam uocatur Vrtica iners. Brunsfelsius & Hieronymus Bock uolunt Vrticas non urentes,& innoxias,ut Barocum, quę Germanice Behnsaugen dicitur,& Vrticam mortuam,per Galiopsim Dioscoridis comprehendi. Vrticæ mortuæ ferè eadem habent facultates cum urentibus urticis,sed ad strumas aliaq; tubera discutienda efficaciores sunt alijs,ut Hieronymus Bock testatur.

DESCRIPTIO.

Vrticæ mortuæ alijs urticis figura similes sunt, sed non urunt, quædam ex ijs floribus sunt luteis, quædam rubicundis, nonnullæ candidis. Hæ non adeo calefaciunt & desiccant.

VIRES AC IVVAMENTA.

Vrtica mortua lixiuio imposita,flauos reddit capillos capite inde loto. Radix eius in uino cocta, pellit calculum lumborum, uino illo bibito. Contra calculum uesicæ, semen prioris efficacius est.

Habet ferè eadem uirtutes quas Aristolochia longa.

Ad sordida uulnera,Accipe pulueris Vrticæ mortuæ & Aristolochiæ æquale pondus, tertiamq; partem uiridis æris, hæc simul cum succo Saniculæ,& oleo oliuarum ad emplastri modum permi-
B sce, illud sanat inueterata ulcera, sed ad recentia uulnera unguentum album sumere oportet.

Dioscorides de Galiopsi scribit. Est uis & natura folijs, succo, cauli & semini discijciendi durities, carcinomata, abscessus post aures quos parotidas uocant, & furunculos: oportetq; ex aceto bis per diem tepida, emplastri modo imponere. Fouentur & decocto eius utiliter. Faciunt ad ea quę pascendo serpunt,gangrenas & exedentia,cum sale emplastri modo imposita.

DE AQVA VRTICAE MORTVAE.

Hanc destillare oportet in Iunio. Certõ prodest contra serpentem phagedęnam,mane ac uesperi ex ea,si lauetur & illinatur,& linteolis si imponatur. Sanat locum scabiosum in corpore hominis,si inde lauetur & illinatur. Mane ac uesperi singulis uicibus duabus aut tribus uncijs pota,medetur albis menstruis fœminarum.

DE VSNEA.

NOMENCLATVRAE.

Ἐρίνεφ.
Vsnea. Muscus arboris.
Moß. Nyeß.

ANNOTATIO IN VSNEAM.

C VSNEA à recentioribus uulgò dicitur, quam Dioscorides muscum appellat. A Græcis autem βρύον dicitur. Est autem nihil aliud muscus, ut Ruellius docet, quàm cani arborum uilli, quales in senescente quercu maximè uidemus, sed odore præstantes. Prima laus candidissimis atq; altissimis, secunda rutulis, nulla nigris. In insulis petrisq; nati damnantur, omnesq; quibus palmarum, atq; non suus odor inest. Dioscorides in arboribus, cedro, quercu, populo, muscum inueniri tradit.

DESCRIPTIO.

Muscus multorum est generum, quidam enim nascitur in arboribus odoriferis, ut in malis granatis, quidam in quercubus uel alijs arboribus. Est autem subuiridi colore uel subflauo, inuenitur & in petris: probatissimus inter omnes est, qui in arboribus odoriferis nascitur, & candido est colore, atq; odore iucundo.

TEMPERAMENTVM.

Calidus aũt in primo gradu, & siccus in secundo. Confortat cor.

VIRES AC IVVAMENTA.

Muscus in uino decoctus & potus, conciliat somnum.

Sistit omnes sanguinis fluxus. Cum melle temperatus, oreque inde colluto, tollit asperitatem linguæ atq; gutturis.

Si ex musco in aqua decocto, mulieris pudenda foueantur, tol-
D lit dolorem uuluæ.

Si tali decocto mulier insideat, ac inde foueatur, alba menstrua restringit. Muscus & hyssopus in uino decocta, si inde mulier potet, locis muliebribus medetur. Similiter prodest si uaporem inde ab inferiore parte excipiant.

Cum herba paralysi in oleo lini coctus, mitigat dolorem membrorum paralyticorum, si inde inungantur.

In uino decoctus confortat uisum.

DE VVLGAGINE.

NOMENCLATVRAE.

Κυκλάμινος.
Cyclaminus.
Panis procinus.
Malum terræ. Vulgago.
Cyclamen. Arthanita.
Bothormarien.
Rapum terræ.
Erdtapffel.
Schweins brodt.

A

ANNOTATIO IN VVLGAGINEM.

VVLGAGO à Barbaris appellatur herba quam Dioscorides Cyclaminum uocat. A Romanis Rapum terræ, siue umbilicus terræ dicitur. A recentioribus uocatur Panis procinus, & Arthanita. Qui primi huic plantæ nomen fecerunt, ut Verg. Marcellus inquit, circumactam in orbem eius circinationem contemplati, ἀπὸ τοῦ κύκλου, quasi ab orbe Cyclaminon, id est orbicularem dixerunt, fuitq; hæc prior & antiquor plantæ huius appellatio. A subulcis qui hanc pecori suo gratam esse cognouerunt, Panis procinus est appellata, Habet autem Cyclaminos folia hederæ, purpurea & uaria, in quibus suprà infraq; candicant maculæ, cauliculo digitorum quatuor, glabro & foliis carente, foliis in eo purpureis, rosarum effigie, radice corticis nigri, tam lata, ut Rapum uideri possit. Sic eam Dioscorides repræsentauit. Tres huius plantæ species inueniri scribit Antonius Musa.

DESCRIPTIO.

Planta hæc folia habet similia Azari foliis, sed molliora tactu, hæc folia sunt incisuris diuisa ad Hederæ terrestris figuram, suntq; uario colore. Radix foris est nigricans atq; rotunda, & in medio pressa instar panis dulciarij, flores sunt colore purpureo. Gaudet humidis agris.

B

TEMPERAMENTVM.

Calefacit atq; desiccat in tertio ordine. Radicis in medicina plurimus est usus. Eam in autumno colligi oportet, & in talcolas sectam filo trajici & suspendi, siccariq; ad radicis gladioli modum.

VIRES AC IVVAMENTA.

Radix expurgat & aperit obstructiones.

Cum aqua sumpta, discutit tumorem alui, pellitq; mala Phlegmata, unde hydrops originem trahit.

Itidem pota, potenter trahit menses mulierum.

In uino pota, pellit uenenum.

Succus huius herbæ naribus inditus, mundificat caput.

Radix præ omnibus alijs radicibus, locos muliebres expurgat, in potu sumpta.

Eadem in talcolas secta lineoque panno indita, & ad pessi formam, mulierum pudendis subdita, educit inde magnam illuuiem, beneq; mundificat, mouetq; menstrua.

Vinum in quo Cyclaminus decoctus est, facit ad oppilationem lienis.

Cyclaminus in puluerem contritus, & linamentis inditus uulneribus uel fistulis, erodit gangrænam.

Idem puluis naribus inditus, erodit carcinoma, quod nares obsedit.

DE VVA VERSA.

c

D

NOMENCLATVRAE.

Σρύχνος μανικός.

Solanum furiosum.
Vua lupina.
Vua canina.
Vua uersa.

Dolwurtz.
Einbeer.

ANNOTATIO IN VVAM VERSAM.

VVA uersa uulgò ab Herbarijs dicitur, est autem, ut Antonius Musa, Iacobus de Manlijs, ac Ottho Brunsfelsius testantur, quartum genus Solani, quod apud Dioscoridem σρύχνος μανικος, id est Solanum furiosum appellatur. A nonnullis, Vua lupina seu canina dicitur. Sunt qui uuam morellam à colore quum grana maturuerint, uocent.

DESCRIPTIO.

Hæc planta caulem habet crassum & excelsum, folia eius Betæ similia, in caule ferens nigros acinos habentes folliculos, qui retro inuersi sunt. Radix crassa & magna est intra terram, gaudetq; nasci in syluis, ubi uetustæ fagi amputatæ sunt, & truncus putridus est.

TEMPERAMENTVM.

Herba atq; radix calefaciunt in secundo gradu, facit ad calorem corporis tam foris quàm intus, uerum generat & auget Melancholiam, quapropter isti hanc herbam & radicem uitabunt.

VIRES

A VIRES AC IVVAMENTA.

Quicunq; ingentes habet calores, bibat ex hac radice cum aqua hordei aut Endiuiæ, nam ualde refrigerat.

Quæcunq; mulier hac herba utitur, facile incidit in phrenesim. Propterea omnes homines, qui natura sunt frigidi atq; sicci, hanc herbam uitabunt, & inprimis mulieres, quia cerebrum earum est frigidum.

DE ZEDOARIA.

NOMENCLATVRAE.

Zedoaria. Zitwen.

ANNOTATIO IN ZEDOARIAM.

ZEDOARIA inter radices aromaticas numeratur. Est autem medicina ab Arabibus inuenta. apud Græcos quid sit, nondum medicis constat. Ruellius de ea ad hunc modum scribit. Zedura aliis Zaduara, radix est teres, Aristolochiæ rotundæ non absimilis, sapore & colore Gingiberis: hanc ad nos India mittit. Officinæ & medicorum uulgus Zedoariam eam nominat. Nostræ autem ętatis medici ferè hac radice contra pestilentis cœli contagia utunt.

B TEMPERAMENTVM.

Zedoaria calefacit in tertio ordine, & deficcat in secundo. Est autem radix herbæ nascentis ultra mare. Hæc radix decem annis durat synceris uiribus. Magnamq; habet uirtutem calefaciendi natura frigidos, estq; ipsa radix rotunda, & odorẽ Gingiberis prębet.

VIRES AC IVVAMENTA.

Hæc radix grauem odorem quem allium, cepa, uel uinum excitauit, repellit. Graueolentiam quoq; oris emendat, manducata.

Eadem sumpta prodest contra uenenum, & inprimis cum pestis grassatur, tum radicis huius semidrachma in ore contineri debet, quando quis proditurus est in publicum, & apud homines uersari uult, tum præseruat à pestilente & noxio aëre.

Zedoaria confortat cor, & bonum generat sanguinem, malumque repellit.

Facit ad imbecillitatem stomachi, concoctionem adiuuat, appetentiamq; ciborum excitat, calefacitq; omnia interiora membra, si quis inde bibat, uel in ouo sumat.

In uino decocta auxiliatur contra tussim ex frigida materia prouenientem, prodest contra dolorem stomachi, & intestinorum ex frigida intemperie & flatu exortum. Conditum factum ex Zedoaria & Galanga, & cum aceto temperatum, edendi desiderium inducit.

Zedoaria

C Zedoaria, ut Ruellius docet, secundam & calfacientium & exiccantium sedem obtinet, corpus lætiore sagina reficit, flatus discutit, graue uirus animæ, quod allium, cepa, uel uinum excitauit, abigit: uenenatis morsibus opitulatur. Crassiorem uentris spiritum digerit: aluum retinet: abscessus uteri soluit, uomitiones cohibet; & colicos mulcet cruciatus.

DE ZINGIBERE.

NOMENCLATVRAE.

ζιγγίβερι.
Zingiber.
Gingiber.
Zingiberi.
Ingber.

ANNOTATIO IN ZINGIBER.

D ZINGIBER Romani pariter Græcis dicunt, plurimum in Arabia & apud Troglodytas nascitur, ut Dioscorides testatur. Qui Gingiberim uiderunt in India, hac facie repræsentãt, ut Ruellius scribit. Radix geniculatis serpit internodijs, crebroq; ex ijs & ex acumine nouas radices spargit, folia bis terue in anno fundit arundinacea, sed quæ in breuiorem exilitatem fastigiantur, in totum gramen dicunt æmulari, nec quicquam in ea regione frequentius inueniri. Oportunum legendi tempus cum folia inaruerint, alioquin & teredinibus obnoxium est, & carie tentatur.

TEMPERAMENTVM.

Zingiber calefacit in tertio ordine & humectat in primo.

Gingiberis uirtus calida est & sicca, ut inquit Platina, licet aliqua ex parte ad corruptionem tendat cum putrescat, ut lignum tinea corrosum. Probatissimum est, quod intus omnino candidum est, neq; perforatum, bonum habebit odorem, acremq; saporem ad piperis modum. Bonitate antecellit quod ex India uenit.

Gingiber maximè calefacit, humiditatem in se continet, quare non diu durat, si in loco humido asseruetur.

Durat autem duos annos integra & incorrupta uirtute. Valde accommodatum est frigido stomacho.

VIRES AC IVVAMENTA.

Qui laborat dolore dentium, accipiat radices Gingiberis easque minutim conscindat, atq; in uino decoquat, eoq; calido si os ieiunus colluat, tum opem præstat.

Vertigini

A Vertigini medetur, ſi cibo admiſceatur. Zingiber pondere ſemiunciæ ueſperi quando iturus es cubitum, uno hauſto ſumptum, expellit malos humores per ſudorem, ſi modo poſt mediam noctem, ueſtibus bene tectus, ſudaueris.

Omnibus hominibus Zingiber conducit, qui intus refrigerati ſunt.

Vinum in quo Zingiber & Cyminum decocta fuerint, facit ad dolorem ſtomachi, & inteſtinorum ex flatu prouenientem, etiam ḿq; concoctionem adiuuat.

Arabes recens Zingiber ſaccharo condiunt, ad ſtomachi frigiditates præcipuum.

Τέλος θεῷ δόξα.

FRANCOFORTI, Apud Chriſtianum Egenolphum Hadamarium, ANNO M. D. XL. Menſe Martio.